JOANNIS THEODORI BEELEN

CAN. HON. ECCL. CATHED. LEOD. S. THEOL. DOCT., IN ACADEM. CATH. LOVAN.
S. SCRIPT. ET LINGG. ORIENTT. PROF. ORD.

COMMENTARIUS

IN

EPISTOLAM S. PAULI

AD

ROMANOS.

ACCEDUNT TEXTUS GRÆCUS ATQUE LATINUS, ET CONTINUA TOTIUS EPISTOLÆ PARAPHRASIS.

LOVANII

APUD C. J. FONTEYN, ET APUD VANLINTHOUT ET SOC. BIBLIOPOLAS.

1854.

—

Prostat quoque

Bruxellis apud GOEMAERE; Amstelodami apud LANGENHUIZEN; Sylvæ Ducis apud Fratres VERHOEVEN;
Parisiis apud Le COFFRE; Bonnæ apud MARCUS; Londini apud BURNS
and LAMBERT; Romæ apud SPITHOVER.

LIBRARY

BS
2662
.B3X
1854

LOVANII. — TYPIS G. ROBYNS.

THEODORO. ALEXI. JOSEPHO. DE MONTPELLIER

EPISCOPO. LEODIENSI

PRÆSULI

PIO. DOCTO. VIGILI. PRUDENTI

BONO. CHRISTIANÆ

AC. LITTERARIÆ. REIPUB. NATO

JOANNES. THEODORUS. BEELEN

CAN. AD. HON. ECCL. CATHEDR. LEODIENSIS.

IN. CATH. ACAD. LOVANIENSI. S. SCRIPT. ET LINGG. ORIENTT. PROF.

COMMENTARIUM. HUNC

IN. EPISTOLAM. S. PAULI. AD. ROMANOS

MULTI. LABORIS. OPUS

D. D. D.

MUNIFICO. MÆCENATI. SUO

AUCTOR.

9/840

PRÆFATIO AD LECTOREM.

Offero tibi nunc, Lector benevole, quem duobus abhinc annis promisi in Epistolam S. PAULI *ad Romanos Commentarium. Qui ecquid pretii habeat, ex iis qui in hoc litterarum genere ipsi versati sunt lubenter didicerim. Hoc scio, nulli me labori pepercisse ut opus efficerem et utile Scripturæ sacræ studiosis, et tale, quod non esset plane indignum cathedra illa quam a multo jam tempore in Lovaniensi Academia occupo. Quamquam verò librum meum simpliciter Commentarium inscripsi, non autem Commentarium* perpetuum, *ita tamen interpretationem institui, ut nihil eorum quæ explicatione indigere viderentur relinquerem intactum. Variantes Græci contextûs lectiones, quæ essent alicujus momenti, diligenter enotavi, et quænam earum esset, meâ quidem sententiâ, pro genuinâ* PAULI *scripturâ habenda, ubicumque potui, indicavi. Voces locutionesve obscuriores aut ambiguæ quemnam suis quæque locis significatum haberent, accurate definire ubique studui. Præcipuam verò operam impendi cum in epistolæ sententiis perspicue et apertè explicandis, tum præsertim in assignando logico nexu, quo singulæ inter se cohærerent. Adjeci, quo manifestior esset* Paulinæ *orationis series, continuam totius epistolæ paraphrasim, qua conatus sum aliis verbis clarius nec tamen justo verbosius reddere* PAULI *sententias omnes, sine ulla aut detractione, aut adjunctione, aut immutatione, eodem logico nexu eâdemque formâ orationis. Quæ res quantum habeat difficultatis, nemo, opinor, satis intelligit, nisi qui ipse rem tentaverit.*

Quod reliquum est, libenter hic profiteor, me Ecclesiæ judicio plenissime subjicere exegetica mea scripta, et ea quæ adhuc edidi, et ea quoque quæ in posterum sim editurus.

J. Th. BEELEN.

Scribebam Lovanii, VI Cal. Jun. MDCCCLIV.

PROLEGOMENA

IN

EPISTOLAM AD ROMANOS.

---

§. 1. *De Romanæ ecclesiæ primordiis.*

Romanam ecclesiam a PETRO, Apostolorum principe, fundatam fuisse, antiqui scriptores disertis verbis testantur. Et antiquissimus [1] quidem ejus rei testis est DIONYSIUS Corinthiorum Episcopus, qui floruit sæculo post Christum natum secundo. Nam is, in epistola illa quam ad SOTEREM scripsit, Romanæ ecclesiæ *φυτειαν* sive *plantationem* eodem modo PETRO tribuit quo Corinthiacæ plantationem PAULO [2]. Atqui constat Corinthiacam ecclesiam a PAULO fuisse fundatam.

---

(1) Ea solùm recitamus antiquorum testimonia, quæ apertis verbis PETRUM Romanæ Ecclesiæ profitentur fundatorem; omittimus verò testimonia omnia quæ simpliciter affirmant aut Romæ fuisse PETRUM aut mortem ibidem obiisse.

(2) Apud EUSEBIUM (Hist. Eccl. Lib. II. Cap. XXV). Romanam et Corinthiacam ecclesiam DIONYSIUS ibi vocat *την απο Πετρου και Παυλου φυτειαν γενηθεισαν Ρωμαιων τε και Κορινθιων*, *Romanorum atque Corinthiorum plantationem a* PETRO *et* PAULO

Eodem sæculo rem testatus est S. Irenæus (adv. Hær. Lib. III.) : *Sed quoniam valde longum est*, inquit, *in hoc tali volumine omnium ecclesiarum enumerare successiones*, *maximæ et a gloriosissimis Apostolis* Petro *et* Paulo *Romæ fundatæ et constitutæ ecclesiæ traditionem indicantes*, *confundimus eos*, *qui*, cet. [1]. Et iterum alibi (adv. Hær. Lib. III. 1) : *Cum* Petrus *et* Paulus *Romæ Evangelium prædicarent eamque ecclesiam fundarent* [2].

Idem testimonium fert quoque Cajus presbyter, Zephyrini summi Pontificis coætaneus, in disputatione adversus Proclum Montanistam : *Ego verò*, inquit, *Apostolorum tropæa possum ostendere. Nam si ire velis ad Vaticanum aut Ostiensem viam ingredi*, *reperies tropæa* (sepulcra) *illorum qui hanc* (Romanam) *ecclesiam fundaverunt* [3].

Cum ipsius Pauli testimonio certissimum sit, jam ante ejus in urbem Romæ adventum [4] florentissimam ibi fuisse ecclesiam, eaque res Dionysium, Irenæum et Cajum, quos adhuc citavimus, latere nullo modo potuerit, si iidem tamen testantur ab utroque Apostolo, Petro et Paulo, fundatam fuisse Romanam ecclesiam, sic profectò intelligendi sunt ut voluerint affirmare, ita *etiam* a Paulo fundatam sive plantatam fuisse Romanam ecclesiam ut tamen *prima* ejusdem fundatio sive plantatio Petro auctori sit tribuenda.

Audiatur etiam Theodoretus qui in Commentario suo in epistolam ad Romanos ubi Paulus scribit (Cap. 1. ỳ. 11.), *desidero videre vos ut aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis ad confirmandos vos*, hæc notat : *Quia primus eis magnus*

---

factam. De *Corinthiaca* ecclesia a se fundata Paulus simili vocabulo usus dixerat (1 Cor. III. 6): Εγω εφυτευσα, *Ego plantavi.*

(1) Græca Irenæi verba hac parte interciderunt.

(2) Του Πετρου και Παυλου εν Ῥωμη ευαγγελιζομενων και θεμελιουντων την εκκλησιαν. Recitantur hæc Irenæi verba ab Eusebio, Hist. Eccl. Lib. V. Cap. 8.

(3) Apud Eusebium (Hist. Eccl. Lib. II. Cap. 25) : Εγω δε τα τροπαια των αποστολων εχω δειξαι. Εαν γαρ θελησης απελθειν επι τον Βατικανον, η επι την ὁδον την Ωστιαν, εὑρησεις τα τροπαια των ταυτην ἱδρυσαμενων την εκκλησιαν.

(4) Dicit enim se necdum Romæ fuisse cum ad Romanam ecclesiam epistolam suam scriberet. Cf. Cap. 1. ỳ. 10—14. XV. 22—25.

PETRUS *doctrinam Evangelicam præbuerat*, *necessariò subjicit: ad confirmandos vos. Non enim aliam*, *inquit*, *doctrinam vobis afferre*, *sed eam*, *quæ jam oblata est confirmare et arbores jam plantatas irrigare volo* [1].

Idem quoque testatur PAULUS OROSIUS historiographus, SS. HIERONYMI et AUGUSTINI coætaneus (Hist. Lib. VII. Cap. 6) : CLAUDIUS, inquit, *ab* AUGUSTO *quartus regnum adeptus est*, *mansitque in eo annos quatuordecim. Exordio regni ejus* PETRUS, *Apostolus Domini nostri* JESU CHRISTI, *Romam venit, et salutarem cunctis credentibus fidem fideli verbo docuit potentissimisque virtutibus comprobavit; exinde Christiani Romæ esse cœperunt.*

Quæ adhuc recitavimus testimonia profectò talia sunt ut probent Romanæ ecclesiæ fundationem PETRO Apostolo esse tribuendam; eoque firmius hoc comprobant quòd inter antiquos scriptores ne unus quidem inventus est qui alium quempiam quam PETRUM Romanæ ecclesiæ dixerit fundatorem [2]. Memorant verò antiqui, PETRUM Romam primùm venisse exordio regni CLAUDII Imperatoris [3]; quare et Romanæ ecclesiæ fundamenta eo tempore jacta fuisse dicendum est [4]. Coaluit autem illa

---

(1) Επειδη πρωτος αυτοις ὁ μεγας Πετρος την ευαγγελικην διδασκαλιαν προσηνεγκεν, αναγκαιως επηγαγεν· εις το στηριχθηναι ὑμας. Ου γαρ ἑτεραν, φησι, διδασκαλιαν προσφερειν, αλλα την ηδη προσενεχθεισαν βεβαιωσασθαι βουλομαι, και τοις ηδη φυτευθεισι φυτοις την αρδειαν προσενεγκειν.

(2) Quod *Recognitionum* auctor pseudonymus affirmaverit, BARNABAM multo ante PETRUM Romam venisse ibique Evangelium prædicasse, commentum hoc est quod idoneis rationibus refutavit BARONIUS ad Ann. Christ. 51.

(3) S. HIERONYMUS (de Viris illustr. C. 1.) : «SIMON PETRUS.... *secundo* CLAUDII *anno ad expugnandum* SIMONEM *magum Romam pergit*, *ibique viginti quinque annis cathedram sacerdotalem tenuit, usque ad ultimum annum* NERONIS, *id est*, *decimum quartum.* Confer etiam EUSEBII *Chronicon* ad annum 2 CLAUDII; item OROSIUM, Histor. Lib. VII. 6.

(4) Quæ de PETRO Romanæ ecclesiæ fundatore et de tempore ejusdem in Urbem adventûs breviter pro nostri instituti ratione heic exposuimus, ea confutatis Acatholicorum argumentis firmaverunt, inter alios, GREG. CORTESIUS, *De Romano itinere D. Petri*, ABR. ECCHELLENSIS, *De origine nominis Papæ*, Cap. XXIII, sqq., PETAVIUS, *Dissertatio de Petri Antiochena et Romana sede*, FOGGINI, *De adventu D. Petri Apostoli ad Urbem*, WINDISCHMANNUS, in *Vindiciis Petrinis*, p. 53. sqq., BINTERIMIUS, in opere germanico cui titulus : *Das alte Gespenst in unsern Tagen neu aufgeführt von Ellendorf in der Schrift : Ist Petrus in Rom und Bischof der Römischen Kirche gewesen?* FR. PATRITIUS, soc. Jesu, *De Evangeliis*, vol 1. Cap. 2. §. 28. sqq.

ecclesia ex Judæis [1] et Gentilibus ; utri verò majorem ejus partem effecerint, certò dici nequit.

§. 2. *De authentia epistolæ ad Romanos.*

Authentia epistolæ quæ *ad Romanos* inscribitur res testatissima est. Nam et epistolâ illâ sicut reliquâ Scripturâ sacrâ usi sunt Patres Apostolici [2], et qui statim post hos floruêre secundo sæculo Scriptores ecclesiastici ejusdem epistolæ effata tamquam Pauli Apostoli effata passim recitarunt.

Subjicimus hic et horum et illorum testimonia, pauca ex multis.

S. Clemens Romanus in ea quam ad Corinthios scripsit epistola (Cap. 35), hæc habet : *Απορριψαντες αφ' ἑαυτων πασαν αδικιαν και ανομιαν, πλεονεξιαν, ερεις, κακοηθειας τε και δολους, ψιθυρισμους τε και καταλαλιας, θεοστυγιαν, ὑπερηφανιαν τε και αλαζονειαν, κενοδοξιαν τε και φιλοξενιαν. Ταυτα γαρ οἱ πρασσοντες στυγητοι τῳ Θεῳ ὑπαρχουσιν· ου μονον δε οἱ πρασσοντες αυτα, αλλα και οἱ συνευδοκουντες αυτοις.* Hoc est : *Abjicientes a nobis omnem injustitiam et iniquitatem, avaritiam, contentiones, malignitates et fraudes, susurros et obtrectationes, odium Dei, superbiam et ostentationem, inanem gloriam atque amorem vanitatis. Qui enim ista faciunt odiosi sunt Deo ; neque solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt illis.* Quæ verba si contuleris cum iis quæ Paulus habet epistolæ suæ ad Romanos capite primo (ỹ. 29—32), persuasum tibi erit Clementem ob oculos vel certe in mente habuisse illam epistolam et sua fecisse verba Pauli. Idem quoque evidentissimè patet ex ejusdem Clementis Romani epistola secunda *De Virginitate* (Cap. 5), ubi hæc leguntur :

ܘܠܐ ܢܗܘܐ ܡܕܡ ܕܠܟܘܢ ܡܬܚܣܕ ܡܟܝܪ . ܐܠܐ ܡܕܡ ܕܡܟܝܪ ܠܣܓܝܐܐ ܐܝܟ ܕܢܐܣܘܢ .

..... ܢܗܘܐ ܗܘܦܟܐ ܘܗܦܟܝܢ ܡܬܗܠܟܝܢ ܡܡܠܠܝܢ ܕܠܐ ܢܬܟܫܠ ܐܚ̈ܝܢ ..... ܐܝܟܢܐ

(1) De magno Judæorum numero Romæ tunc temporis versantium, videsis Fl. Joseph. Antiqq. Lib. XVII. Cap. 12. ; Philonem, *Legat. ad* Caium. pag. 1014. in edit. *Francofort.* ; Sueton. in vita Tiberii. Cap. 36.

(2) Notum est, Patres Apostolicos solere sacræ Scripturæ verba recitare tacito nomine sacri scriptoris.

ܡܛܠ ܡܐܟܘܠܬܐ ܢܬܟܪܐ ܐܚܘܢ .... ܠܐ ܗܘܐ ܒܚܘܒܐ ܕܐܠܗܐ ܡܗܠܟܝܢܢ . ܡܛܠ
ܡܐܟܘܠܬܟ ܡܘܒܕ ܐܢܬ ܠܗܘ ܕܡܛܠܬܗ ܡܝܬ ܡܫܝܚܐ ܀

h. e. *Neque id quæramus quod nobis tantùm proficuum est , sed quod proficuum est plerisque ut salventur..... Caveamus igitur diligenter omni tempore , ne scandalizemus fratres nostros..... Nam si propter escam aliquam frater noster contristatur.... nequaquam in charitate Dei ambulamus. Propter escam tuam tu perdis eum propter quem* Christus *mortuus est.* Postrema autem verba hæc fere ipsissima sunt Pauli verba ad Romanos scribentis (Cap. XIV.) : *Si enim propter cibum frater tuus contristatur , jam non secundum charitatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere , pro quo* Christus *mortuus est.*

Audiatur et Polycarpus , qui in sua ad Philippenses epistola (Cap. 6) scripsit hæc : *Και παντας δει παραστηναι τῳ βηματι του Χριστου, και ἑκαστον ὑπερ ἑαυτου λογον δουναι.* Hoc est : *Et omnes stare oportet ante tribunal* Christi , *et unumquemque pro se reddere rationem.* Quæ verba manifestò desumta sunt ex Pauli epistola ad Romanos Cap. XIV. 10. 12.

Theophilus (ad Autolyc. Lib. III. pag. 126 in edit. Colon.) dixit : *Ετι μην και περι του ὑποτασσεσθαι αρχαις και εξουσιαις και ευχεσθαι ὑπερ αυτων , κελευει ἡμων ὁ θειος λογος , και διδασκει αποδιδοναι πασι τα παντα , τῳ την τιμην , την τιμην , τῳ τον φοβον , τον φοβον , τῳ τον φορον , τον φορον· μηδενι μηδεν οφειλειν η μονον το αγαπᾶν παντας.* Hoc est : *Etiam magistratibus et potestatibus ut pareamus utque pro illis precemur divinus sermo præcipit , docetque omnibus omnia reddere ; cui honorem , honorem , cui timorem , timorem ; cui tributum , tributum ; neminique quidquam debere nisi ut omnes diligamus.* Hæc autem verbotenus Theophilus sumsit ex Pauli epistola ad Romanos Cap. XIII. 7. 8.

Porrò in epistola ecclesiæ Viennensis et Lugdunensis ad Asiæ Phrygiæque ecclesias sæculo secundo conscriptâ ita legimus : *Οἱ και παν ειδος ονειδισμου και κολασεως ανεχομενοι... οντως επιδεικνυμενοι , ὁτι ουκ αξια τα παθηματα του νυν καιρου προς την μελλουσαν δοξαν αποκαλυφθηναι εις*

ἡμας [1]). Hoc est : *Qui et omne genus opprobrii sustinuerunt, verè* [2]) *ostendentes perpessiones hujus sæculi nullius esse ponderis si conferantur cum gloria* (in futuro sæculo) *in nos conferenda.* PAULI verba hæc sunt Ep. ad Rom. Cap. VIII. 18.

S. IRENÆUS (Adv. Hæres. Lib. III. Cap. 16) : *Hoc ipsum*, inquit, *interpretatus est* PAULUS *scribens ad Romanos* : PAULUS *Apostolus* JESU CHRISTI, *prædestinatus ad Evangelium Dei, quod promisit per prophetas suos*, cet. (Cf. Rom. I. I.). *Et iterum ad Romanos scribens de Israël dicit : Quorum patres, et ex quibus est* CHRISTUS *secundum carnem, qui est Deus super omnes benedictus in sæcula.* Cf. Rom. IX. 5.

CLEMENS ALEXANDRINUS (*Strom.* III. p. 457) : *Ὁμοιως δε και ὁ Παυλος εν τῃ προς Ῥωμαιους επιστολῃ γραφει· Ὁιτινες απεθανομεν τῃ ἁμαρτιᾳ, πως ετι ζησομεν εν αυτῃ.* Hoc est : *Similiter et* PAULUS *in epistola ad Romanos scribit : Qui mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo ?* Cf. Ep. ad Rom. Cap. VI. 2.

Sed plura congerere testimonia supersedeo, quum ea quæ adhuc protuli ad rem probandam abunde sufficiant. Hoc tamen addiderim, ad roborandam illius argumenti vim, nihil in præsenti epistola occurrere quod non sit vere Apostolicum, verèque Paulinum, seu respicias sententias quæ inibi enuntiantur, seu attendas ad argumentandi modum quo scriptor utitur, seu denique consideres adhibitas ab eodem locutiones universamque dicendi formam et rationem.

Quamquam verò adeo testata est authentia epistolæ quæ *ad Romanos* inscribitur, non tamen omninò defuêre nostrâ ætate qui eam aut integram, aut certe partem aliquam pro spuria habuerint.

Et integrâm quidem eam epistolam a PAULO abjudicavit EVANSONIUS [3]), sed ductus

---

(1) Apud EUSEB. H. E. V. 1.

(2) *Verè*, οντως. Sed conjecerim legendum esse οὑτως, *sic*.

(3) ED. EVANSON, *The dissonance of the four generally received Evangelists.* Ipswich. 1792. p. 250. Obiter hic monemus, Ebionitas aliosque nonnullos ex primævis hæreticis sprevisse quidem eam quæ *ad Romanos* inscribitur epistolam, quia nempe placitis eorum illa contradiceret, minime verò negasse illam PAULO auctori esse tribuendam. Cf. IREN. *adv. Hær.* I. 26. EUSEB. *Hist. Ecc.*

ille rationibus sane quam futilibus, exempli gratiâ, quòd neque Lucas in Actis, neque Paulus ipse in aliis suis epistolis, ullam de epistola aliqua ad Romanos scripta mentionem fecerit.

Partem verò illius epistolæ postremam pro spuria habuit Baurius [1], affirmans Pauli epistolam quatuordecim capitibus absolvi, illa verò quæ nunc capitibus decimo quinto et decimo sexto continentur, ab alio nescio quo fuisse conscripta et *Paulinæ* epistolæ deinceps assuta. Ad commentum suum probandum Baurius monet, sed falsò, ea quæ capite XV. 1—14 dicuntur, capitibus tribus proxime antegressis jam fuisse dicta, ea verò quæ porrò decimo quinto illo capite (ỷ. 15—24) leguntur nullatenus esse *Paulina* (*unpaulinisch*). Decimi sexti autem capitis authentiam negat cum quòd ibi ex christianis Romanis tam multi tamquam Pauli familiares aut cognati leguntur salutati, tum etiam ob alias rationes nihilo graviores.

Cum Baurio Reichius [2] hactenus consensit quod ultimos postremi capitis versiculos tres pro spuriis habuerit, quia nempe contineant frigidam contortam et ineptam doxologiam ab aliquo qui doxologiam epistolæ Judæ (ỷ. 24. 25) imitari voluisset e *Paulinis* formulis absurde compositam ita, ut voces *κατα το ευαγγελιον μου* sumpserit ex Rom. II. 16, *αποκαλυψις μυστηριου* ex Ephes. III. 3. Col 1. 26, *χρονοις αιωνιοις σεσιγημενου, φανερωθεντος δε* ex 2 Tim. 1. 8, *κατ' επιταγην του αιωνιου Θεου* ex Tit. 1. 1, et sic porrò. Quod vanissimum Reichii commentum risu potius excipiendum est quam seria aliqua refutatione cohonestandum.

Reliquum est ut notemus, ex recentioribus scriptoribus acatholicis fuisse nonnul-

---

III. 27. IV. 29. VI 38. Hieronym. in *Matth.* XII. 2. Epiphan. Hær. 30. 3. Recte Ad. Maier (Einleit. §. 6.): Euseb. inquit, *setzt den Brief unter die ὁμολογουμενα und ist sich alzo keines Widerspruches gegen dessen Echtheit bewuszt; wenn einige judenchristlichen Parteien ihn mit den übrigen paulinischen verwarfen, so bestritten diese nicht die Echtheit, sondern wollten die Lehrauktorität Pauli nicht anerkennen.*

(1) Confer Baurii opus cui titulus: Paulus, *der Apostel* Jesu Christi, cet. p. 398 sqq., item ejusdem dissertationem, quam inscripsit: *Uber den Zweck und die Veranlassung des Römerbriefes*; legitur in *Tubinger Zeitschrift für Theologie.* 1836. P. 3. Baurium refellit Klingius in Theolog. Stud. und Kritik. 1837. p. 308, sqq.

(2) Apud Fritschium, Proleg. p. 28.

los qui, quamquam non negarent PAULO auctori tribuenda esse quæcumque capitibus illis decimo quinto et sequente leguntur, existimarent tamen duo illa capita habenda esse pro distincto quodam PAULI epistolio sive scripto aliquo, quod deinceps ab aliena manu assutum fuisset Epistolæ ad Romanos tamquam hujus epistolæ pars. Convenerunt in hanc sententiam HEUMANNUS (1), SEMLERUS (2), PAULUSIUS (3), alii, aliter tamen atque aliter sententiam suam explicantes. Sed quid suo quisque marte heic excogitaverit distinctius exponere tædiosum sit nec utile, eoque inutilius quòd isthæc sententia adnumeratur inter ea opinionum commenta, quæ dies jam delevit.

§. 3. *De causa scribendi epistolam deque ejusdem argumento.*

Quamquam neque ex ipsa epistola neque aliunde certò nobis constat quidnam rei Apostolum potissimum impulerit ut ad Romanos scriberet, tamen non multum, opinor, a vero aberraverimus si conjecerimus, causam sive occasionem scribendi PAULO natam fuisse ex eo quod comperisset, Romanos tam Judæo-Christianos quam Ethnico-Christianos non recte sentire de gratia Justificationis, quippe quam non haberent, ut debuissent, pro Dei dono prorsus gratuito, verùm suis suæque gentis meritis utrique falsò adscriberent. Etenim quum in illa epistola fere totus sit Apostolus in docendo Justificationem gratuitum esse Dei donum, cur hoc potius quam aliud argumentum tractasset nisi quia certa relatione compertum haberet, Romanos nunc in hac potissimum re institutione indigere? Quidquid sit, totius epistolæ, ut jam innuimus, primaria sententia est, gratiam justificationis homini obtingere non ut mercedem aliquam operibus suis tamquam meritis debitam, sed *gratis* sive ex Dei erga ipsum bonitate omnimodo gratuita; obtingere autem *per fidem*, quæ tamen ibi habeat non rationem causæ meritoriæ sed sit simpliciter conditio sine qua nemini possit illa gratia obtingere, quæ ceteroquin divinitùs offeratur, nullo gentis aut ho-

---

(1) Erklär. des N. T. VII. 7 sq 538 sq.

(2) *Dissertatio de duplici appendice epistolæ Pauli ad Romanos.* Hal. 1767.

(3) In Programmate Academico: *De originibus epistolæ Pauli ad Romanos.* Jenæ, 1801.

minum discrimine, *cuicumque credenti*. Hanc verò sententiam Apostolus prioribus octo epistolæ capitibus explicat, probat, atque exornat eâ orationis serie, quam studuimus perspicuè indicare et diligenter exponere in descriptione *argumenti*, quod commentario nostro in singula illa capita præmisimus. Absoluto autem primario suæ epistolæ themate *de gratuito Justificationis dono cuicumque credenti divinitùs oblato*, Apostolus deinceps capitibus tribus insequentibus (IX. X et XI) quæstionem tractat cum primario illo themate satis arctè connexam ; agit scilicet de plerorumque Judæorum, coætaneorum suorum, a Messianâ salute sive Justificationis gratiâ exclusione ; cui exclusioni minime repugnare docet promissionem Dei ABRAHÆ et semini ejus factam de salute per Messiam obtinenda ; declarat autem, Judæos ideo ab illa salute fuisse exclusos quia Evangelio credere recusassent ; ex quo tamen negat colligendum esse Israëliticum populum qua talem penitus a Dei fuisse abjectum ; e contra, affirmat futurum esse ut Israëlitica gens universa Messianam salutem participet, quando prius in Ecclesiam intraverit universa Gentilitas, de cujus vocatione ad fidem et gratiam Evangelicam passim ibi sermonem habet.

Reliqua autem epistolæ pars ad informandos mores potissimum spectat, et fere tota parænetica est.

§. 4. *Qua lingua, quo loco, et quo tempore, conscripta fuerit epistola ad Romanos.*

Epistola hæc quin Græcâ linguâ a PAULO conscripta fuerit, nemo, quod sciam, in dubium vocavit præter unum SALMERONEM [1], qui Latinâ linguâ eam primitùs exaratam fuisse inde conjecit quòd Apostolus illam miserit *Latinis*, et quod amanuensis ejus vocaretur TERTIUS [2], quod quidem nomen *Latinum* sit. Verùm leviora sunt hæc argumenta, quam ut iis infirmari possit communis omnium antiquorum sententia de epistola ad Romanos primitùs Græcè a PAULO conscripta. Non animadvertit SALMERONIUS Græcam linguam, quo tempore PAULUS scriberet, Romanis perquam

(1) Apud *Corn. a Lap.* in Comment. in hanc epist. pag. 26

(2) Cf. Cap. XVI. 22.

fuisse familiarem, adeòque nihil causæ illum habuisse, cur, contra morem suum, in scribendo latinâ linguâ uteretur.

Parum scitè BOLTENIUS quoque [1] opinatus est PAULUM, ut qui Græcæ linguæ esset ignarus, Aramaico idiomate solitum fuisse litteras suas exarare, quas deinde ex comitibus suis unus aut alter in Græcam linguam transferret. BOLTENIUM hac opinione secutus est BERTHOLDTUS [2]. Qui ambo turpiter heic errasse mihi videntur, quum LUCAS referat (Act. Ap. Cap. XVII. 22. sqq.) PAULUM Athenis longam orationem habuisse ad illius civitatis incolas, quos profectò non alio quam Græco idiomate fuerit allocutus. Ex Aramaismis autem qui in Epistola ad Romanos et in reliquis Paulinis passim occurrunt, falsò collegeris epistolas illas non Græcâ linguâ primitùs sed Aramaicâ fuisse conscriptas. Recte SCHOTTIUS de idiomate quo PAULUS epistolas suas conscripserit [3]: *Quæ pluribus locis*, inquit, *obveniunt durius minusve perspicuè enuntiata, sive prorsus ad linguam hebraicam sive aramaicam conformata, plane conveniunt scriptori ingenii animique fervidioris, de ratione scribendi minus sollicito quam de rebus tractandis, linguæ quidem Græcæ haud imperito, sed a puero inde idiomati hebraico sive aramaico adsueto. Paronomasiæ similesque verborum lusus in epistolis* Paulinis *frequenter obvii* [4] *usum sermonis Græci ab ipso auctore factum luculentissime probant.*

Corinthi scriptam fuisse epistolam ad Romanos, epigraphe [5] in Uncialibus aliquot codicibus epistolæ subjecta jam declarat; confirmatur verò cum inde quòd a fine epistolæ leguntur salutationes fidelium Corinthi commorantium [6], tum etiam ex eo quòd Apostolus ad transmittendam epistolam usus est ministerio PHOEBES diaconissæ ecclesiæ Cenchrëensis [7]. Erant autem Cenchreæ portus Corinthi.

---

(1) *Die neutestamentliche Briefe*, cet. 1 Th. Altonæ. 1800. in Præfatione ad lectorem. p. 21. sqq.

(2) EINLEIT. T. 5. Part. 2.

(3) ISAGOG. §. 49.

(4) Conferatur BÖTTCHERI *Dissertatio de paranomasia finitimisque ei figuris Paulo Apostolo frequentatis*. Lipsiæ. 1824.

(5) Προς Ῥωμαίους εγραφη απο Κορινθου.

(6) Cap. XVI. 23: *Salutat vos Cajus hospes meus.* Corinthius autem CAJUS is erat. Cf. 1 Cor. I. 15. *Salutat vos* ERASTUS, *arcarius civitatis.* Atqui Corinthius erat et ERASTUS.

(7) Cf. Cap. XIV. 1-2.

Quod autem attinet ad tempus conscriptæ hujus epistolæ, variæ sunt interpretum sententiæ. Annum post Christum natum 58 assignat BARONIUS, qui si rem, ut ajunt, acu non tetigit, certe non multùm, meâ quidem sententiâ, a vero aberraverit.

§. 5. *Interpretes.*

Recensentur hic interpretes, antiqui ferè omnes, ex recentioribus verò et recentissimis, quod sciam, præcipui, qui in omnes aut plerasque PAULI epistolas aut saltem in Epistolam ad Romanos seorsim commentarios ediderunt.

A. *Antiqui.*

ORIGENES. Commentarius in Epistolam ad Romanos, ad Galatas, ad Ephesios, ad Colossenses, ad Thessalonicenses, ad Titum, ad Philemonem, et ad Hebræos. Græce commentarius ille amplius non superest. Legitur autem ex Latina versione RUFINI in ORIGENIS operum editione *De la Rue*, Tomo IV.

S. CHRYSOSTOMUS. Homiliæ in epistolas S. PAULI. Leguntur in CHRYSOSTOMI operum editione *Montfauconii*, Tomis IX. X et XI.

AMBROSIASTER (*Pseudo-Ambrosius*). Commentarii in epistolas S. PAULI. Leguntur in S. AMBROSII operum editione Benedictinâ, Tomo IV. Auctor hujus Commentarii adhuc latet; est tamen antiquus; nam ad 1 Tim. Cap. 3. dicit se scribere DAMASO regente Ecclesiam. Ceterum, caute legendus est.

S. AUGUSTINUS. *Inchoata expositio epistolæ ad Romanos;* et *Expositio quarumdam propositionum ex epistola ad Romanos.* Utraque hæc Augustini expositio legitur in operum ejus editione Benedictina, Tomo III.

S. HIERONYMUS. Commentarius in epistolas S. PAULI ad Galatas, ad Ephesios, ad Titum, et ad Philemonem. Legitur in operum ejus editione *Vallarsii*, Tomo. VII.

PELAGIUS. Commentarius in epistolas S. PAULI. Legitur in operum S. HIERONYMI editione *Vallarsii*, Tomo XI. Caute legendus est PELAGII commentarius.

S. CYRILLUS ALEXANDRINUS. Commentarium ejus in PAULI epistolam ad Romanos, in utramque ad Corinthios, in epistolam ad Hebræos, et fragmenta aliquot ejusdem Commentarii in alias PAULI epistolas recentissimè ex Codicibus Vaticanis in

lucem primus edidit, additâ versione Latinâ, Em. Cardinalis MAJUS, vir eruditissimus. Leguntur in suæ *Novæ Patrum Bibliothecæ* Tomo tertio. Romæ. 1845.

VICTORINUS Philosophus. Commentarii in epistolas PAULI ad Galatas, ad Philippenses, et ad Ephesios. Leguntur in Em. Card. MAJI *Scriptorum veterum novæ collectionis* Tomo III. Romæ. 1830.

THEODORUS MOPSUESTENUS. *Θεοδωρου Μοψουεστιας επισκοπου εξ ἑρμηνειας της Παυλου προς Ῥωμαιους επιστολης τα ἑυρεθεντα.* Quæ ex Vaticanis Codicibus primus publica luce donavit idem Eminentissimus Cardinalis MAJUS. Leguntur pag. 499—573 in ejusdem *Spicilegii Romani* Tomo IV. Romæ. 1840.

THEODORETUS. Interpretatio quatuordecim epistolarum S. PAULI. Legitur in THEODORETI operum editione *Sirmondi*, Tomo III.

PRIMASIUS. Commentarius in Epistolas S. PAULI. Legitur in *Bibliotheca Patrum maximâ* Lugdunensi, Tomo X. pag. 142–287.

OECUMENIUS. Commentarius in Acta Apostolorum, in omnes PAULI epistolas, et in catholicas omnes. Accesserunt ARETHÆ Cæsareæ Cappadociæ episcopi explanationes in Apocalypsin. Græce et Latine edidit *Morellus*. Lutetiæ Parisiorum. 1631.

THEOPHYLACTUS. Commentarius in Evangelia, Acta Apostolorum, epistolas PAULI et Catholicas. Edd. *Finetti* et *Buongiovanni*. Venetiis. 1754—63.

LUCULENTIUS. Illius in aliquot Novi Testamenti partes commentarii leguntur Tomo nono *Novæ collectionis scriptorum veterum e Vaticanis Codicibus editæ* ab Em. Card. MAJO. Romæ. 1837. Quando vixerit *Luculentius*, adhuc ignotum.

S. THOMAS AQUINAS. Commentarii in omnes D. PAULI epistolas. Leguntur Tomo XVIII operum ejus ex editione Parisiensi a. 1660.

B. Recentiores.

Catholici. Epistolæ PAULI ad Græcam veritatem castigatæ et per Rev. D. THOMAM DE VIO, CAJETANUM, Cardinalem sancti *Xisti* juxta sensum literalem enarratæ. *Parisiis*. 1540. Frater DOMINICUS SOTO, Segobiensis, ordinis Prædicatorum. Commentarii in Epistolam divi PAULI ad Romanos. *Antverpiæ.* 1530. ALPHONSUS SALMERO *Toletanus*, e Societate Jesu Theologus. Commentarii in omnes epistolas B. PAULI, et Canonicas. *Coloniæ Agrippinæ.* 1614. BENEDICTUS JUSTINIANUS

Genuensis Soc. Jesu. In omnes B. PAULI epistolas explanationes. *Lugduni.* 1612. FRANCISCUS TITELMANNUS, ordinis fratrum minorum. Elucidatio in omnes epistolas Apostolicas. *Antverpiæ.* 1528. FRANCISCUS TOLETUS, e societate Jesu S. R. E. Presbyter Cardinalis. Commentarii et Annotationes in epistolam Beati PAULI Apostoli ad Romanos. *Lugduni.* 1603. Addantur his interpretes passim omnibus cogniti, GUILIELMUS ESTIUS, CORNELIUS A LAPIDE, et AUGUSTINUS CALMETUS.

Acatholici. PHIL. MELANCHTON. Annotationes in epistolam PAULI ad Romanos. *Argentorati.* 1540. CALVINUS. In omnes PAULI Apostoli commentarii. Denuo edidit THOLUCK. *Halis Saxonum.* 1831. BEZA. Annotationes majores in N. T. (in epistolas apostolicas). Anno 1594. sine loco editionis. PHILIPPUS A LIMBORCH. Commentarius in acta Apostolorum, et in epistolas ad Romanos et ad Hebræos. *Roterodami.* 1711. Addantur qui *Criticorum sacrorum* vol. VII continentur interpretes catholici et acatholici, VALLA, ERASMUS, ZEGERUS, GROTIUS, DRUSIUS, ceteri.

C. *Recentissimi.*

Catholici. Commentar über des Apostel PAULUS Sendschreiben an die Römer, von Dr HEINRICH KLEE. *Mainz.* 1830. Commentar zum Briefe an die Römer. Von Dr FR. X. REITHMAYR, *Regensburg.* 1845. Commentar über den Brief PAULI an die Römer von Dr ADALBERT MAIER, *Freiburg in Breisgau.* 1847.

Acatholici. CHR. BOEHME Epistola ad Romanos gr. cum Commentario perpetuo. *Lipsiæ.* 1806. Auslegung des Briefes PAULI an die Römer von F. A. THOLUCK. *Berlin.* 1824. A commentary on the epistle to the Romans, by MOSES STUART. 3 edit. *London.* 1836. PAULI ad Romanos epistola. Recensuit et cum commentariis perpetuis edidit C. F. FRITSCHE. *Halis Saxonum.* 1836. Kurze Erklärung des Briefes an die Römer von Dr. W. DE WETTE. 3 Ausg. *Leipzig.* 1841. Kritisch exegetisches Handbuch uber den Römer brief von HEINR. MEYER. *Gottingen.* 1836.

MONITUM.

Contextum Vulgatæ imprimendum curavimus secundum editionem Vaticanam anni 1598, adhibitis etiam tribus, quæ illi editioni addita fuère, correctoriis; nec verba tantùm ad illud exemplar expressimus, sed ipsam quoque, quæ ibi habetur, verborum interpunctionem servavimus. Quod ideò hic monemus, ut, si cui hæc interpungendi ratio alicubi forte minus placeat, non continuò putet ibi mendum irrepsisse typographicum. In Græco textu exprimendo secuti sumus editionem Complutensem; hic vero orationem ipsi pro nostro judicio interpunximus.

CAPUT PRIMUM.

ARGUMENTUM. *Epistolæ inscriptio, quâ unà exponuntur scribentis dignitas, officium, et auctoritas ad docendum eos, ad quos scribit; cui inscriptioni additur votum Apostolicum, quo illis a Deo Patre et Domino Jesu Christo gratiam et optima quæque apprecatur* (1-8). *Deinde epistolam orditur a significando Romanis, se Deo gratias agere ob fidem eorum minime vulgarem; de quo pio erga eos affectu quo minus dubitent, interposito juramento affirmat, se continuos pro illis preces Deo adhibere, atque inter alia et hoc ab eo precari, ut sibi aliquando liceat illos invisere; nam magno se eos videndi teneri desiderio. Quod quidem desiderium quam serium sit inde probat, quod notum illis facit, se jam sæpenumero cepisse consilium illos adeundi, nec per se stetisse quominus jam dudum ad illos venisset. Ibi autem dicit se ideo jam sæpenumero animo destinasse Romanos adire, ut nempe pro Apostolico labore illis impendendo nonnihil mercedis cœlestis sibi compararet inter illos, quemadmodum hanc sibi comparare studeret inter reliquas gentes. Præterea declarat, se, quum ex injuncto sibi munere Apostolatûs gentibus sine discrimine omnibus prædicare Evangelium deberet, usque paratissimum esse, quod ad se quidem attineret, ad hoc præstandum etiam Romæ; neque enim se, quod Evangelium ibi pro re stulta haberetur, pudore quodam prohiberi quominus id faceret; se enim nequaquam de Evangelio erubescere; tantum enim abesse ut Evangelium sit contemtibile quid adeoque erubescendum, ut contra sit divina quædam res et quantivis pretii æstimanda; quod probat dicendo quid rei sit Evangelium; quam definitionem dum explicat, simul aperit præcipuum totius Epistolæ argumentum, scilicet, Justificationem esse donum Dei illudque gratis dari per fidem, non vero ex ullo operum merito* (8–18). *Hoc thema cur potissimum tractaret, causa erat, quia Romani, tam qui ex Judæis quam qui ex Gentilibus Christiani facti fuerant, de Justificatione non satis recte sentirent; quod quidem inde constabat quod inter se, quique pro sua gente, contenderent de meritis ob quæ vocati fuissent ad Christi fidem et gratiam. Ab hoc ergo errore refellendo tractationis suæ exordium sumens Apostolus, ostendit tam Gentiles quam Judæos esse peccatores; ex quo consequebatur eos, qui tam ex his quam ex illis adepti essent justificationem, eamdem fuisse adeptos ex gratuito Dei dono, minime vero, ut non sine fastu inter se contendebant, ex suæ cujusque gentis meritis. Itaque probaturus quod assumpserat, scilicet tam Gentiles quam Judæos esse peccatores, primo loco illud ostendit de Gentilibus. Quos arguit Deum cognovisse, nec tamen, ut fas erat, illum coluisse; atque hinc in turpissimam idololatriam delapsos, mox in nefaria quævis scelera scienter proruisse* (18-32).

ỷ. 1—7. Paulus, servus Jesu Christi, vocatus Apostolus, segregatus in Evangelium Dei, quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis [3] de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem, [4] qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri: [5] per quem accepimus gratiam, et Apostolatum ad obediendum fidei in omnibus Gentibus pro nomine ejus, [6] in quibus estis et vos vocati Jesu Christi: [7] omnibus qui sunt Romæ, dilectis Dei, vocatis sanctis. Gratia vobis, et pax à Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo.

ỷ.1—7. *Παῦλος, δοῦλος Ἰησοῦ Χριστοῦ, κλητὸς ἀπόστολος, ἀφωρισμένος εἰς εὐαγγέλιον Θεοῦ, [2] ὃ προεπηγγείλατο διὰ τῶν προφητῶν αὐτοῦ ἐν γραφαῖς ἁγίαις, [3] περὶ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, τοῦ γενομένου [a]) ἐκ σπέρματος Δαυὶδ κατὰ σάρκα, [4] τοῦ ὁρισθέντος [b]) υἱοῦ Θεοῦ ἐν δυνάμει κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν, Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Κυρίου ἡμῶν, [5] δι' οὗ ἐλάβομεν χάριν καὶ ἀποστολὴν εἰς ὑπακοὴν πίστεως ἐν πᾶσι τοῖς ἔθνεσιν ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος αὐτου, [6] εν οἷς εστὲ καὶ ὑμεῖς κλητοὶ Ἰησοῦ Χριστοῦ, [7] – Πᾶσι τοῖς οὖσιν ἐν Ῥώμῃ ἀγαπητοῖς Θεοῦ, κλητοῖς ἁγίοις. Χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη ἀπὸ Θεου πατρος ἡμῶν, καὶ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ.*

Paraphrasis. Paulus, minister Jesu Christi, Apostolus non humanâ delegatione sed vocatione divinâ, selectus ad promulgandum lætum illud Dei Patris nuncium, quod per Prophetas suos in Scripturis sacris dudum ante promiserat de Filio suo (qui factus ex semine David secundum naturam humanam, esse Dei Filius declaratus est per potentiam a Spiritu sancto exsertam ex quo a mortuis resurrexit), de Jesu Christo Domino nostro, per quem accepimus gratiam et Apostolatum, ad procurandum ut in gloriam nominis ejus præstetur obedientia doctrinæ fidei apud omnes gentes, inter quas numerandi estis etiam vos superna vocatione effecti Jesu Christi fideles),— Omnibus Romæ commorantibus Dei dilectis, superna vocatione sanctis. Sit vobis gratia et omne bonum a Deo Patre nostro et a Domino Jesu Christo.

VARIANTES LECTIONES.

a) Post γενομενου reperitur additum αυτῳ, sed tantum inter lectiones Velesianas. Tertullianus, Augustinus, et Hilarius (apud Sabbatier) non legunt *ei* hoc loco.

b) Pro ὁρισθεντος est in versionibus Italâ et Vulgata vox *prædestinatus*, unde factum est ut ita legerint plerique Latini. Fieri certe potuit ut istarum versionum auctores pro ὁρισθέντος legerint προορισθεντος, sed, quum vox *destinatus* reapse notione non differat a *prædestinatus*, potuerunt etiam, etsi ὁρισθεντος legissent, pro verbo Simplici maluisse adhibere Compositum. Quidquid sit, lectio προορισθεντος in nullo græco codice occurrit, ut nec in ulla antiqua versione, exceptis Itala et Vulgata. Ad hæc, Patres Græci et Interpretes antiqui constanter legerunt ὁρισθεντος, non προορισθεντος. Sic tamen legisse videntur Theodotiani apud Epiphanium (Hæres. 54); et Marcellus Ancyranus quòd scripsisset προορισθεντος, adulteratæ Scripturæ accusatur ab Eusebio (Lib. 2. contra Marcell. Cap. 2).

℣. 1. *Paulus, servus Jesu Christi, vocatus Apostolus, segregatus in Evangelium Dei*). Ecclesia Romana nec condita fuerat a Paulo, nec is hactenùs umquam Christianos Romanos inviserat. Ergo de re religiosa ad illos nunc primùm scripturus, principio quænam sit scribentis et *dignitas* et *officium* significat, vocando se *servum Jesu Christi*, *vocatum Apostolum*, *segregatum in Evangelium Dei;* per quæ verba unà jam insinuat, se habere ad eosdem docendum *potestatem;* quam et apertissimis verbis mox (℣℣. 5. 6.) declarat dum adjicit, *fuisse sibi ab ipso Jesu Christo collatam dignitatem et officium Apostolatûs, huncque non ad unum aliquem populum, sed ad gentes omnino omnes; atque adeo etiam Romanos suo Apostolatui a Jesu Christo fuisse subjectos.*

servus Jesu Christi). Quum ergo Apostolus significare velit quænam sit sua *dignitas* et *officium*, quod Jesu Christi *servum* (δουλον) se vocat, id sumendum non est eo sensu, quo Christiani omnes, quotquot Christo obedientiam præstamus, ipsius vocamur *servi* (δουλοι Ιησου χριστου, δουλευοντες τῳ Χριστῳ)[1]; verum *servum* hoc loco sese Paulus appellat, quod cum Estio dicimus, *propter ministerium verbi, in quo serviebat Christo Domino.* Quam servitutem Apostolus quoque significat, quum de Timotheo dicit (ad Philipp. Cap. II. 22): *Sicut patri filius, mecum serviit in Evangelio;* unde et in epistolæ initio Timotheum sibi in hoc genere servitutis adjungit: *Paulus et Timotheus*, inquit, *servi* (δουλοι) *Jesu Christi.* Eodem sensu vox δουλος legitur etiam Galat. I. 10. Tit. 1. 1., alibi; tandem eo quoque sensu Moses et Prophetæ antiqui passim (Deuteron. XXXIV. 5. Josue I. 1. Jerem. Cap. XXV. 4) dicti sunt עַבְדֵי יְהוָה *servi Jehovæ.* Cf. quæ notavimus ad Philipp. Cap. I. 1.).

vocatus Apostolus). Græce κλητος αποστολος, *een geroepen Apostel.* Hisce verbis Apostolus significat *qualis* sit Christi *minister* (δουλος); quasi dicat: Paulus, *minister* Jesu Christi, et quidem Apostolus, isque talis qui non secus ac Petrus, Andreas, ceteri, ad summam in Evangelico ministerio dignitatem et officium, ab ipso Domino sum vocatus. Videlicet nomen *Apostoli* a Christianis tunc temporis tribuebatur non tantum iis, qui *proxime ab ipso Domino* vocati fuerant ad Apostolatum, verum etiam illis qui *proxime ab homine* instituti, episcopali charactere et officio eminerent; [2] probe tamen sciebant

---

(1) Cf. Ephes. Cap. VI. 6. Rom. Cap. XIV. 18. XVI. 18. Apocalyps. Cap. II. 20.

(2) Ipse Paulus mihi videtur hoc docere, dum se proclamat (Galat. Cap. I. 1.) *Apostolum, non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum.* Nam hæc verba omnino indicare videntur, Apostoli nomen primæva illa ætate etiam iis tributum fuisse, quibus ex *humana* delegatione officium incumberet Apostolatui non absimile. Sed præstabit, quæ diximus, Antiquorum firmasse auctoritate. Audiatur primo loco B. Theodoretus, qui (in Ep. ad Philippenses Cap. I. ℣. 1.) docet, eos, qui nunc dicuntur *episcopi*, quales Apostolorum ævo erant Titus et Timotheus, tunc vocatos fuisse *Apostolos.* «Επισκοπους,» inquit, τους πρεσβυτερους καλει· αμφοτερα γαρ ειχον κατ' εκεινον τον καιρον τα ονοματα. Και τουτο ἡμας και ἡ των πραξεων ἱστορια διδασκει. Ειρηκως γαρ ὁ μακαριος Λουκας, ὡς εις την Μιλητον τους Εφεσιων μετεπεμψατο πρεσβυτερους ὁ θειος αποστολος, λεγει και τα προς αυτους ειρημενα· Προσεχετε γαρ, φησιν, ἑαυτοις και παντι τῳ ποιμνιῳ, εν ῳ ὑμας εθετο το πνευμα το ἁγιον επισκοπους, ποιμαινειν την εκκλησιαν του Χριστου. Και τους αυτους και πρεσβυτερους και επισκοπους ωνομασεν. Οὑτω και εν τῃ προς τον μακαριον Τιτον επιστολῃ· Δια τουτο κατελιπον σε εν Κρητῃ, ἱνα καταστησῃς κατα

quantum hi ab illis dignitate, officio et auctoritate distarent; uno verbo, noverant discernere *κλητους Αποστολους* ab iis quibus hoc epitheton non competeret. Etiam hi *Apostoli* vocabantur, et suo modo erant, sed non erant *κλητοι αποστολοι*, *vocati Apostoli;* erant tales *humana* delegatione et proxime *per hominem*, non proxime *per Jesum Christum*. Paulus vero erat, ut scribit ad Galatas (Cap. I. 1.), *Apostolus non ab hominibus*, *neque per hominem*, *sed* PER *Jesum Christum;* quod ipsum hic quoque (℣. 5) expressius declarat, dicendo: PÉR *quem* (Jesum Christum) *accepimus gratiam et Apostolatum*.

πολιν πρεσβυτερους, ὡς εγω σοι διεταξαμην. Και ειπων ὁποιους ειναι χρη τους χειροτονουμένους, επηγαγε· Δει γαρ τον επισκοπον ανεγκλητον ειναι, ὡς Θεου οικονομον. Και ενταυθα δε δηλον τουτο πεποιηκε. Τοις γαρ επισκοποις τους διακονους συνεζευξε, των πρεσβυτερων ου ποιησαμενος μνημην. Αλλως τε ουδε οἱον τε ην πολλους επισκοπους μιαν πολιν ποιμαινειν· ὡς ειναι δηλον, ὁτι τους μεν πρεσβυτερους επισκοπους ωνομασε. Τον δε μακαριον Επαφροδιτον εν αυτη τη επιστολη αποστολον αυτων κεκληκε. Ὑμων γαρ, φησιν, αποστολον, και συνεργον της χρειας μου. Σαφως τοινυν εδιδαξεν, ὡς την επισκοπικην οικονομιαν αυτος επεπιστευτο εχων αποστολου προσηγοριαν « *Episcopos* appellat presbyteros; utrumque enim nomen habebant illo tempore. Idque nos etiam docet Actuûm historia. Cum enim dixisset Beatus Lucas, divinum Apostolum Ephesiorum presbyteros accersivisse Miletum, exponit etiam quæ illis dicta fuerant: *Attendite,* enim inquit, *vobis ipsis, et universo gregi, in quo vos posuit Spiritus sanctus episcopos, pascere ecclesiam Christi.* Eosdemque nominavit presbyteros et episcopos. Ita etiam in epistola ad beatum Titum: *Ideo reliqui te in Creta, ut constituas per civitates presbyteros, ut ego tibi disposui.* Et cum dixisset, quales esse oporteat eos qui ordinantur, subjunxit: *Oportet enim episcopum sine crimine esse, Dei dispensatorem.* Atque hoc etiam loco id manifestum fecit; episcopis enim conjunxit diaconos, nulla presbyterorum facta mentione; præsertim cum fieri non posset ut multi episcopi essent unius civitatis pastores; ut liquido pateat, presbyteros eos fuisse, quos nominavit episcopos. Beatum porro Epaphroditum in epistola ipsa eorum appellavit apostolum: *Vestrum,* enim inquit, *apostolum et necessitatis meæ adjutorem.* Aperto ergo docuit episcopale munus ipsi fuisse creditum, cum appellationem haberet apostoli.

Idem in cap. 3. *Ep. I ad Timoth. ad* ℣. 1, *hæc habet.* Τους αυτους εκαλουν ποτε πρεσβυτερους και επισκοπους· τους δε νυν καλουμενους επισκοπους, αποστολους ωνομαζον. Του δε χρονου προϊοντος, το μεν της αποστολης ονομα τοις αληθως αποστολοις κατελιπον· την δε της επισκοπης προσηγοριαν τοις παλαι καλουμενοις αποστολοις επεθεσαν· ούτω Φιλιππησιων αποστολος ὁ Επαφροδιτος ην· Ὑμων γαρ, φησιν, αποστολον, και συνεργον της χρειας μου· οὑτω Κρητων ὁ Τιτος, και Ασιανων ὁ Τιμοθεος αποστολοι. οὑτω απω των Ιεροσολυμων τοις εν Αντιοχεια εγραψαν οἱ αποστολοι και οἱ πρεσβυτεροι. ». h. e. Eosdem olim vocabant presbyteros et episcopos; eos autem qui nunc vocantur episcopi, apostolos nominabant. Procedente autem tempore, *Apostolatûs* nomen reliquerunt iis, qui vere erant Apostoli; episcopatûs autem appellationem imposuerunt iis, qui olim appellabantur Apostoli. Ita Philippensium apostolus erat Epaphroditus: *Vestrûm*, enim inquit, *Apostolum, et adjutorem necessitatis meæ;* ita Cretensium Titus, et Asianorum Timotheus Apostoli: ita ab Hierosolymis iis qui erant Antiochiæ scripserunt apostoli et presbyteri ».

Audiatur et Joannes Darensis Syrus, qui floruit sæculo V ineunte, teste Abrahamo Ecchellensi, Maronita e Libano (in suo *Eutychio vindicato*, Part. I, quæ est de *Alexandriæ Ecclesiæ originibus*, pag. 191); Hic ergo Darensis exponens Caput 3. Epist. 1 ad Timotheum hæc habet:

« Prisco itaque illo tempore, inquit, quilibet presbyter duobus cognominabatur nominibus, Presbyteri scilicet et Episcopi. Presbyteri enim vocabantur honoris causâ juxta morem illum Judæorum qui honoratiores et archisynagogos vocabant presbyteros, uti passim in Evangelio scriptum occurrit. Apellabantur item presbyteri propter populi procurationem, quandoquidem procurationem et sollicitudinem populi hoc nomen denotat. Quod autem episcopi appellati fuerint ipsi presbyteri, notum fit ex eo, quod scriptum est: *Misit autem Paulus, et adduxit Presbyteros Ecclesiæ Ephesi.* Et cum processisset in sua narratione, subjunxit, ipsismet dicens: *Attendite gregi, in quo constituit vos Spiritus sanctus episcopos.* Eos autem ipsos, quos superius vocaverat *presbyteros*, demum hic episcopos appellat. Hinc igitur planum fit, presbyteros fuisse episcopos quoque nominatos. Episcopi vero quinque nominibus appellati sunt: nimirum *apostoli, presbyteri, principes sacerdotum, sacer-*

Nulla in re Paulus inferior erat ceteris Apostolis ; nam quum resuscitatum Dominum vidisset, (Act. IX. 3-28. XXVI. 14-18.-1. Cor. IX. 1. XV. 8), ipse quoque testis erat resurrectionis ejusdem ; ad hæc, doctrinam Evangelicam, ut ceteri Apostoli, ita et ille ab ipso Domino per varias revelationes fuerat edoctus (Gal. Cap. I. 12. Act. XXVI. 16.) ; tandem, sicut illis, ita et Paulo ipse Dominus contulerat Apostolatum in omnes gentes. Act. IX. 15. XXII. 15. XXVI. 16-19.

segregatus in Evangelium Dei). Ut præcedentia verba , *servus* Jesu Christi, *vocatus*

---

dotes, et ministri. Et hoc quidem duabis de causis. Primò, quia inferiorum officia habent. Secundò, quia functiones horum omnium ordinum ipsi perficiunt. Quod autem vocarentur *apostoli*, Actorum liber pluribus in locis demonstrat. Quod vero *presbyteri* nuncuparentur, in sua catholica epistola indicat Petrus: *Obsecro ergo*, inquit, *presbyteros, qui in vobis sunt*, EGO COMPRESBYTER VESTER ; qui cum esset Apostolus et Episcopus, presbyterum se vocat. Paulus etiam scripsit Timotheo : *Ne contemnas gratiam, quæ tibi data est per impositionem manûs presbyterii ;* presbyterium autem hic ipsum appellat episcopatum, quem ille (Timotheus) susceperat a Paulo, et iis, qui cum illo aderant, per impositionem manuûm factam Timotheo. Quemadmodum etiam Jacobus cum Petro et Joanne manus imposuerunt fratri Domini nostri, uti tradunt Clemens et Eusebius; quod quidem et Canones Apostolorum, qui per Hippolytum, præcipiunt. *Sacerdotes* autem vocabantur, tum quod alios constituebant sacerdotes, tum quod et ipsi sunt constituti sacerdotes, et sacerdotalibus mysteriis funguntur. *Principes vero sacerdotum* (vocabantur), quia principes et rectores sunt illorum, qui sacerdotale obeunt munus. Quod autem *ministri* vocati fuerint, beatus Paulus testatur. Est enim ubi dicit : *Cui* MINISTRO *in Spiritu in evangelio filii ejus*. Et est ubi dicit : *Ego qui sum Apostolus gentium*, MINISTERIUM *meum honorificabo*. Et est ubi dicit : *Si enim* MINISTRI *sunt Christi, sum ego plus quam illi ;* ubi se *ministrum* appellat. Ex quo planum fit nomina hæc antiquitus confusa fuisse.

Deinde addit hæc : Quandoque tamen distincte nominabantur; et illi, qui potestatem habebant constituendi sacerdotes, *apostoli* nominabantur; illi vero, qui nunc *presbyteri* dicuntur, *episcopi* quoque vocabantur. At postquam e vivis emigraverant primi Apostoli, hujus denominationis puduit eos, qui post ipsos sunt constituti sacerdotes, propter illius honorabilitatem ; et idcirco a nomine *Apostolorum* se abstinuerunt, et *episcopi* dumtaxat vocabantur, presbyteris presbyterorum nomen tantummodo relinquentes.— Apud Ecchellensem, in opere supra laudato p. 193.

Quæ postremo loco ex Darensi recitavi, quum ad rem nostram imprimis faciant, Syriace hic subjicio :

ܐܦܠܐ ܕܝܢ ܕܡܬܦܪܢܣܢܘܬ ܡܬܩܪܝܢ ܗܘܘ : ܗܠܝܢ ܕܐܝܬ ܗܘܐ ܠܗܘܢ ܫܘܠܛܢܐ ܠܡܥܒܕ ܟܗܢܐ . ܫܠܝܚܐ ܡܬܩܪܝܢ ܗܘܘ : ܗܠܝܢ ܕܗܫܐ ܩܫܝܫܐ ܡܬܩܪܝܢ . ܐܦ ܐܦܝܣܩܘܦܐ ܡܬܩܪܝܢ ܗܘܘ . ܡܢ ܒܬܪ ܕܝܢ ܕܫܢܝܘ ܡܢ ܗܪܟܐ ܫܠܝܚܐ ܩܕܡܝܐ . ܗܠܝܢ ܕܡܢ ܒܬܪܗܘܢ ܐܬܥܒܕܘ . ܟܪܝܗ ܠܗܘܢ ܗܢܐ ܫܘܡܗܐ ܡܛܠ ܝܩܪܗ . ܘܐܦܠܐ ܡܢ ܫܡܐ ܕܫܠܝܚܐ . ܘܐܦܝܣܩܘܦܐ ܒܠܚܘܕ ܡܬܩܪܝܢ . ܠܩܫܝܫܐ ܕܝܢ ܐܫܒܩܘ ܠܗܘܢ ܫܡܐ ܕܩܫܝܫܐ ܒܠܚܘܕ ܀

Joanni Darensi, inquit Ecchellensis, totidem fere verbis adstipulatur Maro, Tract. 1. Commentar. in Liturgiam S. Jacobi Cap. 6, et utrique succinit Ambrosius (?) in Ep. 1. ad Timotheum (apud Amalarium) hisce verbis : « *Beatis vero*, inquit, *Apostolis decedentibus, illi qui post illos ordinati sunt, ut præessent ecclesiis, illis primis exæquari non potuerunt, neque miraculorum testimoniis pares illis haberi, sed et multis aliis inferiores illis esse videbantur ; quare grave existimarunt Apostolorum sibi vindicare nuncupationem. Diviserunt ergo nomina ipsa, et Presbyteris Presbyterii nomen reliquerunt. Alii vero Episcopi sunt nuncupati, hi, qui ordinationis præditi erant potestate.* »

Apostolus, Pauli *dignitatem* potius exprimunt quam ejusdem *officium*, ita hæc, *αφωρισμενος εις ευαγγελιον Θεου*, *officium* ejus designant potius quam *dignitatem*. *Αφοριζειν* (ab *απο* et *ὁριζειν*) est *suis limitibus circumscribere*, *determinare*; hinc *separare*, *deligere* (*τινα εις τι*) *aliquem ad aliquid*, quo sensu legitur Gal. Cap. I. 15. (LXX) Levitic. Cap. XX. 26, et Jerem. Cap. I. 5. eoque sensu vox *αφωρισμενος* etiam hoc loco sumenda est, quum præcedenti voci *κλητος* tamquam æquipollens quædam vox jungatur. Quod autem additur *εις ευαγγελιον Θεου*, eo exprimitur *finis* istius *αφορισμου* (1). Itaque *separatus* sive *selectus* fuit *ad hoc* (*εις*) UT PRÆDICARET *Dei Evangelium*; nam *εις το ευαγγελιον Θεου* tantumdem est ac *εις το ευαγγελισασθαι ευαγγελιον Θεου*. Cf. 2. Cor. XI. 7. Præpositio *εις* hoc sensu legitur etiam infra Cap. IX. 17. XIV. 9. De absentia Articuli ante vocem *ευαγγελιον* vide Win. § 18. 2. *Θεου* Genitivus est non *objecti*, sed *subjecti* sive *originis* (2) ut 2 Cor. XI. 7. 1 Thessal. II. 2. 8. 9. *Deus* autem ut ad Hebr. Cap. I. 1. intelligendus est *Deus Pater*, ut patet ex addito: *de filio suo*. Apostolus quid intelligat *Evangelium Dei* a se prædicandum, declarat addendo:

℣. 2. 3. *Quod ante promiserat per Prophetas suos in scripturis sanctis de Filio suo*). Nolim voces *περι του ὑιου αὐτου* proxime jungere cum vocibus (℣. 1) *ευαγγελιον Θεου*, quasi PAULUS sibi voluisset: *evangelium Dei de filio suo*. Ratio est, quia nuspiam nec vox *ευαγγελιον*, nec verbum *ευαγγελιζειν* cum Præpositione *περι* construitur. Jungimus ergo cum *ὁ προεπηγγειλατο*, quod ordo verborum quoque postulat. Quod hic (℣. 3) dicitur *ὑιος αὐτου*, *filius ejus*, sumendum id est de Filio Dei *secundum utramque naturam*. Patet hoc tum ex ea, quæ additur, personæ ejus *definitione* (*του γενομενου — νεκρων*) tum etiam ex illo (℣. 4) *Ιησου Χριστου του Κυριου ἡμων*, quo ad modum emphaticæ Appositionis, *pleno* suo nomine designatur is, qui intelligitur in verbis *περι του ὑιου αυτου*. (3) Quocirca observandum est Genitivum *Ιησου Χριστου του κυριου ἡμων* pendere ab eâdem Præpositione *περι*.

Evangelium autem sive *bonum* illud Dei Patris *nuncium quod circa Filium suum* PER PROPHETAS SUOS promiserat, intelligitur *reconciliatio humani generis cum Deo per filium ejus Jesum Christum* efficienda. Cf. 2 Cor. Cap. V. 18—21. Hæc reconciliatio diu ante quam fieret divinitus per Prophetas in Scripturis fuerat promissa; eamque Jesu Christi sanguine nunc partam annunciare, atque ad eam participandam gentes omnes adducere, Apostolorum erat officium; et ad hoc præstandum, ut reliqui duodecim Apostoli, ita

---

(1) THEOPHYL. (ad h. l.): Αφορισμενος εις ευαγγελιον Θεου, τουτεστι, αποκεκληρωμενος εις του Ευαγγελιου διακονιαν. — Sed quando *segregatus* fuit Paulus? Tunc cum a Christo ad Apostolatum fuit *vocatus*. Act. Ap. Cap. XXVI. 15-21. Nequit enim hic intelligi nec ea *segregatio*, de qua agitur in epistola ad Galatas, Cap. 1. v. 15; nec ea, de qua sermo est Act. Cap. XIII. 2.

(2) THEOPHYLACTUS (ad h. l.): Το δε ευαγγελιον τουτο, του Θεου εστι, τουτεστι, του Πατρος, και ὡς δωρηθεν παρ' αυτου.

(3) Obscura est hoc loco Vulgata. Causa est, quia Interpres non videtur animadvertisse Genitivum Ιησου Χριστου του Κυριου ἡμων pendere a præcedente (℣. 3.) Præpositione περι. Si pro *Jesu Christo Domino nostro* scripsisset *de Jesu Christo Domino nostro*, perspicua fuisset ejus oratio.

et PAULUS fuerat segregatus : *Et dedit nobis*, inquit, *ministerium reconciliationis.* 2 Cor. V. 18.

ỷ. 3—4. *Qui factus est ei ex semine David,* etc.) Promissum illum humani generis cum Deo Reconciliatorem oracula Prophetarum exhibuerant tamquam Deum - hominem, et quidem secundum humanam ejusdem naturam, ex DAVIDE oriundum. Talem autem esse JESUM NAZARENUM parenthetica illa descriptione (ỷ. 4 et 5) PAULUS innuit; idque fecerit, opinor, ex fine quodam Apologetico, ad firmandum JESUM NAZARENUM esse promissum Messiam.

Ergo 1° dicitur *factus* (ὁ γενομενος in Aor. 2. Belgicè : *de geworden*e), *quod attinet ad naturam ejus humanam* (κατα σαρκα), *ex semine* (εκ σπερματος), i. e. ex progenie DAVIDIS, puta ex substantia B. Virginis MARIÆ, filiæ DAVIDIS, idque omnipotenti Spiritûs sancti virtute, absque semine maritali ; ut adeò is (verbis utor Concilii Carthaginensis Quarti), *qui erat in divinitate Dei Patris filius, ipse factus sit in homine, hominis matris filius, Deus verus ex Patre, homo verus ex matre, carnem ex matris visceribus habens, et animam humanam rationalem.*

2° dicitur ὁρισθεις υἱος Θεου εν δυναμει κατα πνευμα ἁγιωσυνης εξ αναστασεως νεκρων. Quæ verba ad divinam JESU CHRISTI naturam esse referenda, id quidem constat inter Catholicos omnes ; sed in interpretando hoc loco non conveniunt. B. THEODORETUS verba Apostoli sic explicat : *definitus* (ὁρισθεις) *ac plenissimè demonstratus est Dei esse Filius per potentiam* (εν δυναμει) *quæ a sancto Spiritu exercebatur* (κατα πνευμα ἁγιωσυνης) *post ejus a mortuis resurrectionem* (εξ αναστασεως νεκρων) (1). Sentit ergo THEODORETUS, PAULUM hoc loco sibi voluisse, JESUM CHRISTUM, quem Filium Dei esse Apostoli prædicabant, revera esse talem, plenissimè demonstratum fuisse per miracula, virtute Spiritûs sancti ad ipsius nominis invocationem patrata ex eo inde die quo a mortuis resurrexisset. — Quam interpretationem quum ceteris prætulerim, nonnullis rationibus firmare conabor.

Et primùm quidem observo, non esse cur ὁρισθεις hoc loco reddatur *constitutus*, ut nonnullis placuit ; nam quod ὁριζειν hoc sensu sumitur Act. X. 42, inde effici nequit etiam in præsenti loco ὁριζειν eodem sensu esse sumendum. Ratio est, quia ibi (Act. X. 42.) jungitur cum Nomine quod *dignitatem* aliquam sive *officium* exprimit; contra, in præsenti loco ὁριζειν jungitur cum υἱος Θεου, quo non dignitas aliqua aut officium sed *natura* quæpiam denotatur, uti patet vel ex antithesi illa κατα σαρκα. Ergo non est hujus et istius loci eadem ratio.

Primaria verbi ὁριζειν notio est *definire*, quæ etiam hic retinenda est. Dicitur ergo CHRISTUS *definitus filius Dei.* Sed ὁρισμος ille dicitur factus per miracula virtute Spi-

(1) B. THEODORETUS ad h. l. « Ενταυτα, inquit, εδιδαξεν ὁ θειος Αποστολος, ὁτι κατα σαρκα του Δαβιδ χρηματισας ὑιος, ὡρισθη και απεδειχθη του Θεου υἱος, δια της ὑπο του παναγιου Πνευματος ενεργουμενης δυναμεως μετα την εκ νεκρων αναστασιν αὐτου. « *Docuit hic divinus Apostolus, quod qui filius David secundum carnem dictus est, definitus et demonstratus est Dei Filius per potentiam quæ a sancto Spiritu exercebatur post ejus a mortuis resurrectionem.* »

ritûs sancti ad nominis Jesu invocationem patrata, adeòque non *verbalis* intelligitur definitio sed *realis*. Atqui *realis* istiusmodi definitio quid aliud est quam quædam *manifesta* declaratio? Atque hoc sensisse mihi videntur Græci interpretes, qui omnes, quod sciam, voci ὁρισθεντος notionem *declarationis* aut huic similem subjecerunt. Et B. Theodoreto quidem ὁρισθεντος tantumdem est ac αποδειχθεντος. S. Chrysostomus vocabulum ὁρισθεντος interpretatur δειχθεντος, αποφανθεντος, κριθεντος, ὁμολογηθεντος. Theophylacto et Oecumenio ὁρισθεντος est αποδειχθεντος, βεβαιωθεντος. Quibus omnibus præiverat Syrus Interpres qui voces ὁρισθετος υἱος Θεου reddidit ܘܐܬܝܕܥ ܒܪܐ ܕܐܠܗܐ *et cognitus est filius Dei*.

Jam quod attinet ad verba εν δυναμει κατα πνευμα ἁγιωσυνης, Theodoretus hæc in unam sententiam conjungit ita, ut illas voces habeat pro quadam Periphrasi Genitivi, illudque εν δυναμει κατα πνευμα ἁγιωσυνης ipsi tantumdem sit ac εν δυναμει πνευματος ἁγιου. In quo nihil video quod jure reprehendi possit. Simili modo Apostolus pro ἡ δικαιοσυνη πιστεως (Rom. IV. 13) alibi (Hebr. XI. 7) scripsit ἡ κατα πιστιν δικαιοσυνη. Ad hæc, solenne illi est, ubi de patratis miraculis loquitur, voces δυναμιν et πνευμα ἁγιον conjungere. Cf. Rom. XV. 19. I Cor. II. 4. Gal. III. 5. — I Thess. 1. 5. — Hebr. II. 4.

Postrema hujus loci verba, ἐξ αναστασεως νεκρων, in eum sensum cepit Theodoretus ut illi valeant μετα την εκ νεκρων αναστασιν αυτου. In quo pariter nihil est improbandum. Nam quin hìc dictum sit αναστασις νεκρων pro εκ νεκρων, ut est I Petr. I. 3., nemo dubitat, quum hic non agatur de universali hominum resurrectione; et Præpositionem εκ etiam adhiberi de *tempore ex quo*, valereque *inde a*, quamquam Estius negavit, tamen certissimum est. Vide Matth. XIX. 20. Act. IX. 33. Gal. I. 15.

S. Chrysostomus, quem Theophylactus, Oecumenius, et recentiores plerique sequuntur, præsentem locum sic intelligit, ut sentiat Apostolum *tria* proferre *argumenta*, quibus Jesus Christus *demonstratus sit* (ὁρισθεις) esse Filius Dei; scilicet 1° εν δυναμει, quo intelligit *miracula quæ patravit;* 2° κατα πνευμα ἁγιοσυνης, quod interpretatur *de Spiritu sancto quem dedit credentibus in se;* 3° ἐξ αναστασεως νεκρων, quod sumit *de potentia, qua se ipse a mortuis excitavit.* (1)

---

(1) S. Chrys. (Hom. 1. in Ep. ad Rom.): Ποθεν δε, ὁτι και ὑιος Θεου εστιν οὑτος ὁ σαρκωθεις;.... Τριτον, απο των θαυματων ὡνπερ επραττε, πολλης δυναμεως αποδειξιν παρεχομενος· τουτο γαρ εστιν, Εν δυναμει. Τεταρτον απο του Πνευματος, ὁπερ εδιδου τοις πιστευουσιν εις αυτον, και δι' ου παντας ἁγιους εποιει· διο φησι· Κατα Πνευμα ἁγιωσυνης· Θεου γαρ ην μονου τα τοιαυτα δωρα χαριζεσθαι. Πεμπτον, απο της αναστασεως Κυριου· πρωτος γαρ οὑτος και μονος ἑαυτον ηγειρεν· ὁπερ και αυτος μαλιστα παντων εφησεν ειναι σημειον ἱκανον και τους αναισχυντουντας επιστομισαι. Λυσατε γαρ, φησι, τον ναον τουτον, και εν τρισιν ἡμεραις εγερω αυτον. h. e. « Undenam vero (apertum est), quod hic incarnatus etiam Filius Dei est?.... Tertiò, a miraculis, quæ patravit, magnæ potentiæ argumentum præbens; hoc enim sibi vult illud, *In virtute.* Quartò, a Spiritu, quem dedit credentibus in se, et per quem omnes sanctos effecit; ideo ait: *Secundum Spiritum sanctificationis.* Dei enim solius erat talia dona largiri. Quintò, a resurrectione Domini: hic enim primus et solus seipsum a mortuis excitavit: quod et ipse ait, signum omnium maxime idoneum esse ad impudentiores confutandos. Nam ait: *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud.*

Præpositiones illæ tres, *εν*, *κατα*, *εκ*, quo sensu in hac interpretatione a Chrysostomo adhibentur, etiam alibi in scriptis Paulinis occurrunt. Nam *εν* sic legitur infra Cap. XV; *κατα* hoc sensu occurrit I Cor. XII. 8. 9, qui locus imprimis observandus est, quum etiam ibi Apostolus Præpositiones tres, *δια*, *κατα*, *εν*, eodem sensu adhibeat; tandem Præpositionem *εν* eo sensu invenias infra Cap. X. 17. Itaque hactenùs quidem Chrysostomi illa interpretatio non habet cur minùs probetur. Sed alia duo sunt, ob quæ mihi videtur improbanda; et *primùm* quidem, quia rerum ordinem turbat, quum effusionem Spiritûs sancti, quam vult significari per voces *κατα πνευμα ἁγιωσυνης*, ponat *ante* Jesu Christi a mortuis resurrectionem; *deinde*, quia incredibile videtur, si Paulus eo loco de *effusione Spiritûs sancti* cogitasset, illum per *sola* verba illa, *κατα πνευμα ἁγιωσυνης*, hoc voluisse exprimere.

Interpretes alii, maximè ex recentissimis, verba Pauli in eam sententiam accipiunt, ut voces *εν δυναμει* habeant pro locutione adverbiali, easque reddant *potenter*. Ad hæc, statuunt esse Antithesin inter *κατα σαρκα*, quod ad humanam Christi naturam, et *κατα πνευμα ἁγιωσυνης*, quod ad divinam referunt. Porrò verba *εξ αναστασεως νεκρων* dicunt valere *per resurrectionem ex mortuis*. Ceterum in definiendâ notione vocis *ὁρισθεις* non conveniunt; nam alii cum Græcis *ὁρισθεις* interpretantur *αποδειχθεις*, alii verò Latine illud reddunt per *constitutus*. Eorum ergo hujus loci interpretatio talis est: *Qui potenter demonstratus* (vel *constitutus*) *est Dei Filius secundum naturam ejus divinam per resurrectionem ejus a mortuis.* (1)

Sed plura sunt, ut mihi quidem videtur, quæ huic interpretationi obstant. Ac *primum* quidem, quod nullo exemplo probatur vocem *δυναμις* adhiberi *etiam de vi*, ut ita dicam, *demonstrativâ;* nam qui *ὁρισθεις εν δυναμει* reddunt *potenter declaratus*, hanc potestatem voci *δυναμις* tribuunt. Locus Ep. ad Coloss. 1. 29 huc non facit. *Deinde*, si Apostolus dictionem *εν δυναμει* adverbialiter sumsisset, eam, opinor, posuisset proximè ante Verbum, scripsissetque *του εν δυναμει ὁρισθεντος υἱου Θεου*. *Porrò*, per *πνευμα ἁγιωσυνης* significari divinam naturam sive deitatem, id quidem gratis asseritur. Ex Joh. IV. 24 nullatenus id probatur; nam quod ibi dicitur *πνευμα ὁ Θεος*, eo nihil aliud significatur, nisi hoc, scilicet, *immaterialem esse Dei substantiam.* (2) Addo,

---

(1) Adalb. Maier (ad h. l.) « *Εν δυναμει*, inquit, gehört nicht zu *υἱος Θεου*, sondern ist adverbieller Beisatz zu *ὁρισθεντος*: der erwiesen würde als Gottessohn *kräftiglich*. Col. 1. 29. Das Faktische des Erweises wird mit *εκ αναστασεως νεκρων* nachbestimmt; *εκ* nicht *seit*, sondern *durch*. Vgl. Cap. III. 20. *Κατα πνευμα ἁγιωσυνης* steht dem *κατα σαρκα* entgegen, und ist gleich mit *πνευμα ἁγιον* ... Es ist aber *πνευμα ἁγιωσυνης* = *ἁγιον* hier nicht die *dritte Person* in der Gottheit ... Es ist die *göttliche Natur* des Herrn als der andre Faktor seiner Person, von welcher *πνευμα* hier zu verstehen ist; die Göttliche Natur wird damit nach ihrer Substanzialität bezeichnet; wie auch Joh. IV. 24, das Wesen der Gottheit als *πνευμα* dargestellt wird, und das adjektivische Substantiv *ἁγιωσυνης* verbindet mit der so bezeichneten göttlichen Natur die Eigenschaft der Heiligkeit, die es im absoluten Sinne ist. Also: geworden, geboren *nach seiner menschlichen Natur;* erwiesen, für Anerkennung und Glauben festgestellt als Gottessohn *nach heiliger Geistigkeit nach seiner heiligen gottlichen Natur*, *die Geist is.* Vgl. 1 Tim. III. 16. »

(2) S. Chrys. Hom. 33 in Joh.: *Ὁταν δε ειπῃ· πνευμα ὁ Θεος, ουδεν αλλο δηλοι, η το ασωματον.*

in loco, de quo agimus, non simpliciter dici *κατα πνευμα*, sed *κατα πνευμα ἁγιωσυνης*.

Latini, quum hic legerent *qui prædestinatus est Filius Dei*, verba illa Pauli in sententiam longe diversam acceperunt. « Latini interpretes, ait Petavius (*De Incarnatione* Lib. XI. Cap. XIII.), hæc verba, linguæ suæ proprietatem secuti, sic intellexerunt, ut idem ille Christus, qui ex Davidis stirpe *factus* dicitur, *prædestinatus* sit a Deo ad summam illam dignitatem Filii Dei, hoc est, divino consilio et ordinatione ad illud decus adscitus. Ex quo tota illa de Christi prædestinatione nata quæstio est. » Observat idem (*ibidem*), in hac explicanda enucleandaque prædestinatione Christi tot acutissimorum disputatorum ingeniis excogitatas esse argutias, ut difficile sit exitum invenire.

Reliquis autem hujus loci verbis (*in virtute secundum Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum*) quem sensum Latini subjiciant, et quanam ratione hanc partem Paulinæ sententiæ cum præcedente (*prædestinatus est Filius Dei*) conjungant, difficile dictu est, quum tanta in hoc loco interpretando obscuritate laborent. Sunt etiam qui Græcorum et Latinorum interpretationem in unam conjungant; quod sanè ridiculum est. Estio nullus heic Latinorum interpretum satisfacere potuit. « Latinorum interpretatio, inquit (ad h. l.), præter eam difficultatem, quam parit hic sermo, Christum *esse prædestinatum Filium Dei*, quod certe in Scripturis alibi non legitur, etiam in explicanda Syntaxi et sensu verborum sequentium: *in virtute secundum Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum*, multum laborat, nec tamen lectoris animo satisfacit. » Exemplo sit Cornelius a Lapide, qui præsentis loci hunc esse sensum statuit: « Nostræ versionis, inquit, hic est sensus: *Christus prædestinatus est Filius Dei in virtute*, id est, cum potentia divina, ut scilicet licet esset filius David secundum carnem fragilem et infirmam, haberet tamen tam potentiam quam hypostasin divinam; nimirum ut per hanc potentiam, hic homo unitus Verbo faceret miracula, remitteret peccata, sanctificaret homines: quam potentiam habuit *secundum*, id est, a natura divina qua est *Spiritus sanctificationis*, id est, fons omnis sanctitatis; vel planius, a Spiritu sancto, qui totum hoc unionis hominis cum Deo opus in Christo peregit, eumque ita sanctificavit ut illi virtutem dederit omnes sanctificandi: quæ potentia Spiritûs sancti maxime se ostendit, maximeque patuit *ex resurrectione* ex mortuis, id est, in resurrectione, qua Christus se et alios mortuos suscitavit. » Hactenus Cornelius; qui mihi quidem hic videtur non sensum verborum Pauli *exposuisse*, sed verbis Pauli sensum *imposuisse* suum.

ỳ. 5. *Per quem accepimus gratiam et Apostolatum*, etc.) Sentit S. Chrysostomus, *χαριν και αποστολην* hic dici (puta per Hendiadyn) pro *χαριν αποστολης*, *gratiam apostolatûs*. (1) Quæ interpretatio eo firmatur, quod Apostolus tum infrà (Cap. XII. 3. XV. 15),

(1) « Χαριν και αποστολην· τουτεστι, ουχ ἡμεις αυτο κατορθωσαμεν το γενεσθαι αποστολοι. ουδε γαρ καμοντες πολλα και πονεσαντες, την αξιαν ταυτην ελαχομεν, αλλα χαριν ελαβομεν, και της ανωθεν δωρεᾶς το κατορθωμα γεγονεν. » *Gratiam et Apostolatum*; id est: Non nos hoc effecimus, ut essemus Apostoli: non enim labore et opera nostra hanc dignitatem sortiti sumus, sed gratiam accepimus, et ex superno dono hoc munus datum nobis est. » S. Chrys. Hom. 1. in Ep. ad Rom.

tum alibi (Ephes. Cap. III. 8), Apostolicam suam dignitatem atque potestatem simpliciter *gratiam* (χαριν) vocat. Dicit ergo, se Apostolatûs benificium gratuitò accepisse *per Jesum Christum* (δι' οὗ), hoc est, Jesu Christo ad hoc munus illum vocante. Cf. Act. IX. 15. XXVI. 15—19.

Ad obediendum fidei in omnibus gentibus) Quum Paulus scripserit εις ὑπακοην, Interpres noster rectius dixisset : *ad obedientiam fidei in omnibus gentibus.* Hisce autem verbis Paulus exprimit *finem ob quem* Apostolatum accepisset. *Finis* ergo erat, ministerio suo, quantum in se esset, efficere, ut *obedientia fidei præstaretur in gentibus sine discrimine omnibus;* εις ὑπακοην πιστεως εν πασι τοις εθνεσιν. Præpositio εις hic eodem planè sensu sumenda est, quo supra ℣. 1. Vox πιστεως est Genitivus non *subjecti*, quasi sensus sit : *ad efficiendam obedientiam Deo, quam fides præstat*, sed est Genitivus *objecti*, quasi dicas : *ad faciendum obedire fidei ;* et hoc quidem patet ex locis parallelis his : Act. Cap. VI. 7. Rom. X. 16. 2 Cor. IX. 13. X. 5.— *Fides* autem hoc loco, per Metonymiam *effectûs* pro *causa*, intelligitur *prædicata doctrina fidei.* » Eâdem Metonymiâ usus Lucas dixit (Act. Cap. VI. 7) : *Multa etiam turba sacerdotum obediebat fidei.* Paulo ergo *credere* est *obedire ;* quod sentit quoque infra, Cap. VI. 17. Nimirum, quod S. Thomas hic notat, *his quæ sunt fidei voluntate consentimus, non ex rationis necessitate, quum sint supra rationem.* Hinc illud Augustini (Tr. 26 in Joh.) : *Nemo credit nisi volens.* Quod his verbis explicat Dominicus Soto (ad h. l.) : « Usus est Apostolus, inquit, verbo *obedire*, ut quantum est inter fidem et humanas disciplinas discriminis explicaret. Hæ namque cum naturali mentis acie et lumine cernantur, compellere evincereque possunt intellectum ; fides autem invisibilium divinorum, quæ nisi per lucem illam, mortalium oculis inaccessam, conspecta esse nequeunt, non argumentorum vi syllogismorumque acumine demonstratur, sed voluntario obsequio tacitaque auscultatione suscipitur. »

Voces εν πασι τοις εθνεσιν pertinent non ad αποστολην, sed ad εις ὑπακοην πιστεως, quod probatur tum ex ordine verborum in textu Paulino, tum ex eo quoque quod, si pertinerent ad αποστολην, Apostolus scripsisset εις παντα τα εθνη, quemadmodum infrà scripsit (Cap. XV. 16) : εις το ειναι με λειτουργον Ιησου Χριστου εις τα εθνη.

Jam quod attinet ad interpretationem verborum illorum : εν (*inter*, *apud*, ut Act. Cap. 11. 29. IV. 34) πᾶσι τοις εθνεσιν, quamquam verum est per τα εθνη frequentissimè significari gentes exceptâ Judaicâ, ut v. g. infrà Cap. III. 29, tamen hoc non est perpetuum. Certe quum Salvator diceret (Matth. XXVIII. 29) : *Euntes docete omnes Gentes* (παντα τα εθνη), Judaicam minime exclusit. Cf. Galat. Cap. II. 9. Nec dubito, quin id, quod hic dicit Apostolus, εν πασι τοις εθνεσιν, de gentibus omninò omnibus, etiam Judaicâ, sit sumendum ; ratio est, quia Paulo tantæ amplitudinis Apostolatus a Christo fuerat collatus ; ait enim (Act. IX. 15) : *Vas mihi electionis est, ut portet nomen meum coram Gentibus, et regibus, et filiis Israël.*

Quod sequitur, *pro nomine ejus* (ὑπερ του ονοματος αυτου), illud pertinet ad *omnia* hæc : *per quem accepimus — gentibus.* Mens Apostoli est dicere, gratiam et Apostolatum in omnes gentes se accepisse a Christo *ad gloriam nominis ejus dilatandam.* Quæ interpre-

tatio satis probatur ex verbis Act. IX. 15, quæ modò recitavimus. Itaque Præpositio ὑπερ dicta hic est de *causâ* PROPTER *quam quid fit*, ut infra Cap. XV. 8.; 2 Cor. XII. 19, et Joh. Cap. XI. 4, ubi postquam dictum est, ὑπερ της δοξης του Θεου, epexegeticè additur : ἱνα δοξασθῃ ὁ ὑιος του Θεου δι' αυτης.

ỳ. 6. *In quibus estis et vos vocati Jesu Christi*). Innuit Apostolus, Romanam etiam gentem ad suum Apostolatum pertinere. Et Christiani Romani ab eodem compellantur *vocati Jesu Christi* (κλητοι Ιησου Χριστου), h. e. gratuita Dei vocatione, cui obedierant, effecti Jesu Christi discipuli; aut brevius : *superna vocatione Christiani.* Genitivum Ιησου Χριστου habeo pro Genitivo *Possessoris*, ut in δεσμιος Ιησου Χριστου (Philem. ỳ. 1). Posset quidem esse Genitivus *Agentis*, adeòque illud κλητοι Ιησου χριστου valere *vocati a Jesu Christo*, ut mox (ỳ. 7) αγαπητοι Θεου sunt *dilecti a Deo;* verùm hoc loco prior illa interpretatio tenenda est; ratio est, quia superna ad fidem Christi *vocatio* in Scripturis constanter solet tribui Deo Patri.

ỳ. 7. *Omnibus qui sunt Romæ*, etc.) Græce πασι τοις ουσιν — αγαπητοις — κλητοις ἁγιοις. Est hic Dativus, ut vocant *directionis*, quo nempe exprimitur ad quosnam homines epistola sit directa. Itaque non est heic oratio *elliptica*, ut mente supplendum sit λεγει χαιρειν vel ευ πραττειν, *salutem dicit;* nam pro hac salutandi formula est hic sequens Apostolica apprecatio : χαρις ὑμιν και ειρηνη. Et ab hac apprecatione nova incipit periodus, ut ex illo ὑμιν patet.

dilectis Dei) Græcè αγαπητοις Θεου, ubi Θεου est Genitivus *Agentis;* ut adeò *dilecti* Dei sint *dilecti a Deo*, sicut alibi (1 Thess. Cap. I. 4.) Apostolus Christianos vocat ηγαπημενους ὑπο Θεȣ. Intelligitur autem ea dilectio, qua Deus ante merita nostra *prior dilexit nos* (1 Joh. IV. 19), ut adamati redamare valeremus.

vocatis sanctis) Græcè κλητοις ἁγιοις, ubi κλητοις *Substantivè* sumendum est; ut adeò κλητοις ἁγιοις tantumdem valeat ac κλησει ἁγιοις, i. e. *vocatione sanctis.* Sunt autem Paulo ἁγιοι iidem qui ἡγιασμενοι εν χριστῳ Ιησου, quod constat ex 1 Cor. I. 2. Ergo Christiani Romani dicuntur κλητοι ἁγιοι, tamquam tales, qui non suo aliquo *merito*, sed per *gratiam vocationis* divinæ pervenerunt ad *sanctitatem*, h. e. ad eam interioris hominis renovationem, quam præstat *lavacrum regenerationis.* Confer 1 Cor. VI. 11; et vide quæ eam in rem notavimus ad Cap. I. 1. epistolæ ad Philippenses. Sunt autem *vocati sancti* quia *dilecti a Deo;* nimirum *causa* illius vocationis fuit hæc dilectio.

Gratia vobis et pax) Hic jam sequitur, post inscriptionem epistolæ, Apostolica apprecatio. *Gratia vobis et pax,* supple *sit.* Duo autem hæc, *gratia* et *pax*, quod jam alibi observavimus, veluti *causa* et *effectus* inter se cohærent; videlicet ad quem modum in dono aliquo *causa* doni est amor donantis, ipsum autem donum illius causæ veluti *effectus.* Itaque *gratia* hic intelligitur Dei favor, benevolentia, amor erga homines; a quo amore, veluti *causa*, illa *pax* efficitur. Quam *pacem* intelligo omne bonum, quod quidem ad salutem animæ conducat. Et eodem sensu vocem illam sumendam esse putaverim etiam in hoc Salvatoris (Matth. X. 12) : *Intrantes autem in domum, salutate eam, dicentes : Pax huic domui.* Nimirum notio vocis ειρηνη in his locis mihi videtur repetenda esse a notione vocis

שָׁלוֹם (*pax*) in Hebræorum salutandi formula usitatæ. Videsis quæ hanc in rem notavimus ad Cap. I. 2. epistolæ ad Philippenses.

a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo) Græca non sunt vertenda : *A Deo Patre nostro et Domini Jesu Christi*, sed omninò ita ut fecit interpres noster : *a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo;* ut sensus sit : a Deo Patre nostro *æque ac* a Domino Jesu Christo. Nam Genitivus κυριου referendus est, non ad Pronomen ἡμων, sed ad Præpositionem απο. Constat hoc ex similibus apprecandi formulis, quæ leguntur Galat. I. 3.; 2 Timoth. I. 2.; Tit. I. 4.; 2 Cor. XIII. 13. et Philem. ℣. 25. Quum ergo *divina* quæ hic intelliguntur dona, ab Apostolo tribuantur velut largitori, tam *Deo Patri nostro* quam *Domino Jesu Christo*, unà docet et Christi divinitatem, et ejusdem cum Patre æqualitatem. (1)

« Nomen *Patris* hic respicit filios adoptivos, sicut in oratione Dominica, quia additur *nostro*. Et quamvis hac consideratione sit tribus Personis divinis commune, tamen Personæ Patris appropriatum est. Nam hic sermo quo dicitur, *a Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo*, Personas distinguit. Objicit Arianus : Si Christus æqualiter esset Deus cum Patre, non distingueret Apostolus sermonem suum, ut Patrem quidem Deum vocaret, Christum autem Dominum. Cui respondeo : non magis esse consequens ex apostolico sermone, Christum non esse Deum, quam Patrem non esse Dominum; sicut enim alterum de Filio tacet, ita et alterum de Patre. Quod si de Patre tacetur alterum sine ejus præjudicio, cur non et alterum de Filio? Tantum reddenda ratio cur Domini vocabulum proprie Christo tribuat. Ea nimirum est, quia Christus in assumpta carne pretio sui sanguinis nos e servitute diaboli redemit, sibique vindicavit in populum peculiarem, cujus proinde ipse quatenus homo, Dominus pleno jure effectus sit. Hinc passim in Apostolicis litteris honoris causa *Dominus* appellatur. Est igitur in verbis Apostoli insinuatio quædam utriusque naturæ in Christo : *divinæ* quidem cum dicit, *a Christo*, sicut dictum erat, *a Patre; humanæ* autem in vocabulo *Domino*, juxta rationem assignatam : » Estius ad h. l.

---

(1) Hoc passim ad ea verba Apostoli notarunt Patres Græci. Sic Theodoret. ad Rom. 1. 7, ubi eadem verba : *gratia vobis*, etc. leguntur, hæc scribit : Δι' ὧν ἡμας εδιδαξεν αντικρυς πατρος και ὑιου την ισοτητα h. e. « per quæ nos aperte docuit Patris et Filii æqualitatem. » Et S. Athanasius ad eadem verba (Orat. III. contra Arian. 13, in edit. Benedict. Paris. 1698, tom. I. pag. 1. pag. 562) notat ; ὁυτω γαρ και ασφαλης ην ἡ ευλογια δια το αδιαιρετον του ὑιου προς τον πατερα, και ὁτι μια και ἡ αυτη εστιν ἡ διδομενη χαρις· Καν γαρ ὁ πατηρ δῷη, δια του ὑιου εστι το διδομενον· καν ὁ ὑιος λεγηται χαριζεσθαι, ὁ πατηρ εστιν ὁ δια του ὑιου και εν τῳ ὑιῳ παρεχων....... Τουτο δε και επι φωτος και απαυγασματος αν τις ιδοι· και γαρ ὁπερ φωτιζει το φως, τουτο το απαυγασμα καταυγαζει· ὁπερ δε καταυγαζει το απαυγασμα, εκ του φωτος εστιν ὁ φωτισμος. h. e. « Ita enim firma erat benedictio, cum ob individuam Filii et Patris naturam, tum quia una et eadem erat data gratia. Nam licet dederit Pater, quod tamen datur, per Filium datur. Similiter licet Filius dare dicatur, Pater est, qui per Filium et in Filio dat... Quin etiam idem istud in luce et splendore animadvertere est. Nam quod lux illuminat, idem quoque splendor illuminat, et vicissim quod splendor illuminat, hoc lux quoque illuminat. » Idem paulo ante (ibid. 11) dixerat : Διδοντος του πατρος χαριν και ειρηνην, αυτην και ὁ ὑιος διδωσιν, ὡς ὁ Παυλος επισημαινεται, δια πασης επιστολης γραφων : χαρις ὑμιν και ειρηνη απο θεου πατρος ἡμων, και κυριου I. X. Μια γαρ και ἡ αυτη χαρις εστι παρα πατρος εν ὑιῳ· ὡς εστιν ἓν το φως του ἡλιου και του απαυγασματος, και το φωτιζειν του ἡλιου δια του απαυγασματος γινεται. h. e. Cum Pater dat gratiam et pacem, eamdem pariter dat Filius, uti Paulus in omnibus suis epistolis significat, dum ita scribit : *Gratia vobis et pax a Deo patre nostro et Domino Jesu Christo.* Una enim eademque est gratia, quæ a Patre in Filio datur; quemadmodum una est lux solis et splendoris, et sol non nisi per suum splendorem illuminat. » Cf. etiam Cyrill. Alex. in Thes. XII. 1.

℣. 8—10. Primum quidem gratias ago Deo meo per Jesum Christum pro omnibus vobis : quia fides vestra annunciatur in universo mundo. 9 Testis enim mihi est Deus, cui servio in spiritu meo in Evangelio Filii ejus, quod sine intermissione memoriam vestri facio 10 semper in orationibus meis : obsecrans, si quomodo tandem aliquando prosperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos.

℣. 8—10. *Πρῶτον μὲν εὐχαριστῶ τῷ Θεῷ μου διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ ὑπὲρ [a] πάντων ὑμῶν, ὅτι ἡ πίστις ὑμῶν καταγγέλλεται ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ.* 9 *Μάρτυς γάρ μου ἐστὶν ὁ Θεὸς, ᾧ λατρεύω ἐν τῷ πνεύματι μου, ἐν τῷ εὐαγγελίῳ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, ὡς ἀδιαλείπτως μνείαν ὑμῶν ποιοῦμαι* 10 *πάντοτε ἐπὶ τῶν προσευχῶν μου δεόμενος, εἴπως ἤδη ποτὲ εὐοδωθήσομαι ἐν τῷ θελήματι τοῦ Θεοῦ ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς.*

Paraphrasis. Principio quidem Deo meo gratias per Jesum Christum ago vestrûm omnium causâ, videlicet ob vestram Christianæ Religionis professionem toto orbe celebratam. Nam testis est mihi Deus, cui ex animo inservio in promovenda re Evangelica, quam assidue in precationibus meis Deo vos commendem, semper ibi orans, si forte tandem aliquando mihi ex Dei voluntate obtingat felicitas veniendi ad vos.

VARIANS LECTIO.

a) Pro ὑπερ est περι in Codd. ABCD *K et nonnullis Minusculis. Tischendorfius edidit περι. Sed dubitari potest an lectio περι non sit tribuenda correctioni Librariorum, quum Apostolus in simili phrasi Præpositionem περι adhibere soleat (Cf. 1 Cor. I. 4.; 1 Thess. I. 2.; 2 Thess. 1. 3. 11. 13.; Coloss. 1. 3.), et lectio ὑπερ difficilior sit.

℣. 8. *Primum quidem gratias ago Deo meo*, etc.) Post inscriptionem epistolæ et Apostolicam apprecationem (1—7), sequitur jam veluti introductio in tractandam materiam sive præcipuum thema epistolæ (8—15), quod ℣. 16 his verbis enunciatur : *Evangelium virtus Dei est in salutem omni credenti, Judæo primùm et Græco.*

primùm quidem) Græcè *πρωτον μεν*, quod non est reddendum *imprimis;* obstat enim Particula *μεν*. Recte Vulgata : *primum quidem.* Sed quum nihil sequatur quod Apostolus adjiciat per formulam *επειτα δε*, *deinde vero*, illud *μεν* pro *Solitario* habendum est, ut et infrà Cap. III. 2. Qua de re videsis Winer § 64 pag. 625.

gratias ago Deo meo per Jesum Christum pro omnibus vobis) Græcè *ὑπερ παντων ὑμων,* quod Latine valet *super omnibus vobis*, ut sensus sit *vestrûm omnium causâ*, quo sensu *ὑπερ* legitur etiam Ephes. Cap. I. 16, et Philipp. 1. 4; atque hoc

sensu ὑπερ non differt a περι. Dicit *vestrûm* OMNIUM *causâ*, quasi dicat, nullo facto discrimine Judæo-Christianos inter et Ethnico-Christianos. *Res* autem illa, *ob quam* eorum omnium causâ gratias agit Deo, mox exprimitur per verba : *quia fides vestra*, etc. Quod Apostolus per verbum Temporis Præsentis dicit, *gratias ago*, eo sese exhibet grati animi sensu affectum tunc *cum hæc scriberet*. Dicendo autem *Deo* MEO, animum prodit teneré Deum amantis. Verba ista, *per Jesum Christum*, proximè jungenda sunt cum *gratias ago*; ut sensus sit : Gratias ago Deo meo *per Jesum Christum*, per quem ut Pontificem nostrum meas gratiarum actiones Deo offero.— Et hoc sensisse Apostolum in verbis istis, id quidem colligo ex iis quæ dicit in epistola ad Hebræos Cap. III. 1. et XIII. 15. — S. THOMAS (ad h. l.) : « *Eodem enim ordine*, inquit, *debet gratiarum actio in Deum recurrere*, *quo gratiæ a Deo in nos deveniunt*, *quod quidem est per Jesum Christum.* » In eamdem sententiam voculam δια hoc loco interpretatus quoque est THEOPHYLACTUS. (1)

quia fides vestra annuntiatur in universo mundo) Hic jam exprimit Apostolus quid sit id, ob quod Deo gratias agat. Sensus est : *Gratias ago . . . vestrûm omnium causâ*, *quòd videlicet* (ὁτι epexegeticum, ut 2 Thess. Cap. II. 13) *vestra Christianæ Religionis professio et observantia ubique celebratur* (quòd ea talis est, tam eximia, ut ubique celebretur).

Fides (πιστις) hoc loco non sumitur *objectivè*, hoc est, *de ipsa Religione Christiana*, ut Act. Cap. VI. 7., sed *subjectivè*, id est, de *professione* Christianæ Religionis, ut in hoc 1 Cor. Cap. XV. 14 : *Si autem Christus non resurrexit*, *inanis est ergo prædicatio nostra*, *inanis est et fides vestra.* — Καταγγελλεται hic ob contextam orationem (*in universo mundo*) valet, *cum laude annuntiatur* sive *celebratur*. Illud autem εν ὁλῳ τῳ κοσμῳ dictum est Hyperbolicè.

Fuère qui dicerent, *fidem* hoc loco sumendam esse *objective*, et verba Pauli esse referenda ad propagationem Evangelii ; ut sensus sit : *Gratias ago... quòd ea fides*, *quam vos profitemini*, *Romani*, *jam nunc latè disseminata*, *prædicatur in universo mundo.*

Verùm huic interpretationi tria obstant. Et *primò* quidem ipsa series orationis. *Gratias ago Deo*, inquit, PRO OMNIBUS VOBIS, *quia fides* VESTRA, etc. Quum ergo dicat se *ipsorum causâ* gratias agere Deo, statimque addat *quam ob rem* gratias agat, profectò logicè necesse est ut ea res *eorum* sit *quorum causâ* gratias agit. Obstat *secundò* Pauli usus loquendi. Nam ubi de Evangelii *prædicatione* loquitur, non Verbum καταγγελλειν sed κηρυσσειν adhibere solet (Vid. Rom. X. 8. 14. 15.; 1 Cor. 1. 23. IX. 27. XV. 11. 12.; 2 Cor. 1. 19. IV. 5. XI. 4. Gal. II. 2. V. II. Philipp. I. 15. Coloss. I. 23.; I. Thess. II. 9.; 1 Tim. III. 16.— 2 Tim. IV. 2.); et, quod hic imprimis observandum est, de prædicando *Evangelio* numquam dicit καταγγελλειν aut κηρυσσειν την πιστιν, sed perpetuò scribit aut

(1) Ad h. l. Δια Ιησου Χριστου, φησι· ὁυτος γαρ και της προς τον Πατερα ευχαριστιας ἡμιν ὁ μεσιτης, ου μονον διδαξας ευχαριστειν, αλλα και προσαγων την ἡμετεραν ευχαριστιαν τῳ Πατρι. h. e. « *Per Jesum Christum*, inquit. Iste enim nobis gratiarum actionis ad Deum Patrem mediator est, non solum nos docens gratias agere, sed et nostram gratiarum actionem Patri offerens.

Ἰησουν Χριστον, aut *τον Χριστον*, aut *το ευαγγελιον*, aut denique *τον λογον*. *Tertiò* tandem obstat, quod nulla ratio assignari possit, cur Apostolus hoc loco, uno verbo et obiter notare voluerit quam latè tunc temporis pateret Evangelii prædicatio.

Interpretationem nostram commendant tum contexta oratio, ut patet, tum etiam loca parallela hæc : 1 Thess. Cap. I. 2—9.; 2 Thess. I. 3—6.; 2 Tim. I. 3—6. Ephes. I. 15. 16. Philipp. I. 3-6. Philem. 4-8. Nec aliter Antiqui, si ORIGENEM (ad h. l.) excipias, hunc locum intellexerunt. Audiatur clerus Romanus, qui in sua ad S. CYPRIANUM epistola [1] hæc scribit : *Nec hæc*, inquit, *nobis nunc nuper consilium cogitatum est ; nec hæc apud nos adversus improbos modò supervenerunt repentina subsidia ; sed antiqua hæc apud nos severitas, antiqua fides, disciplina legitur antiqua : quoniam nec tantas de nobis laudes Apostolus protulisset dicendo :* Quia fides vestra prædicatur in toto mundo, *nisi jam exinde vigor iste radices fidei de temporibus illis mutuatus fuisset ; quarum laudum et gloriæ degenerem fuisse maximum crimen est. Minus est enim dedecoris numquam ad præconium laudis accessisse, quam de fastigio laudis ruisse.* In eamdem sententiam PAULI verba acceperunt S. CHRYSOSTOMUS (Hom. 2. in Ep. ad Rom.), et B. THEODORETUS (ad h. l.).

℣. 9.—10. *Testis enim mihi est Deus,* etc.) In præcedente versiculo Apostolus declaraverat, quam pie esset erga Romanos affectus. Jam quo minus de hoc dubitarent, interposito juramento, affirmat, se continuas pro illis preces Deo adhibere, atque inter alia et hoc perpetuo deprecari, ut sibi aliquando liceat illos invisere. Hæc autem *duo* tam seriò affirmando, unà *confirmabat* (*γαρ*) quam verè et ex animo dixisset (℣. 8.) : *Gratias ago Deo pro omnibus vobis*, etc. Atque hinc patet quis sit nexus (*γαρ*) orationis inter versiculum octavum et duos sequentes.

Testis mihi est Deus) Sive legas *μαρτυς μου*, sive *μαρτυς μοι*, sensus eòdem recidit; nam utraque formula juramentum continet, quum et in hac et in illa exprimatur voluntas adhibendi Deum testem. Vide quæ notavimus ad Cap. I. 8 epistolæ ad Philippenses. « Jurat ergo PAULUS, inquit ESTIUS (ad h. l.), nec temerè, nec sine justa necessitate ; sed quòd sciret, ad stabiliendam suæ prædicationis fidem et auctoritatem plurimum referre, si Christiani, qui Romæ erant, quorum multi Judæi, PAULO alioqui parum æqui, de ipsius pia sollicitudine quam erga eos gerebat, bene essent persuasi. » Discant Anabaptistæ ex hoc exemplo PAULI non omnem juramenti usum esse prohibitum.

cui servio in spiritu meo in evangelio Filii ejus) i. e. cui tamquam *minister* (*δουλος*. ℣. 1.) *inservio* (*λατρευω* = *δουλευω*) *in spiritu meo* (dans mon ame) h. e. *verè, ingenuè, sine fuco, sincerè, ex animo.* Quod additur *εν τῳ ευαγγελιῳ του υἱου αυτου*, eo significatur quânam *in* (*εν*) re illud ministerium (*δουλεια*) ab ipso præstetur. Præstatur ergo *in re Evangelica* administranda et promovenda, sive *in negotio Evangelii* (*εν τῳ ευαγγελιῳ*) *de Filio ejus*, Græcè *του υἱου αυτου*, qui Genitivus est *Objecti*.— Protestatio hæc de sinceritate animi, qua Deo inserviret, vim roborabat præmissi jura-

---

(1) S. CYPR. Op. ed. Maur. Ep. 31.

menti. — Vox λατρευειν, quum non absolutè dicatur sed cum addito εν τῳ ευαγγελιῳ του ὑιου αυτου, notione hic non differt a δουλευειν, Act. XX. 19.

quod sine intermissione memoriam vestri facio,) Est hoc unum ex duobus, quæ, Deo teste invocato, Romanis affirmat; alterum exprimitur insequenti versiculo. Scripsit ὡς non ὁτι. Puta Belgicè dici : *Want God is my getuige,* HOE (ὡς) *ik uwer onophoudelyk gedenke.* Μνεια est hic *pia recordatio*, quæ fit dum in piis tuis precibus Deo quempiam commendas. Cf. Ephes. I. 16., 1 Thess. 1. 2. Ὑμων (*vestri*) est Genitivus *objecti.* — Αδιαλειπτως, *sine intermissione, assiduè*, in quo est Hyperbole.

℣. 10. *semper in orationibus meis obsecrans,* etc.) Sunt qui verba ista, *semper in orationibus meis*, jungant præcedentibus; quod mihi non probatur. Ratio est, quia sic tautologica fit oratio, quum hoc loco αδιαλειπτως notione non differat a παντοτε. — Continetur decimo hoc versiculo alterum illud quod cum juramento Romanis affirmat. Nexus orationis Grammaticus fit ope Participii δεομενος, quod in Verbum Finitum Belgicè sic resolverim : *terwyl ik altyd by* (επι) *myne gebeden verzoeke*, etc. — Επι hìc ut 1 Thess. I. 2.; Ephes. I. 16.

si quomodo tandem aliquando prosperum iter habeam, etc.) His verbis exprimitur materia illius *obsecrationis* sive δεησεως. Quod autem dicit, non δεομενος ἱνα vel ὁπως, sed ειπως, *si forte*, eo animum suum prodit divinæ voluntati planè submissum. Græca liberius ita reddiderim : *si forte tandem aliquando mihi ex Dei voluntate obtingat felicitas veniendi ad vos.* Quocirca notandum est Verbum ευοδουσθαι significare quidem, si vocis etymon (ab ευ et ὁδος) spectetur, *prospero itinere uti*, sed in usu loquendi perpetuò valere *prosperè agere, felix esse, rem bene cedere alicui;* ut Ep. 3. S. Joh. ℣. 2 : καθως ευοδουται σου ἡ ψυχη, quæ Vulgata rectè reddit : *sicut prosperè agit anima tua.* Cf. etiam 1 Cor. XVI. 2. Exempla ex scriptoribus profanis dabit Wetsteinius ad h. l. — Ελθειν non pendet a δεομενος, sed ab ευοδωθησομαι, et est Infinitivus epexegeticus, qui tamen laxiore Syntaxi cum ευοδωθησομαι cohæret. Similis Syntaxeos exempla invenire est Act. XV. 10 et Hebr. V. 5. Cf. Win. § 45. 3. — Ειπως hic cum Futuro Indicativi, ut infrà Cap. XI. 14, et Philipp. III. 11; semel (Act. XXVII. 12) in his libris legitur cum Imperfecto Optativi. — Apostolus quam sibi continuò apprecatur Christianos Romanos invisendi felicitatem, eam nolit sibi obtingere nisi ea res contineatur εν τῳ θεληματι του Θεȣ, *in Dei voluntate.* Præpositio εν sumenda hic est ut in hoc Hebr. X. 10. : εν ᾡ θεληματι ἡγιασμενοι εσμεν, et dicitur quasi *de norma* secundum quam quid fit, ut valeat κατα. Attamen si Apostolus hic scripsisset κατα το θελημα του Θεȣ, non adeo significanter dixisset, quod dicere voluit.

ỹ. 11—13. Desidero enim videre vos : ut aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis ad confirmandos vos : 12 id est, simul consolari in vobis per eam, quæ invicem est, fidem vestram, atque meam. 13 Nolo autem vos ignorare fratres : quia sæpe proposui venire ad vos, (et prohibitus sum usque adhuc) ut aliquem fructum habeam et in vobis, sicut et in ceteris gentibus.

ỹ. 11—13. Ἐπιποθῶ γὰρ ἰδεῖν ὑμᾶς, ἵνα τι μεταδῶ χάρισμα ὑμῖν πνευματικὸν, εἰς τὸ στηριχθῆναι ὑμᾶς· 12 τοῦτο δέ ἐστι, συμπαρακληθῆναι ἐν ὑμῖν διὰ τῆς ἐν ἀλλήλοις πίστεως, ὑμῶν τε καὶ ἐμοῦ. 13 Οὐ θέλω δὲ ὑμᾶς ἀγνοεῖν, ἀδελφοὶ, ὅτι πολλάκις προεθέμην ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς, καὶ ἐκωλύθην ἄχρι τοῦ δεῦρο, ἵνα καρπόν τινὰ σχῶ [a] ἐν ὑμῖν, καθὼς καὶ ἐν τοῖς λοιποῖς ἔθνεσιν.

Paraphrasis. Desidero enim videre vos, ut nonnihil doni spiritualis vobiscum communicem ad vos confirmandos, ut, inquam, mihi detur inter vos mutuo alloquio unà vobiscum incitari per communem nostram fidem, vestram atque meam. Scitote autem, fratres, me jam pridem sæpenumero consilium cepisse vos adeundi (et ad hoc usque tempus prohibitum fuisse quominus id facerem), ut nonnihil mercedis Evangelicæ haberem inter vos, quemadmodum et inter reliquas nationes habere studeo.

VARIANS LECTIO.

a) Pro σχῶ est εχω in Cod. G. et nonnullis Minusculis.

ỹ. 11. *Desidero enim videre vos, ut aliquid impertiar*, etc.) Causam (γαρ) exponit optati itineris; quæ quidem erat, *ut* (ἱνα) præsens illis *communicare* (μεταδιδοναι) posset *nonnihil doni spiritualis* (τι χαρισμα πνευματικον), *ut* (εις) hinc in Christianæ fidei professione *confirmarentur* (στηριχθηναι).

Quod hic dicitur *nonnihil doni* sive *gratiæ spiritualis* (τι χαρισμα πνευματικον), referendum hoc est ad illa *Spiritûs sancti charismata*, quæ ab Apostolo (1 Cor. Cap. XII. ỹỹ. 8-10) vocantur *sermo sapientiæ, sermo scientiæ*, et *charisma prophetiæ* quod dabatur ad aliorum *ædificationem* (οικοδομην) *et exhortationem*, (παρακλησιν) *et consolationem* (παραμυθιαν), ut dicitur 1 Cor. XIV. 3. Charismata hæc Paulus acceperat in Ecclesiæ utilitatem; volebat autem ut *eorum usus*, qui scilicet est in docendo, exhortando, consolando, Christianis quoque Romanis *prodesset*; atque hoc est quod vocat μεταδιδοναι τι χαρισμα πνευματικον. (1) In nonnullis adhuc indigebant institutione Romani, ut ex argumento hujus epistolæ patet; Paulus tamen maluit

(1) Cf. S. Chrys. Hom. 2. in. Ep. ad Rom. B. Theodoret. in Ep. ad Rom. ad h. l. Oecum-

dicere *ad vos confirmandos*, quam *ad vos docendos*, quod nonnihil offensionis habuisset. Vel *ad vos confirmandos* dixit ob eam quoque rationem, quam B. THEODORETUS (ad h. l.) assignat. *Επειδη*, inquit, *πρωτος αυτος ὁ μεγας Πετρος την ευαγγελικην διδασκαλιαν προσηνεγκεν, αναγκαιως επηγαγεν· Εις το στηριχθηναι ὑμας! Ου γαρ ἑτεραν ὑμιν, φησι, διδασκαλιαν προσφερειν, αλλα την ηδη προσενεχθεισαν βεβαιωσασθαι βουλομαι, και τοις ηδη φυτευθεισι φυτοις την αρδειαν προσενεγκειν.* h. e. « *Quia primus eis magnus Petrus doctrinam Evangelicam præbuit, necessario intulit :* ad confirmandos vos. *Non enim aliam, inquit, doctrinam vobis afferre, sed eam quæ jam oblata est confirmare, et arbores jam plantatas irrigare volo.* »

ỳ. 12. *Id est, simul consolari in vobis, per eam quæ invicem est, fidem vestram atque meam.*) Quod modò (ỳ. 11) dixerat Apostolus, *ad confirmandos vos*, illud hic, ne arrogantius loqui videretur, ita emollit, ut significet se loqui de *mutuâ* quâdam confirmatione, quâ fieret ut *ipse vicissim* ab illis confirmaretur.—Versiculos hunc et præcedentem sic Latinè reddiderim : *Nam desidero vos videre, ut nonnihil doni spiritualis vobiscum communicem ad vos confirmandos, hoc est, ut mihi detur inter vos unà vobiscum incitari per communem nostram fidem, vestram atque meam.* Atque in hunc sensum verba hæc accepisse mihi videtur B. THEODORETUS ; nam is PAULUM sic loquentem inducit : *Ου γαρ μονον δουναι βουλομαι, αλλα και λαβειν παρ᾽ ὑμων.* h.e. « *Non solum enim volo dare, sed etiam a vobis accipere.* Deinde addit : *παρακαλει δε και διδασκαλον ἡ προθυμια των μαθητων.* h. e. « *Excitat autem et magistrum discipulorum alacritas.* In eamdem sententiam præsentem locum intellexit quoque S. JOANNES CHRYSOSTOMUS, qui ad illa verba exclamat : *Papæ! quanta humilitas! Indicavit ipsum se indigere illis, non tantum illos ipso, atque discipulos magistrorum loco habuit, nullam sibi prærogativam relinquens, sed æqualitatem magnam ostendens. Communis est utilitas, inquit ; et ego vestro incitamento indigeo, et vos meo. Et quomodo hoc?* Per communem nostram fidem, vestram atque meam. *Quemadmodum si quis multas simul accendat lucernas, splendidam edit flammam ; sic et apud fideles evenire solet. Cum enim disjuncti et dispersi sumus, animo minus valemus : quando autem nos mutuo conspicimus, et quasi membris nos complectimur, magnum accipimus incitamentum.* (1)

NIUS (ad h. l.) : *Λεγει δε την διδαχην και την κατηχησιν.... Το δε ἱνα τι, μετριαζοντος εστιν, ὡσει ειπεν, ἱνα μικρον τι.* h. e. (*Charisma autem hoc*) *intelligit doctrinam et institutionem... Illud vero* ἱνα τι (ut nonnihil) *modesti animi est, ac si dicat : ut modicum quippiam.*

(1) *Βαβαι, ποση ἡ ταπεινοφροσυνη· εδειξε και ἑαυτον εκεινων δεομενον, ουκ εκεινους αυτου μονον· και τους μαθητας εν ταξει διδασκαλων εκαθισεν, ουδεμιαν ὑπεροχην αφεις μειναι παρ᾽ αυτῳ, αλλα πολλην την ισοτιμιαν επιδειξαμενος. Κοινον γαρ εστι το κερδος, φησι, και εγω της παρ᾽ ὑμων δεομαι παρακλησεως, και ὑμεις της παρ᾽ εμου. Και πως τουτο γινεται; Δια της εν αλληλοις πιστεως, ὑμων τε και εμου. Καθαπερ γαρ επι πυρος αν πολλας τις συναγαγῃ λαμπαδας, λαμπραν αναπτει την φλογα. οὑτω και επι των πιστων γινεσθαι πεφυκεν· ὁταν μεν γαρ καθ᾽ ἑαυτους ωμεν διεσπασμενοι, αθυμοτεροι πως εσμεν· ὁταν δε ιδοντες αλληλους τοις οικειοις περιπλακωμεν μελεσι, πολλην δεχομεθα την παρακλησιν.*

Infinitivus συμπαρακληθηναι pendet a præcedente (ỳ.11.) εις. Puta Apostolum scripsisse : εις το συμπαρακληθηναι εμε. Nam εμε ut suppleatur, id quidem sequens εν ὑμιν postulat dum prohibet quominus præcedens (ỳ. 11) ὑμας habeatur pro Subjecto Infinitivi συμπαρακληθηναι.—*Εν ὑμιν*, INTER *vos*. *Εν*, *inter*, ut supra ỳ. 5. 1 Cor. V. 1, et alibi. Præpositio συν in Composito συμπαρακληθηναι propter additum εν ὑμιν valet *unà vobiscum*. Verbum autem παρακληθηναι, quia explicat præcedens (ỳ. 11) στηριχθηναι, reddiderim *incitari* (mutuo alloquio). Verbum παρακαλειν eodem modo de *incitando* dictum occurrit 1 Thess. Cap. III. 2. In locutione ista, δια της εν αλληλοις πιστεως, ὑμων τε και εμου, duplex Syntaxis permixta est; nam regulariter scribendum erat, aut δια της εν αλληλοις πιστεως, ὑμιν τε και εμοι, aut δια της αλληλων πιστεως, ὑμων τε και εμου.

ỳ. 13. *Nolo autem* (δε) *vos ignorare fratres, quia sæpè proposui venire ad vos*, etc.) Significat hic Apostolus, se non tantum *desiderasse* adire Christianos Romanos, verum etiam *jam pridem sæpenumero consilium cepisse* illos adeundi Cf. Cap. XV. 22. sqq. — Particula δε hoc loco inservit *continuandæ orationi*. Formula ista, ου θελω δε ὑμας αγνοειν, nullam habet peculiarem emphasin; nec plus valet quam si tu Latinè dicas, *scitote autem, Fratres*. Alibi (Philipp. I. 12) eodem sensu Apostolus scripsit, γινωσκειν δε ὑμας βουλομαι, *scire autem vos volo*. — *Fratres!* Hoc amoris titulo Christiani se mutuò appellabant. Videsis quæ hanc in rem notavimus ad Cap. 1. 12 epistolæ ad Philippenses. — *Προεθεμην* (Aor. 2. Med.), *animo proposui*, *apud me constitui*, *decrevi*.

ut aliquem fructum habeam et in vobis, sicut et in ceteris gentibus.) Græcè ἱνα — σχῶ, quod reddendum erat *ut haberem*. Declarat *quam ob causam* jam pridem sæpenumero apud se constituisset illos adire. *Fructum* autem quem hic dicit, *mercedem* intelligit, quæ laborantibus in agro Dominico aliquando decernenda est. Cf. 1 Cor. Cap. III. 6 — 10. *Εν τοις λοιποις εθνεσιν* quum dictum sit *universaliter*, coarctari nequit ad eas gentes, quibus PAULUS Evangelium hactenùs jam prædicaverat; quare nec sensus est : *sicut et in ceteris gentibus fructum aliquem* — HABUI, sed HABERE STUDEO.

et prohibitus sum usque adhuc) Verba ista pro interjecta sententia habenda sunt; nam quod sequitur, ἱνα καρπον κ. τ. λ., arctissimè cohæret cum præcedente προεθεμην ελθειν προς ὑμας.–*Εκωλυθην* tamen pendet a præcedente ὁτι. Impedimentum autem illud Romanos adeundi quale esset, Apostolus infrà (Cap. XV. 20 sqq.) indicat. — De και abundante post Particulam Comparationis, videsis quæ notavimus ad Act. Ap. Cap. XXVI. 29.

℣. 14—17. Græcis ac Barbaris, sapientibus, et insipientibus debitor sum: 15 ita (quod in me) promptum est et vobis, qui Romæ estis, evangelizare. 16 Non enim erubesco Evangelium. Virtus enim Dei est in salutem omni credenti, Judæo primùm, et Græco. 17 Justitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem: sicut scriptum est: Justus autem ex fide vivit.

℣. 14—17. Ἕλλησί τε καὶ βαρβάροις, σοφοῖς τε καὶ ἀνοήτοις ὀφειλέτης εἰμί· 15 οὕτως τὸ κατ' ἐμὲ πρόθυμον καὶ ὑμῖν τοῖς ἐν Ῥώμῃ εὐαγγελίσασθαι. 16 Οὐ γαρ ἐπαισχύνομαι τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ· a) δύναμις γὰρ Θεοῦ ἐστιν εἰς σωτηρίαν παντὶ τῷ πιστεύοντι, Ἰουδαίῳ τε πρῶτον καὶ Ἕλληνι. 17 Δικαιοσύνη γὰρ Θεοῦ ἐν αὐτῷ ἀποκαλύπτεται ἐκ πίστεως εἰς πίστιν, καθὼς γέγραπται· Ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίστεως ζήσεται. b)

Paraphrasis. Hominibus omnibus sine ulla aut gentis aut culturæ discrimine debeo Apostolatûs mei ministerium: itaque ad me quod attinet, ego quidem, modo hæc Dei quoque sit voluntas, cupio etiam vobis Romanis Evangelium prædicare. Neque enim erubesco doctrinam Evangelii; est enim doctrinæ hæc, est, inquam, Dei salvifica quædam vis cuicumque qui credit, sive Judæus sit, sive Gentilis; nam in doctrina Evangelii revelatur, justitiam, qua homo justus fit per Deum, oriri ex fide, et obtingere credenti; sicut scriptum est: Justus autem ex fide vivit.

VARIANS LECTIO.

a) Voces του Χριστου non leguntur in Codd. ABCEG, Absunt et a multis Minusculis. Glossema sapiunt.

b) Pro ζησεται legitur ζῃ, sed tantùm in aliquo Codice Velesiano.

℣℣. 14—15. *Græcis ac Barbaris, sapientibus et insipientibus debitor sum*, etc) Ad confirmandum quod modò (℣. 13) dixerat, scilicet se jam pridem sæpe animo proposuisse illos adire, hic (℣. 15) declarat, semper paratissimum se esse, quod ad se quidem attineret, ad Apostolicum suum ministerium exhibendum etiam Romanis; cujus promptitudinis *causam præmittit* isthoc versiculo decimo quarto; ubi dicit, sibi, ex injuncto Apostolatûs officio, incumbere *debitum* exhibendi sacrum suum ministerium hominibus omnibus sine ulla aut gentis aut culturæ discrimine.

Tota illa phrasis, *Græcis ac Barbaris*, *sapientibus et insipientibus*, in præsenti hoc loco non inservit nisi ad exprimendam universitatem hominum, quibus Paulus Apostolatûs sui ministerium deberet. Hoc autem *debitum* quale quantumque esset, aliunde (1 Cor. IX 16) discimus: *Si evangelizavero*, inquit, *non est mihi gloria: necessitas enim mihi incumbit; væ enim mihi est*, *si non evangelizavero*.

Ita (*quod in me*) *promptum est,* etc.) Οὕτως concludit ex eo quod dictum est ỷ. 14.—Latine heic dixeris, vel *itaque*, vel *quæ cum ita sint*.—Το κατ' εμε προθυμον scil. εστι, ut 2 Cor. VIII. 11; προθυμον hic Adjectivum est in Neutro Genere ad modum Substantivi adhibitum. Phrasis autem illa, το κατ' εμε προθυμον, ab Estio et plerisque sic explicatur ut το κατ' εμε vertant *ad me quod attinet*, et προθυμον dictum sumant pro ἡ προθυμια εστι, *promptus est animus*. Cui tamen interpretationi rectè opponitur, Adjectivum, si ad modum Substantivi adhibeatur, ex regulis Grammatices absque Articulo scribi non posse. Quare malim hic agnoscere Hyperbaton, ut nempe scriptum sit το κατ' εμε προθυμον scil. εστι, pro κατ' εμε το προθυμον εστι, quæ quidem reddiderim : *secundum me* (secundum meam voluntatem) *est cupiditas etiam vobis, qui*, etc. — Illud κατ' εμε antitheticè respondet præcedenti (ỷ. 10) εν τῳ θεληματι του Θεȣ, ut sensus sit : Itaque ad me quod attinet, ego quidem, modo hæc quoque sit voluntas Dei, vehementer cupio etiam vobis, Romanis, Evangelium prædicare. — Erat mens Pauli, si Romam adire sibi contingeret, non tantùm Christianis, qui ibi essent, ministerium suum impendere, verùm etiam augere numerum Romanorum fidelium, fidemque Christianam inter Romanos latius propagare. Atque hoc sentiebat cum scriberet ὑμιν τοις εν Ῥωμῃ, scil. ουσιν, adeòque ea verba referenda sunt ad Romanos *universè*, non verò ad eos Romanos tantum, ad quos in præsenti epistola sermonem suum dirigit. — Ευαγγελισασθαι in formâ Media, ut infra Cap. X. 15.

ỷ. 16. *Non enim erubesco Evangelium*). Suprà (ỷ. 14) causam *positivam* dederat cur promptus esset ad prædicandum Evangelium etiam Romanis; addit nunc illius promptitudinis causam *negativam*. Orationem ergo nectit per Particulam γαρ, quia dicturus erat *causam* aliquam sive rationem præcedentis (ỷ. 15) sententiæ. *Evangelium* hic intelligit maximè quatenus est annunciatio de salute humani generis *a crucifixo* repetenda; id quod Gentilibus *stultitia quædam* (μωρια 1. Cor. I. 23; et Cf. Act. XVII. 18.) videbatur. Sentit autem Apostolus, fieri posse ut minister Evangelii pudore aliquo retardetur, [1] quominus istiusmodi doctrinam prædicare audeat in ipsa sede Romani Imperii, apud homines, inquam, litterarum studiis excultos et præcipuâ quâdam morum elegantiâ præstantes. Hinc animosus exclamat : *Non erubesco doctrinam Evangelii!* Et mox *causam* exponit *cur* non erubescat Evangelii doctrinam, addendo :

virtus enim Dei est in salutem omni credenti, Judæo primùm et Græco) Evangelii doctrinam non erubescit; nam tantum abest ut ea res sit contemptibilis, ut contra sit præcipuæ cujusdam dignitatis, maximique æstimanda, sive ad auctorem rei

(1) B. Theodoretus (ad h. l.): Επει το κηρυγμα πολλακις ευαγγελιον προσηγορευσε, παθους δε τουτο μνημην ειχε και σταυρου και θανατου, τοις δε μηπω πεπιστευκοσιν ατιμιας ειναι εδοκει ταυτα μεστα, εις καιρον επηγαγεν· ου γαρ επαισχυνομαι το ευαγγελιον του Χριστου· h. e. « *Quoniam prædicationem sæpè Evangelium appellavit, hoc autem passionis mentionem continebat, et crucis, et mortis, quæ quidem iis, qui nondum crediderant, videbantur esse plena ignominia, opportunè subjunxit :* Non enim erubesco Evangelium Christi. »

attendas, sive ipsam rei præstantiam consideres. *Evangelium*, ut jam innuimus, hoc loco intelligenda est ipsa doctrina Evangelii; nam versiculo insequenti ubi quid sit Evangelium distinctius edicitur, αποκαλυψις quædam sive *revelatio* vocatur. Sensus ergo est : *Evangelii doctrinam non erubesco; est hæc enim* (γαρ) Dei *salvifica quædam vis cuicumque qui credit* (παντι τῳ πιστευοντι. Dativus Commodi), *sive Judæus sit, sive Gentilis.*

Voces εις σωτηριαν jungendæ sunt non cum παντι τῳ πιστευοντι, sed cum δυναμις, ita ut εις σωτηριαν habeatur pro Periphrasi Adjectivi, quo exprimatur *qualitas* illius δυναμεως. Hoc ut dicamus suadet absentia Articuli ante σωτηριαν. Itaque dictio *virtus in salutem* tantumdem sit ac dictio *virtus salvifica.* Salus autem, quam Apostolus hìc cogitat, illa est, quæ homini obtingit a Deo per *Justificationem.* Patet hoc ex eo quod pergit dicere (℣. 17) : *Justitia* ENIM *Dei in eo revelatur;* nam hæc verba causam explicant cur Evangelica doctrina sit *salvifica quædam Dei virtus.* Dicitur autem Evangelica doctrina *Virtus Dei*, quatenus illa doctrina est in manu Dei justificantis *efficax* quoddam *instrumentum*, per quod operatur salutem eam, quæ in Justificatione sita est; quæ salus parata est cuicumque, sive Judæo, sive Græco, sed ea lege ut illam doctrinam *fide* amplectatur. Quamnam vero *fidem* Apostolus hìc intelligat, et quanam ratione fidei tribuat *Justificationem*, insequenti versiculo explicabitur; ibique etiam dicetur *quonam sensu* Evangelica doctrina sit Dei efficax quoddam veluti instrumentum, quo hominem justificat.

℣. 17. *Justitia enim Dei*) *Iustitia* (ἡ δικαιοσυνη, *rectitudo*) intelligitur qualitas quæpiam, quam qui possidet homo, *justificatus* (δικαιωθεις) dicitur, et qui eam homini impertitur, ὁ δικαιων, *justificans* vocatur. Porrò, *justificatio* (ἡ δικαιωσις), activo sensu, denotat *actum justificantis;* sensu autem passivo *justificatio* est *translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ et adoptionis filiorum Dei per secundum Adam*, JESUM CHRISTUM *salvatorem nostrum* Atque hæc est *justificationis passivæ* definitio quam tradit Tridentina Synodus (Sess. VI. Cap. 4), quæ eamdem ulterius (*ibid.* Cap. VII.) sic describit, ut sit *non sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio, et renovatio interioris hominis per voluntariam* [1] *susceptionem gratiæ, et donorum; unde homo ex injusto fit justus, et ex inimico amicus, ut sit hæres secundum spem vitæ æternæ.* Et post pauca addit (*ibid.*) : *In ipsa justificatione, cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, et caritatem* [2].

---

(1) Ut significaretur, neminem adultorum absque propria voluntate sanctificari, adjectum est verbum *voluntariam.* Voluerunt enim Patres hoc loco stabilire veritatem fidei adversus dogma Lutheri, asserentis etiam nolentes et reluctantes adultos justificari. » Vega. de Justificatione Lib. V. Cap. 2.

(2) Observandum est ad ea quæ de *passiva justificatione* ex Tridentina Synodo hic recitavimus, 1° Patres ibi loqui tantùm de *prima* justificatione; non verò de ea justificatione quâ quis post perditam primam justificationem denuò justificari potest; 2° Eos ibi loqui tantùm de prima justificatione *adultorum;* de qua sola PAULUS quoque hic sermonem habet. De justificatione eorum qui per peccatum exciderunt a primæ justificationis gratia, Tridentini Patres agunt infra Cap. XIV, cui titulus : *De lapsis, et eorum reparatione.*

« Ex his verò licet colligere, inquit Vega [1], nostram justificationem quatuor Dei eximia beneficia complecti; nempe, remissionem peccatorum, sanctificationem, renovationem interioris hominis, adoptionemque in filios Dei et hæredes vitæ æternæ. Hæc enim est eximia Dei nostri in nos benignitas et humanitas, ut non contentus remittere peccata, præcellentibus etiam exornet beneficiis eos, quibus peccata condonat, gratia scilicet et donis. Et gratiam quidem impertitur, ut eos sibi reconciliet, et amicos et caros efficiat; dona verò, ut eos ad mandata sua implenda promptos et alacres efficiat. »

Tale autem esse inæstimabile illud justificationis beneficium, quale a Tridentinis Patribus definitum fuit atque descriptum, sacræ Scripturæ perspicuè docent; quod latè probat Vega (*De justificatione.* Lib. V. Cap. p. 5—10).

Jam ergo quum sciamus quid intelligatur *Justificatio passiva*, unà quoque intelleximus quæ sit *justitia illa* (ἡ δικαιοσυνη), de qua Paulus hic loquitur. Hæc autem *justitia* quo sensu ab Apostolo vocetur *justitia* Dei, perspicuè patet ex locis parallelis (Rom. Cap. III. 30. IV. 5), ubi Deus dicitur ὁ δικαιων, *is qui justificat.* Ideò ergo justitia hæc, Dei justitia ab Apostolo vocatur, quia Deus impertiendo eam *justos facit;* adeòque intelligitur non Dei sed hominis quæpiam qualitas, quam in homine efficit Deus. [2]

in eo revelatur) Scil. *in Evangelio* (Cf. ✝. 16.), sive in doctrina Evangelica. Verbum *revelari*, αποκαλυπτεσθαι, quod dicitur ratione habita alicujus absconditi sive adhuc velati, in Scripturis Novi Testamenti adhibetur nunc quidem de patefactione qua absconditæ rei scientia innotescit, ut Ephes. Cap. III. 3—7, nunc verò de ea manifestatione, qua id ipsum, quod adhuc absconditum erat, jam reapse fit aut exhibetur; hoc sensu voces αποκαλυψις et αποκαλυπτεσθαι leguntur infrà Cap. II. 5; VIII. 18. 19, et alibi. In præsenti loco (✝. 17) Verbum αποκαλυπτεσθαι sumendum est priore illo sensu, ut patet; agitur enim de *revelatione*, quæ fit per doctrinam. Cujus ergo rei absconditæ fit revelatio in Evangelio, sive in doctrinâ Evangelicâ? Hujus, videlicet, *a* Deo *justificari hominem, idque* per fidém. [3]

ex fide in fidem) Jungenda sunt hæc verba non cum δικαιοσυνη, quod violentum sit, sed cum αποκαλυπτεται; ubi tamen observandum est conciso sermone dictum esse αποκαλυπτεται εκ πιστεως εις πιστιν pro αποκαλυπτεται ουσα εκ πισ-

---

(1) *De Justificatione doctrina universa.* Auct. Andrea Vegæ Lib. V. Cap. 2. Fuit Vega is unus ex præstantissimis Tridentini Concilii Theologis.

(2) « Ideò justitia Dei dicitur, quod impertiendo eam justos facit. » S. Aug. *De Spiritu et littera. Cap. XI.* « Justitia Dei dicitur non qua justus est Deus, sed quam dat homini Deus, ut homo justus sit per Deum. » S. Aug. *Tract.* 26 *in Joh.*

(3) Quum a justificatione pendeat salus hominis, reveletur autem per Evangelium quanam via et ratione homo sit justificandus, facile intelligitur quo modo Evangelium sive Evangelica doctrina sit δυναμις εις σωτηριαν, *virtus quædam salvifica,* et quidem *Dei* virtus, quia doctrina Evangelica *Dei* verbum est. Audi Apostolum (1 Thess. Cap. II. 13): *Gratias*, inquit, *agimus Deo sine intermissione, quoniam cum accepissetis a nobis verbum auditûs Dei, accepistis illud, non ut verbum hominum, sed, sicut est verè verbum Dei.*

τεως εις πιστιν, ut sensus sit : *in eo revelatur, Justitiam Dei oriri ex fide in fidem.* Quid vero sit *ex fide in fidem*, intelligitur ex loco parallelo hoc (Cap. III. 22) : *Justitia autem Dei per fidem... in omnes.... qui credunt ;* Græcè : δια πιστεως .... εις παντας... τους πιστευοντας. Ergo quod hic dicitur *in fidem* (εις πιστιν) tantumdem est ac *in credentem*, Abstracto posito pro Concreto ; adeòque mens Pauli est dicere : *In doctrina Evangelica revelatur, justitiam Dei oriri ex fide, et obtingere credenti.*

Sed jam explicandum est *quænam fides* hic intelligatur, et *quonam sensu* huic fidei tribuatur Justificatio.

Ergo fides, de qua hic agitur, sic describitur a Patribus Tridentinis, ubi agunt (Sess. VI. Cap. 6. sq.) de modo præparationis ad Justificationem : « *Disponuntur autem*, inquiunt, *ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia, et adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitùs revelata et promissa sunt ; atque illud in primis, a Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu : et dum peccatores se esse intelligentes, a divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore.... Hanc dispositionem seu præparationem Justificatio ipsa consequitur.* »

Itaque *fides* in præsenti quæstione intelligitur *actus intellectûs*, *a voluntate* (1) *imperatus*, quo justificandus credit firmo assensu (2), vera esse quæ divinitùs revelata sunt. (3) Fidem

---

(1) Nempe actus fidei liber est et voluntarius. *Non omnes* OBEDIUNT *Evangelio*, ait Apostolus ; atqui *obedientia* actus liber est. Hinc S. THOMAS (2. 2. Q. 2. Art. 9) : *Credere*, inquit, *est actus intellectûs assentientis divinæ Veritati ex imperio voluntatis motæ per gratiam.* Imperium hoc voluntatis a Theologis nunc *prævius credulitatis affectus*, nunc *pia credendi affectio* vocatur. De quo credulitatis affectu Patres Concilii Arausicani secundi (Can. 5) sic statuunt : *Si quis*, inquiunt, *ipsum credulitatis affectum non per Gratiæ donum, sed naturaliter nobis inesse dicit, Apostolicis dogmatibus adversarius probatur.* Causa autem cur actus fidei imperandus sit a voluntate, sita est in ipso fidei objecto. Nam quum objectum fidei non sit evidens per se, non *cogit* intellectum ad assensum.

(2) « *Credendi* vox hoc loco *putare, existimare, opinari*, non significat, sed, ut docent sacræ litteræ, certissimæ assensionis vim habet, quâ mens Deo sua mysteria aperienti firme constanterque assentitur. » Catechism. Concil. Trid. ad voces *credo in Deum.* Obiter hic notamus, fidem disponentem ad justitiam, eam fidem, inquam, de qua Paulus et Patres Tridentini (Sess. VI Cap. VIII et Can. IX) loquuntur, non esse intelligendam fidem nec *habitualem*, nec *formatam.* Nam ante justificationem neque fides habitualis nobis infunditur, neque formata est. Itaque neutra aliquo modo dispositio esse ad justitiam potest. Cf. Vega Lib. VI. Cap. XV. Benè Pererius (Tom. 2. Selectarum Disputationum in S. Script. Disput. 18) : « *Cum justitia*, inquit, *quâ homo fit et est justus, nihil aliud sit, quàm ipsa charitas, vel gratia, quæ unà cum charitate infunditur in ipsa justificatione hominis : si cum Paulus ait*, per fidem justificari hominem, *loqueretur de fide jam formata per charitatem, verba ejus hanc utique redderent sententiam, per fidem charitate formatam perveniri ad ipsam charitatem, vel apprehendi charitatem ; quæ sententia et interpretatio verborum Pauli perspicuè absurda est.*

(3) Verba Tridentini Concilii, quæ quidem ad objectum fidei justificantis pertinent, hæc sunt : «...*Credentes vera esse, quæ divinitùs revelata et promissa sunt; atque illud in primis, a Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu.* » Ad quæ verba Vega (Lib. VI. Cap. 15) notat hæc : « His verbis, inquit, significata est nobis via *communis*, qua homines per fidem disponuntur ad justitiam. Hæc autem est, credere vera esse quæ divinitùs revelata et promissa sunt, et pecu-

justificantem pro *actu intellectûs* esse habendam, perspicuis verbis Apostolus docet infra (Cap. X. 9): *Si confitearis*, inquit, *in ore tuo Dominum Jesum, et in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris. Corde enim creditur ad justitiam: ore autem confessio fit ad salutem.* Novatores sæculi XVI fidem justificantem collocarunt in voluntate, quum *fiduciam* esse definiverint, adeòque confuderint cum spe. (1) Quorum hac

liariter, non contingere alicui justificationem, nisi ex gratia Dei, et unius mediatoris Jesu Christi. Neque sine causa fidei hujus articuli meminêre hic Patres. Hæc quippe est fides, quæ maxime erigere potest nos in spem nostræ justificationis, ac proinde in eam perducere. Atque huic, *ut plurimum et præcipuè*, tribuunt sacræ litteræ et sancti Doctores nostram justificationem.... Sic tamen fide Mediatoris asserendi sunt justificari homines, ut tamen neque hujus, neque alicujus alterius articuli fides explicita, requisita existimetur ad justitiam. Potest namque ad id explicita fides aliorum articulorum, sive speculabilium, sive moralium sufficere; unde et Paulus .... solùm requirit ad placendum Deo, credere illum esse, et quod inquirentibus se remunerator sit (ad Hebr. XI. 6.); et Noe et Abrahæ, et aliis sanctis Patribus fidem diversissimarum veritatum imputatam docet ad justitiam. Cornelius etiam (Act. X) exauditus a Deo est et justificatus, antequam audiret aliquid de Christo.... Et hoc est, quod Theologi in 3 Sent. Dist. 23 communiter docent, cum aiunt, ad justitiam sufficere fidem explicitam, vel implicitam unius Mediatoris. Atque hanc omnes illi habuisse censendi sunt, qui Deum crediderunt veracem esse in omnibus verbis et promissis suis, et benignè exhibiturum omnia necessaria ad salutem. Neque Patres majus aliquid requisière in verbis, quæ nunc exponimus, sed viam communem aperuerunt, qua et nos et alios disponere debemus ad justitiam. » Idem alibi (in peculiari opusculo *De Justificatione, Gratia, Fide, operibus, et meritis.* Quæst. 1. Propositione V) in eamdem sententiam hæc scripsit: » Fides, inquit, cui sacræ litteræ nostram tribuunt justificationem, est imprimis fides Jesu Christi, hoc est assensus ille quo certò et indubitanter credimus, per eum unum nos posse salvari; et alia quæ de ipsius vita, morte, resurrectione, etc. credenda nobis vel ab ipso, vel ab ecclesia, vel ab Apostolis ipsis sunt tradita... Hæc est etiam fides, per quam justificati sunt, quicumque justificati sunt ex Patribus veteris Testamenti, et per quam nos habemus justificari. *Justitia autem Dei*, inquit Paulus (Rom. III 22.), *per fidem J. C. in omnes et super omnes qui credunt.* Patet, fidem de qua agit Apostolus in istis locis, esse fidem, qua certo et indubitato Christum credimus salvatorem esse nostrum, et ejus unius meritis et gratia nos posse salvari. Sicut enim per unum Christum salvamur, ita et consentaneum fuit, et fidei quoque ipsius potissimum tribui nostram justificationem. »

« Sed addendum est his: quamvis hæc fuerit fides quam et Christus et sui apostoli a nobis requisiverint, quæque una necessaria prædicata est ad salutem, tamen haudquaquam excludimus a salute omnes, qui eam non habuerunt sic explicitam et claram, ut eam hic tradimus. Satis enim fuit permultis illa eadem implicita. Dixi tamen hanc fidem Mediatoris esse eam, cui *ut plurimùm et præcipuè* Scripturæ tribuunt nostram justificationem. Credimus enim fidem etiam generaliter sumptam, ut veritati divinæ adæquatè innititur, justificare nos posse. Neque in eo sumus errore, in quo quidam sunt, existimantes solam fidem promissæ justificationis, aut salutis in Christo, nos justificare, aut nobis ad justitiam imputari. Hoc etenim in fide nostra gratum est Deo, quod intellectum nostrum et rationem, omnemque sensuùm nostrorum apparentiam, captivamus in obsequium fidei, et omnibus quæ ab ipso Ecclesiæ suæ, gratiâ salutis nostræ, revelata sunt, sponte nostra certissimo et indubitato nos subjicimus, honoremque illi in omnibus primæ et infallibilis veritatis tribuimus, neque plus in attestationibus præsentium vel præteritorum, quam in prædictionibus futurorum, et ex æquo speculativis mysteriis, et doctrinis moralibus, quas nobis tradidit, fidem adhibemus. Noe, teste Paulo, fides futuri diluvii imputata est ad justitiam; et justitiæ, quæ per fidem est, hæres est institutus, quod Deo prænuncianti diluvium credidit. Abrahamo imputatum est ad justitiam, quod credidit multiplicandam esse posteritatem suam, sicut stellas coeli... Ut intelligamus, non soli fidei promissionum divinarum imputandam esse justitiam, sed fidei generaliter, quæ veritati divinæ innititur, quamvis ut plurimum et præcipuè fides Mediatoris hanc prærogativam mereatur, et ei illam tribuerint sacræ litteræ, deque ea sint exponenda omnia propemodum earum loca, quæ fidei salutem nostram adscribunt. »

(1) *Confessio August.* Art. IV. « Item docent, quod homines non possint justificari coram Deo propriis viribus, meritis aut operibus, sed gratis justificentur

in re errores Tridentini Patres his verbis (Sess. VI. Can. XII) damnarunt : *Si quis dixerit, fidem justificantem nihil aliud esse , quam fiduciam divinæ misericordiæ peccata remittentis propter Christum ; vel eam fiduciam solam esse , qua justificamur, anathema sit.* Cf. etiam Can. XIII et XIV ; item Sess. VI. Caput IX, quod inscribitur : *Contra inanem hæreticorum fiduciam.*

Superest ut videamus *quonam sensu* Paulus fidei tribuat justificationem , ubi docet *justificari hominem per fidem.* Propositæ autem quæstioni sic respondet Tridentina Synodus (Sess. VI. Cap. VIII) : *Cum Apostolus dicit* , inquit Synodus , [1] *justificari hominem per fidem , ea verba in eo sensu intelligenda sunt , quem perpetuus Ecclesiæ Catholicæ consensus tenuit, et expressit : ut scilicet per fidem ideò justificari dicamur , quia fides est humanæ salutis initium , fundamentum , et radix omnis justificationis ; sine qua impossibile est placere Deo , et ad filiorum ejus consortium pervenire.* Secundum hanc doctrinam Patres Tridentini sequentem quoque Canonem (Sess. VI. Can. IX) statuerunt : *Si quis dixerit , sola fide impium justificari , ita ut intelligat nihil aliud requiri , quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur , et nulla ex parte necesse esse, eum suæ voluntatis motu præparari , atque disponi ; anathema sit.*

Docent ergo Patres Tridentini, ideò a Paulo dici hominem justificari per fidem , non quòd *sola* fides peccatorem ad justificationem disponat , sed , ut ait Toletus (ad Cap. III. 22.) , « *quia fides est initium , fundamentum et radix ceterarum dispositiònum. Et initium quidem dicitur , quia ipsa præcedit ; nisi enim peccator peccasse se contra Deum , et per Christum sibi justitiam oblatam credat , — nec sperat , nec diligit , nec se peccasse dolet ; fides ergo initium est. Fundamentum autem dicitur , quia ipsi ceteræ innituntur ; ablata namque fide , ceteræ corruunt , nec subsistere possunt ; ceteris vero sublatis , non continuo fides destruitur : sicut ablato fundamento ædificium ruit ; non autem e contrario , ædificio destructo , fundamentum eruitur. Radix tandem dicitur , quia ad ceteras dispositiones pro-*

---

propter Christum per fidem , cum credunt , se in gratiam recipi , et peccata remitti propter Christum, qui sua morte pro nostris peccatis satisfecit. » *Melanchton* in *Locis Theolog.* pag. 93 (apud Möhler. *Symbolik* § 16) : « Habes , *inquit* , in quam partem fidei nomen usurpet Scriptura , nempe pro eo , quod est fidere gratuita Dei misericordia , sine ullo operum nostrorum sive bonorum , sive malorum respectu : quia de Christi plenitudine omnes accipimus.» Cf. Bellarm. *de Justificatione Lib. I.* Cap. 5 sqq. Perrone. Tract. *de Gratia.* Part. 2. nº 534. sqq. — Möhler. Symbolik. § 16.

(1) Supra (Sess. VI. Cap. VI.), cum agerent de dispositionibus ad justificationem adultorum, Patres Tridentini præter *fidem* recensuerunt etiam *timorem* divinæ justitiæ, et *spem* consequendæ veniæ , et *dilectionem Dei* , et *propositum inchoandi novam vitam observandique divina mandata* , et tandem *odium aliquod et detestationem peccatorum admissorum;* hic verò (Cap. VIII) causam explicant cur , cum Scripturæ aliquando spei , aliquando dilectioni, aliquando pœnitentiæ justificationem tribuant , frequentius tamen,et maximèPaulus,eamdem adscribant fidei.- Obiter hic noto , quod attinet ad *dilectionem* quam Patres Tridentini annumerant inter dispositiones ad justificationem , intelligendam esse dilectionem non eam , quæ provenit ex habitu charitatis et Spiritu sancto animum hominis jam inhabitante , quæque esse nequit nisi in iis qui jam sunt justificati , sed , ut ait Pererius (Disput. XVII), intelligenda est *dilectio imperfecta , et ceu inchoatio quædam futuræ charitatis.* Tridentini Concilii verba sunt hæc : *illumque* (Deum), *tanquam omnis justitiæ fontem , diligere incipiunt.*

BOSTON COLLEGE LIBRARY
CHESTNUT HILL, MASS.

ducendas ipsa concurrit; non quòd hæ necessario consequantur fidem, nec quòd sola fides sine adjutorio supernaturali eas inducat; sed quòd ex parte ad actus tales producendos concurrit unà cum auxilio divinæ gratiæ. Charitati enim proponitur per fidem Deus amandus; spei per fidem offertur Dei misericordia speranda; timori justitia timenda; poenitentiæ peccatum et offensa dolore et contritione punienda. »

sicut scriptum est : Justus autem ex fide vivit. } Verba sunt Prophetæ Habacuc (Cap. II. 4), quæ hic recitat Apostolus ut *obiter* innuat suam de justitia ex fide obtinenda doctrinam consentire cum Scripturæ effatis, minimèque esse novam. Uberiùs autem hoc ostendit infrà, Capite III. 31 usque ad IV. 25. Quum ergo Prophetæ illud effatum Paulus adducat ut ex verbis sacræ Scripturæ probet, *justitiam ex fide esse obtinendam*, consequitur, Prophetæ verba sic ab eo intelligi, ut eorum sensus illi sit hic : *justus justitiam, qua justus est, per fidem habet.* Eadem illa Habacuci verba in eamdem sententiam Apostolus recitat etiam in epistola sua ad Galatas (Cap. III. 11) : *Quoniam autem*, inquit, *in Lege nemo justificatur apud Deum, manifestum est; quia justus ex fide vivit.* Eodem Scripturæ testimonio tertiò utitur in epistola sua ad Hebræos (Cap. X. 38), ibique Habacuci locus, ex quo illa verba *justus ex fide vivit* desumta sunt, integer recitatur; quare accuratiorem de eo loco disputationem instituturi sumus, si Deo placet, in commentario nostro in epistolam ad Hebræos, ad Cap. X. 48.

℣. 18 — 21. Revelatur enim ira Dei de cœlo super omnem impietatem, et injustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injustitia detinent : 19 quia quod notum est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis manifestavit. 20 Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur : sempiterna quoque ejus virtus, et divinitas : ita ut sint inexcusabiles. 21 Quia cum cognovissent Deum, non

℣. 18 — 21. *Ἀποκαλύπτεται γὰρ ὀργὴ Θεοῦ ἀπ' οὐρανοῦ ἐπὶ πᾶσαν ἀσέβειαν καὶ ἀδικίαν ἀνθρώπων, τῶν τὴν ἀλήθειαν ἐν ἀδικίᾳ κατεχόντων· 19 διότι τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ φανερόν ἐστιν ἐν αὐτοῖς· ὁ γὰρ Θεὸς αὐτοῖς ἐφανέρωσε· 20 (τὰ γὰρ ἀόρατα αὐτοῦ ἀπο κτίσεως κόσμου τοῖς ποιήμασι νοούμενα καθορᾶται, ἥ τε ἀΐδιος αὐτοῦ δύναμις καὶ θειότης) εἰς τὸ εἶναι αὐτους ἀναπολογήτους, 21 διότι γνόν-*

Paraphrasis. Nam in doctrina Evangelii revelatur, vindictam Dei cœlitùs esse superventuram contra summam impietatem et iniquitatem eorum, qui veram, quam habent, de Deo notitiam, per improbitatem suam prohibent ne vitam eorum moderetur; nam in ignoratione Dei non sunt; quod enim notum est de Deo, hoc in ipsorum animis manifestum est; Deus enim hoc illis manifestavit; (nam ea quæ de Deo oculis sunt impervia, videlicet æterna ejus potentia, et reliqua attributa, hæc jam inde a mundo condito intellectu ex rebus creatis apprehensa cernuntur) ut adeò inexcusabiles sint meritoque damnandi quia, quamquam Deum cognosce-

sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt :	τες τὸν Θεὸν, οὐχ ὡς Θεὸν ἐδόξασαν ἢ εὐχαρίστησαν.	rent, eumdem tamen non ut talem coluerunt, aut vel gratum suum animum eidem testati sunt.

ỳ. 18. *Revelatur enim ira Dei de cœlo,* etc.) Nexus logicus cum superioribus talis est : Dixerat Apostolus (ỳ. 16), se nequaquam erubescere doctrinam Evangelii; nam doctrinam hanc, esse Dei salvificam quamdam vim cuicumque credenti, sive Judæo, sive Gentili. Hoc autem, scilicet, doctrinam Evangelii esse salvificam quamdam Dei vim cuicumque credenti, sive Judæo sive Gentili, deinde probat, tum ex eo (ỳ. 17) quòd doctrina Evangelii manifestat, qua via ac ratione homo sit justificandus adeòque salvandus, tum etiam inde (ỳ. 18) quòd manifestat, esse vindictam Dei cœlitùs superventuram et exercendam in impios et iniquos; nam ea manifestatione homines ad oblatam salutem capessendam per incussum timorem excitabantur. Cf. Act. XVII. 30. 31. Itaque Evangelii doctrinam esse salvificam quamdam Dei vim, Apostolus probat duabus rationibus asyndeticè junctis. Observandum autem est, Paulum duplicem illam rationem producendo, eâdem operâ duo alia præstitisse ; nam dum (ỳ. 17) enunciat *justitiam a fide repetendam,* eo ipso etiam proponit thema in hac epistola præcipue a se tractandum ;—et per id quod dicit versiculo 18, scilicet *revelari iram Dei de cœlo super omnem impietatem et injustitiam*, simul transitionem facit ad thematis sui tractationem, quam, ut diximus in Argumento hujus capitis, orditur a refellendo eo Romanorum errore, quo Ethnico-Christiani cum Judæo-Christianis altercabantur atque alteri adversus alteros sese venditabant ob suæ gentis merita vocatos se fuisse ad Christi fidem et gratiam; nam per verba illa, *revelatur enim ira Dei*, etc. transit ad demonstrandum Gentiles esse peccatores, quod deinde ostendit quoque de Judæis : atque ita docet nec Ethnico-Christianos nec Judæo-Christianos habere cur alteri adversus alteros gloriarentur, ut qui falsò utrique Evangelii gratiam, quam in Justificatione fuerant adepti, suæ Gentis meritis arrogarent.

Αποκαλυπτεται, scilicet, *εν αυτῳ* (*in Evangelio*), quod ex præcedenti versiculo hic repetendum est. Voces *επι πασαν*, *κ. τ. λ.*, pendent a supplenda voce *ερχομενη*, quam alibi (Ephes. V. 6.; Coloss. III. 6; I Thess. I. 10) in simili phrasi Apostolus adhibet. Puta Paulum scripsisse : *Αποκαλυπτεται γαρ εν αυτῳ οργη Θεȣ ερχομενη απ᾽ ουρανου επι πασαν*, *κ. τ. λ.* — *Ira* Dei per Anthropopatheiam et Metonymiam dicitur de pœna divinitùs infligenda. Sensus ergo est : In doctrina Evangelica manifestari, vindictam Dei cœlitùs (Cf. 2 Thessal. I. 6—10) superventuram *super omnem impietatem*, etc.

super omnem impietatem et injustitiam). Quum ex sequentibus (ỳ. 21—32) pateat, voluisse Apostolum duabus hisce vocibus, *ασεβεια* et *αδικια*, designare omnis generis iniquitatem, sub nomine *ασεβειας* comprehenderit quidquid deinceps (21—24) dicit commissum adversus cultum Dei, *αδικιαν* verò hic intellexerit reliqua, quæ porrò (24—32) enumerat, peccata. Græca hic reddiderim : *contra summam impietatem et iniquitatem. Πασα, summa,* ut 1 Tim. I. 15. Jacob. I. 2.

hominum eorum, qui veritatem Dei in injustitia detinent). His verbis *Gentiles* designat, ut ex sequenti descriptione patet.

Græcè non legitur *veritatem Dei*, sed simpliciter *veritatem* (την αληθειαν). Intelligitur autem *veritas* (ἡ αληθεια) hoc loco *vera de Deo notio illa*, quæ per lumen rationis naturale ex consideratione rerum creatarum a quovis ratione utente habetur. Definitio hæc colligitur ex sequentibus (℣℣. 19. 20). Hanc ergo veritatem Gentiles hic dicuntur *per improbos suos mores* (εν αδικιᾳ) *detinere* (κατεχειν q. d. *onderdrukken*), i. e. intra se eatenus veluti captivam tenere, quatenus non patiuntur ut eorum vivendi rationem regat atque moderetur. [1] Sistuntur ergo hac descriptione Gentiles tamquam tales, qui nec Deum colunt, nec legem moralem observant, adeòque tamquam *impii* (ασεβεις) et *iniqui* (αδικοι). Et directò considerat Apostolus Gentiles qui tunc vivebant; nam utitur Verbis Præsentis Temporis (κατεχοντων .... φανερον εστι); sed quod de tunc viventibus affirmabat, illud, ob paritatem rationis, ad horum quoque proavos referebat; imo ℣℣. 21—32 proavos illos directò considerat.

℣. 19. *Quia quod notum est Dei, manifestum est in illis).* In præcedenti versiculo pro certo posuerat, Gentiles *habere veram de Deo notitiam.* Hoc nunc probat; atque hinc nectitur oratio per διοτι, quod hic valet *nam*, ut Act. Cap. XVIII. 10. — In dictione ista, το γνωστον του Θεȣ, Substantivi loco adhibitum est Adjectivum in Neutro Genere, ut infra Cap. II. 4; Genitivus autem του Θεȣ est Genitivus *Objecti.* Sed hìc quæritur, utrum το γνωστον reddendum sit, *quod notum est*, ut fecit Interpres noster, an verò, *quod cognosci potest.* Et posteriore quidem sensu το γνωστον accipiunt Œcumenius [2], S. Thomas [3], Estius, Card. Toletus [4], alii. Ego vero, ut non nego vocem γνωστον dici posse de eo *quod cognosci potest* [5], ita tamen malim hìc facere cum nostro Interprete; ratio est, quia in Græcitate librorum Novi Testamenti vox γνωστος, etsi fequenter obvia, nuspiam tamen adhibetur de *cognoscibili*, sed ubique de *noto.* Ad hæc, contexta etiam oratio postulat ut το γνωστον reddamus *quod notum est;* nam mox illud γνωστον dicitur fuisse Gentilibus a Deo *manifestatum.*

---

(1) S. Thomas (ad h. l.) « Veram de Deo cognitionem, *inquit*, detinent in injustitia quasi captivatam. Nam vera Dei cognitio, quantum est de se, inducit homines ad bonum, sed ligatur quasi captivitate detenta per injustitiæ affectum. »

(2) Ad h. l. Το γνωστον, inquit, ὅπερ δυνατον εστι γνωσθηναι· ὅτι ποιητης, ὅτι προνοητης, και τα ὁμοια.

(3) Ad h. l. « *Quod notum est Dei*, id est, quod cognoscibile est de Deo ab homine per rationem. »

(4) « Illud *quod notum est*, inquit, (ad h. l.), generalitatem indicat, nempe omnia Dei cognoscibilia, non absolutè, sed quæ necessaria sunt, ut veri Dei notitia habeatur; hoc est *notum Dei.* Hæc autem omnia, via naturali homo assequi potuit.

(5) « Die Verbaladjektiven auf τος bezeichnen eine *abgeschlossene* Thätigkeit und entsprechen dann dem Partizip. Perf. Pass., als : λεκτος von λεγω, *dictus;* und daher auch, die durch die Wirklichkeit schon begründete *Möglichkeit*, die in den andern Formen auf τεος noch problematisch ist, und diess ist die gewöhnliche Bedeutung derselben, als : στρεπτος, *versatilis*, ὁρατος, *sichtbar*, ακουστος, *horbar.* » Kuhner. *Ausfuhrliche Grammatik.* § 90. 3.

manifestum est in illis) h. e. *in animis eorum*, sicut legem moralem Apostolus infra (Cap. II. 15) dicit *scriptam in cordibus eorum.*

Deus enim illis manifestavit.) Quando? Cum mundum condidit, et eo ipso quo mundum condidit. Quo fit ut hæc Dei *φανερωσις* sive *manifestatio* ex quo semel facta est, deinceps numquam non fiat, atque adeò indesinenter cœli enarrent gloriam sui conditoris.

℣. 20. *Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.)* Græca ista, *απο κτισεως κοσμου*, Interpres noster reddidit, *a creatura mundi*; malim vertere, *inde a* (*απο* ut infrà Cap. XV. 23) *creatione* mundi; (1) ratio est, quia si verba illa *a creatura mundi* hic valeant *ex rebus creatis*, jam tautologica erit oratio, quum mox idem dicatur per voces sequentes, *τοις ποιημασι* (Vulg. *per ea quæ facta sunt*). Quæ vero hic ab Apostolo dicuntur *τα αορατα Θεȣ* (*invisibilia Dei*), intelliguntur *divina attributa*, quæ ideò dicuntur *invisibilia*, quòd non, sicut res ab ipso creatæ, corporeis oculis videri possunt. Apostolus quid sibi voluerit per *τα αορατα Θεȣ* mox distinctius explicat, dum addit : *ή τε αιδιος αυτου δυναμις και θειοτης*, quibus verbis Dei attributa designat. *Ἡ αιδιος δυναμις* est *æterna Dei potentia*, *ή θειοτης* (*divinitas*, non *deitas*) cetera attributa denotat. *Τε—και* hic non novum quid addit, sed *exegeticum* est.

per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur) Adverte Oxumoron : *τα αορατα καθορᾶται*, *invisibilia conspiciuntur.* Quo modo? Respondetur *τοις ποιημασι* (Dativ. instrumenti) *νοουμενα*, h. e. *dum intellectu ex consideratione rerum creatarum apprehenduntur.* Vox *νοουμενα*, quum sit Participium Passivum Præsentis, Latinè non nisi ope periphrasis reddi potest. Attributa hæc tum *conspiciuntur* (*καθορᾶται*) cùm ex rebus conditis *intelliguntur* (*νοουμενα*); nec sunt *prius* intellecta, et *deinde* conspecta.

ita ut sint inexcusabiles, quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum, etc.) inexcusabiles sunt Gentiles meritoque damnandi, quia, *quamquam Deum cognoscerent* (*γνοντες τον Θεον*), ut probatum est ℣℣. 19. 20, eumdem tamen non *coluerunt* (*εδοξασαν*) *aut nec vel* (*η*) *gratum suum animum eidem testati sunt* (*ευχαριστησαν*) (2); cum tamen *lex scripta in cordibus eorum* (Cap. II. 15) illis dictaret, Deum, *ut talem* (*ώς Θεον*) esse colendum illique ut bonorum omnium auctori gratias esse agendas. *Εις* hic valet *ώστε*. Vide Winerum § 45. 6.

---

(1) Hæc interpretatio etiam Toleto placuit. « Legitima expositio, inquit, mihi visa est, *a creatura mundi* significare temporis antiquitatem, ut ostendat Paulus, invisibilia hæc Dei manifestata esse per opera, non a paucis retro annis, sed ab exordio, et a creationis mundi initio. »

(2) Est in hac sententia bis omissum Pronomen. Itaque puta scriptum ibi esse sic : . . . ουχ ὡς Θεον εδοξασαν αυτον, η ευχαριστησαν αυτῳ

ỳ. 21—23. sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum. 22 dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. 23 Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentium.

ỳ. 21—23. Ἀλλ' ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν, καὶ ἐσκοτίσθη ἡ ἀσύνετος αὐτῶν καρδία· 22 (φάσκοντες a) εἶναι σοφοὶ, ἐμωράνθησαν) 23 καὶ ἤλλαξαν τὴν δόξαν τοῦ ἀφθάρτου Θεοῦ ἐν ὁμοιώματι εἰκόνος φθαρτοῦ ἀνθρώπου, καὶ πετεινῶν, καὶ τετραπόδων, καὶ ἑρπετῶν.

Paraphrasis. Sed ad falsas de Deo opiniones delapsi sunt, aliter eum animo fingentes quam est; atque ita tenebris obducta est desipiens eorum mens; (dum sapientes se esse gloriabantur, infatuati sunt) eòque stuporis venerunt, ut loco Dei immortalis coluerint simulacra hominum, et volucrium, et quadrupedum, et reptilium.

VARIANS LECTIO.

a) Post φασκοντες in nullo codice legitur Particula γαρ, quam ibi legisse videtur noster Interpres, quum scripserit *dicentes enim*. Hæc tamen Particula *enim*, Estio teste, non legitur in omnibus Codicibus Latinis.

ỳ. 21—23. *Sed evanuerunt in cogitationibus suis*, etc.) *Εματαιωθησαν* non pendet a præcedente *διοτι*, nam ab *αλλα* nova incipit periodus, quâ Apostolus continuat describere, quonam modo Gentiles in idololatriæ impietatem inciderint. Nota hic, verba ista, *διοτι γνοντες τον Θεον, ουχ ὡς Θεον εδοξασαν, η ευχαριστησαν*, ita continere rationem superioris sententiæ (*εις το ειναι αυτους αναπολογητους*), ut simul sint principium illius descriptionis, quæ vigesimo tertio versiculo absolvitur. Quonam ergo *modo* Gentiles in idololatriæ impietatem inciderunt? *Primùm* quidem delapsi sunt in practicam Dei oblivionem per hoc, quod, quamquam Deum cognoscerent, eidem tamen nullum religiosum cultum exhiberent, aut nec agnoscerent tamquam bonorum omnium largitorem (*γνοντες τον Θεον, ουχ ὡς Θεον εδοξασαν η ευχαριστησαν*). *Deinde*, cùm hoc modo Deum veluti repulissent e sua *voluntate*, mox et in *intellectu* ipsorum vera, quam haberent, de Deo notitia in oblivione esse cœpit; cumque jam vana sua de Deo cogitata sequerentur (*εματαιωθησαν εν τοις διαλογισμοις αὐτων*), desipiens eorum intellectus obscuratus est (*και εσκοτισθη ἡ ασυνετος αυτων καρδια*). *Tandem* eò stuporis venerunt ut loco Dei immortalis coluerint simulacra corruptibilis hominis, imo et volucrium, et quadrupedum, et

reptilium (*και ηλλαξαν την δοξαν του αφθαρτου Θεου εν ὁμοιωματι εικονος φθαρτου ανθρωπου, και πετεινων, και τετραποδων, και ἑρπετων*).

Εματαιωθησαν, q. d. *ματαιοι εγενοντο*, *vani facti sunt; εν τοις διαλογισμοις αὑτων*, *dans leurs pensées* sur la Divinité. Ils se formèrent des idées *vaines* (ne répondant pas a la réalité) q. d. fausses sur la Divinité. Præpositio *εν* hic dicta est de eo *in quo* quid fit. Duo hæc: *εματαιωθησαν εν .... αὑτων*, et quod additur, *εσκοτισθη ἡ ασυνετος αυτων καρδια*, sumenda sunt ad modum *causæ* et *effectûs*. — *Καρδια* (לֵב) hìc de *sede intellectûs*, i. q. *νους*, ut patet ex Epitheto *ασυνετος*, et Prædicato *εσκοτισθη*. Bene Estius: « Cor, *inquit*, in Scripturis, nunc intellectum, nunc voluntatem significat: Voluntatem, quoties cor rectum, pravum, molle, durum, mundum, immundum vocatur; Intellectum verò seu mentem, quoties docile, sapiens, intelligens, illuminatum, aut contra stultum, insipiens, obtenebratum, excæcatum dicitur. » Gentilium intellectus erat *ασυνετος*, *desipiens*, ob ipsum illud *ματαιωθηναι εν τοις διαλογισμοις αὑτων*. Verba ista, *και ηλλαξαν*, proxime jungenda sunt cum verbis *αλλ' εματαιωθησαν.... καρδια*. Nimirum ista, *φασκοντες ειναι σοφοι, εμωρανθησαν*, *dum sapientes se esse gloriabantur* (*φασκοντες*), *infatuati sunt*, ut mihi quidem videtur, habenda sunt pro *interjecto* [1] quodam effato, quo Apostolus incidenter et obiter explodit sapientes Gentilium tamquam stultiloquos, eorumque *Θεολογιαν* ut *μωρολογιαν* traducit. *Obiter*, inquam, Apostolus hoc effato philosophos respicit; nam quæ præterea hìc (ỳ. 18—32) dicit, ea de Gentilibus generaliter dicta sunt, minimèque ad solos eorum sapientes sive philosophos coarctanda. Vide quæ hanc in rem notavimus ad calcem hujus capitis. — Græci dicere solent *αλλασσειν τι τινος* vel *τι αντι τινος*, Paulus autem scripsit *αλλασσειν τι εν τινι*. Scilicet in mente habuerit illud Psalmi 105. ỳ. 20: *Και ηλλαξαντο την δοξαν αυτων εν ὁμοιωματι μοσχου εσθιοντος χορτον*, ubi dictio *αλλασσεσθαι* (Med.) *εν*, respondet Hebraico Verbo הֵמִיר (Infinitiv. Hikt. a מוּר), quod cum Præpositione בְּ construitur. Quæ Præpositio בְּ cum sit בְּ *Instrumenti*, consequitur, Præpositionem *εν* hoc loco dictam esse de *Instrumento quo quid fit*; ut adeò verba ista, *ηλλαξαν την δοξαν του αφθαρτου Θεȣ εν ὁμοιωματι εικονος φθαρτου ανθρωπου*, propriè valeant: *Dei incorruptibilis* (immortalis) *majestatem* (*την δοξαν*) MUTARUNT PER SIMILITUDINEM IMAGINIS (ergo CUM *similitudine imaginis*) *hominis corruptibilis*, *et volucrum*, etc. — *Ὁμοιωμα εικονος* est *imago* quæ referat cujuspiam *similitudinem*. Sensus est: Hominum animaliumque irrationabilium simulacra coluerunt loco Dei immortalis; quem Deo immortali cultum exhibere debebant, hunc impenderunt simulacris.

---

(1) Nullâ enim logicâ Particulâ versiculus hic cum præcedentibus conjungitur; nec philosophis convenit, quod sequitur, *et mutaverunt gloriam*, etc.; neque enim origo cultûs simulacrorum a philosophis repetenda est.

℣. 24—25. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam : ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis : 25 qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium : et coluerunt, et servierunt creaturæ potiùs quam Creatori, qui est benedictus in sæcula. Amen.

℣. 24—25. Διὸ καὶ [a]) παρέδωκεν αὐτοὺς ὁ Θεὸς ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις τῶν καρδιῶν αὐτῶν εἰς ἀκαθαρσίαν, τοῦ ἀτιμάζεσθαι τὰ σώματα αὐτῶν ἐν ἑαυτοῖς· 25 οἵτινες μετήλλαξαν τὴν ἀλήθειαν τοῦ Θεοῦ ἐν τῷ ψεύδει, καὶ ἐσεβάσθησαν καὶ ἐλάτρευσαν τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα, ὅς ἐστιν εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας. Ἀμήν.

Paraphrasis. Quam ob rem Deus, secundum foedas cordium ipsorum cupiditates, retracto gratiæ suæ auxilio, in impuritatem, ita ut mutuò inter sese sua corpora fœdarent, illos tradidit; quippe qui veri Dei loco, falsos sibi assumserant Deos, et honorabant colebantque creaturam præterito Creatore, qui in æternum dignus est laudari. Sic est profectò!

VARIANS LECTIO.

a) Vocula και non legitur in Codd. ABC, ut nec in quibusdam Minusculis; abest pariter a Vulgata, aliisque nonnullis antiquis versionibus, nec lecta fuit Origeni, Didymo, et Damaso. Sed contrà legitur hæc vocula in Codd. DEGIK multisque Minusculis, ut et in nonnullis antiquis versionibus, item apud Athanasium, Chrysostomum, Theodoretum, alios. Quare existimaverim voculam και in textum esse recipiendam.

℣. 24. *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam*) Græce est διο και παρεδωκε, *propter quod* ET *tradidit*, ubi vocula και fere valet *vicissim*; ut sensus sit : Quum illi sic agerent, ideò *vicissim* Deus illos tradidit, etc. — Εις ακαθαρσιαν proximè jungendum est cum παρεδωκε (Cf. ℣. 26 et 28), et verba ista, εν ταις επιθυμιαις των καρδιων αυτων, describunt *statum in quo* quum versarentur, Deus illos παρεδωκεν εις ακαθαρσιαν. Itaque verba illa sic reddiderim : Quapropter Deus tradidit illos *foedas cupiditates cordibus suis concipientes* in impuritatem. — Hoc sensu Præpositio εν non raro adhibetur; v. g. 2 Cor. IX. 4; XI. 17; eoque sensu mox (℣. 27) iterum sumitur. A mente Pauli tamen hic non aberraveris, si vertas : *secundum foedas cordium suorum cupiditates.* Interpres noster scribendo *in desideria*, notionem Præpositionis εις malè tribuit Præpositioni εν, quæ hoc loco legitur. Vox επιθυμιαι generatim notat animi *cupiditates*; sed contexta oratio docet, speciatim intelligendas heic esse foedas in rebus venereis cupiditates (Cf. ℣. 27. : εξεκαυθησαν εις αλληλους); quare hic etiam ακαθαρσια, *impuritas*, de venereâ spurcitie su-

menda est, et quidem peculiariter de coitu (χρῆσει) contra naturam, quem mox (℣. 26 et 27) Apostolus distinctius designat. Infinitivus του ατιμαζεσθαι resolvendus est in Verbum Finitum per *ita ut;* de qua resolutione vide quæ notavimus ad Act. VII. 19.— Ατιμαζεσθαι Mediâ-ne formâ sumendum sit, an Passivâ, dubitari potest. Interpres noster ατιμαζεσθαι pro forma Mediâ habuit; nam vertit: *ut contumeliis afficiant.* Si ατιμαζεσθαι αὑτων legendum sit, ατιμαζεσθαι forma erit Media; si vero ατιμαζεσθαι αὐτων, Passiva erit forma; Apostolus utrum αὑτων scripserit, an verò αὐτων, certò dici nequit, quum Spiritus asper et lenis non nisi sæculo demum a Christo nato septimo in Codicibus appingi litteris cœperint [1]. Etsi verò nullo certo exemplo, quod sciam, probari possit, Verbum ατιμαζειν aliquando adhibitum fuisse in forma Media, tamen hanc vocem in forma Media sumere malim quam passive; ratio est, quia quum hic agatur de aliquo flagitio, passiva Verbi forma non satis recte rei convenit. Quod additur εν ἑαυτοις, notionem habet dictionis εν αλληλοις (*mutuò inter se*), quod et alibi (v. g. Ephes. IV. 32; Coloss. III. 13. 16) observandum est [2]. Sensus ergo est: Tradidit illos Deus in impuritatem (in habitus impuros), ita ut mutuò inter se sua corpora fœdarent [3]. — Supra jam innuimus Paulum, ακαθαρσιας nomine intelligere illud flagitium, quo feminæ cum feminis, mares cum maribus stupra faciebant. Et patet hoc ex ℣℣. 26 et 27, ubi Apostolus illa stupra describit, eaque vocat παθη ατιμιας; ex quo colligitur quid sibi voluerit per verba illa: του ατιμαζεσθαι τα σωματα αὑτων εν ἑαυτοις· atqui hisce verbis Apostolus explicat quid in præsenti loco ακαθαρσιαν intelligat.

Tradidit illos Deus, etc.) Idem hoc Paulus docet quoque infra ℣. 26, atque iterum ℣. 28. Retinenda autem in his est Verbi παραδιδωμι usitata *tradendi* [4] significatio. Scilicet fit, ut Deus, in pœnam præcedentis peccati, gratiæ suæ auxilium homini subtrahat [5]; hæc autem gratiæ detractio re verâ quædam Dei *actio* est, atque eatenùs non quidem *directè*, sed tamen *indirectè* Deus hominem *tradit* in peccatum [6]. Hinc verò intelligitur, quonam sensu hoc loco Deus dicatur Gentiles *ob eorum idololatriam* (διο) tradidisse

---

(1) Vide Montfauc. Palæograph. Gr. pag. 224 293., et Fischerum ad Welleri Grammatic. Gr. pag. 238. sq.

(2) De usu Pronominis Reflexivi loco Pronominis Reciproci videsis Fischerum ad Welleri Grammaticam. pag. 240. sq.; et Kühner § 268. 3.

(3) Interpres noster non recte dixit in Præsenti, *ut contumeliis afficiant*; Apostolus enim enarrat *præterita*, ut patet ex Aoristis μετηλλαξαν (℣. 26) et εξεκαυθησαν (℣. 27).

(4) Quando S. Chrysostomus vocem παρεδωκε hoc loco interpretatur ειασε, et B. Theodoretus συνεχωρησε, censendi sunt exponere non ipsam vocis vim, sed quænam notio voci παρεδωκε in præsenti oratione subjicienda sit.

(5) Non tamen *absolutè*. Nemo enim hominum, quamdiu hanc vitam agit, penitùs gratiâ destituitur. Qua de re vide Perronium, Tract. *De Gratia.* Part. I. Cap. V. Prop. 3.: item Card. Sfondrati *nodum Prædestinationis solutum.* Part. 1. XIII. sqq.

(6) Faciunt ad præsentem quæstionen illucidandam ea quæ habet S. Thomas 1. 2. Q. LXXIX. Art. 3. « Dicendum, *inquit*, quod excæcatio et obduratio duo

εις ακαθαρσιαν [1]. Hæc ergo *traditio*, ut vocari nequit nuda ac mera quædam *permissio*, ita tamen nec dicendum est cum Calvino [2], Deum Gentiles in pœnam præcedentis peccati *in perditionem ac ruinam dejecisse præcipites*. Paucis verbis : causa peccati *negativa* Deus dici potest, *positiva* dici nequit : prius Catholicorum doctrina est ; posterius si dixeris, cum Calvino blasphemaveris [3]. Ceterùm confer quæ hac de re notavimus ad Act. VII. 42.

---

important. Quorum *unum* est motus animi humani inhærentis malo et aversi a divino lumine ; et quantum ad hoc Deus non est causa excæcationis, sicut non est causa peccati ; aliud autem est substractio gratiæ, ex qua sequitur, quod mens divinitùs non illuminetur ad rectè videndum, et cor hominis non emolliatur ad recte vivendum, et quantum ad hoc Deus est causa excæcationis et obdurationis. Est autem considerandum, quod Deus est causa universalis illuminationis animarum, sicut sol est universalis causa illuminationis corporum ; aliter tamen et aliter. Nam sol agit illuminando *per necessitatem naturæ* ; Deus autem agit voluntate *per ordinem suæ sapientiæ*. Sol autem, licet quantum est de se, omnia corpora illuminet ; si quod tamen impedimentum inveniat in aliquo corpore, relinquit illud tenebrosum, sicut patet de domo, cujus fenestræ sint clausæ : sed tamen illius obscurationis nullo modo causa est sol ; non enim *suo judicio agit* ut lumen interius non immittat, sed causa ejus est solùm ille qui claudit fenestram. Deus autem *proprio judicio* lumen gratiæ non immittit illis, in quibus obstaculum invenit ; unde causa subtractionis gratiæ est non solùm ille, qui ponit obstaculum gratiæ, sed etiam Deus, qui suo judicio gratiam non apponit. Et per hunc modum Deus est causa *excæcationis* et *aggravationis aurium*, et *obdurationis cordis* ; quæ quidem distinguuntur secundum effectus gratiæ, quæ et perficit intellectum dono sapientiæ, et affectum emollit igne charitatis. Et quia ad cognitionem intellectûs maximè deserviunt duo sensus, scilicet visus et auditus, ... ideò quantum ad visum ponitur excæcatio, quantum ad auditum, aurium aggravatio, quantum ad affectum, obduratio. »

S. Chrysostomus (Hom. 3 in Ep. ad Rom.) rem comparatione illustrat : Το *δε, παρεδωκεν*, inquit : *ενθαυτα ειασεν εστιν. Ὥσπερ γαρ ὁ στρατοπεδου προηγουμενος αν του πολεμου βαρησαντος αναχωρησας απελθοι, παραδιδωσι τοις πολεμιοις τους στρατιωτας, ουχ αυτους ωθῶν, αλλα γυμνῶν της ἑαυτου βοηθειας· οὑτω και ὁ Θεος τους ου βουληθεντας δεξασθαι τα παρ' αυτου, αλλα πρωτους αποπηδησαντας, αφηκεν, αυτος τα παρ' ἑαυτου παντα πληρωσας. Σκοπει δε· προυθηκεν αντι διδασκαλιας εις μεσον του κοσμου· εδωκε νοῦν και διανοιαν δυναμενην το δεον συνιδειν. Ουδενι τουτων εχρησαντο προς σωτηριαν οἱ τοτε, αλλα και εις τοὐναντιον περιεστρεψαν, ὁπερ ελαβον. Τι ουν ποιησαι εχρην ; προς αναγκην ἑλκειν και βιαν ; Αλλ' ουκ εστι τουτο ποιειν εναρετους. Ελειπετο δε αφειναι, ὁπερ και εποιησεν, ἱνα κἂν οὑτω τῃ πειρᾳ μαθοντες, ὧν επεθυμησαν, φυγωσι την αισχυνην. Και γαρ ει τις βασιλεως υἱος ων, τον πατερα ατιμασας ελοιτο ειναι μετα ληστων και ανδροφονων και τυμβορυχων, και τα εκεινων προτιμησειε της πατρῴας οικιας, αφιησιν αυτον ὁ πατηρ, ὡστε δια της πειρας αυτης μαθειν της οικειας ανοιας την ὑπερβολην.* » Hoc est : « *Illud verò*, tradidit, *hic significat*, permisit. *Quemadmodum enim dux exercitûs si ingravescente pugna discesserit, milites hostibus tradit, non ipse impellens, sed auxilio suo privans ; sic Deus eos, qui noluerunt sua accipere, sed primi resilierunt, dimisit, postquam sua omnia impleverat. Perpende autem, pro doctrina mundum in medio posuit ; mentem et cogitationem dedit, quæ posset id, quod conveniens erat, intelligere. Nullo horum homines, qui tunc erant, usi sunt ad salutem, sed in contrarium quod acceperant inverterunt. Quid igitur facere oportebat ? Vi et necessitate trahere ? At non est hoc facere virtute præditos. Reliquum erat ut desereret, quod et fecit ; ut vel sic illa quæ concupierant, experti, turpitudinem fugerent. Nam si quis regis filius, contemto patre, cum prædonibus, sicariis et sepulcrorum effossoribus se conferat, et illorum consortium paternæ domui præferat, relinquit eum pater, ut stultitiæ suæ magnitudinem experientiâ ediscat.* »

(1) B. Theodoretus (ad ℣. 25) : *Ὑποβαθρα*, inquit, *της παρανομιας γεγενηται ἡ ασεβεια· δι' αμφοτερα δε της θειας εγυμνωθησαν χαριτος.* « *Illorum in Deum impietas fundamentum fuit ipsorum iniquitatis ; propter utrumque autem divina gratia fuêre privati.*

(2) In Commentario suo in Ep. ad Rom. ad h. l.

(3) Buceri (in Ep. ad Rom.) aliorumque in hac quæstione, hæc erat falsa philosophandi ratio : « *Si Deus*, inquiunt, *non sit efficax causa nostræ indurationis, nostrique traditionis in desideria mala, consequitur, Deum non esse Deum, hoc est, rerum*

℣. 25. *Qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium*, etc.) Pro *qui* Græcè est *οἵ τινες*, *ut qui*, *quippe qui* [1]. Scilicet Apostolus hic denuò *causam* assignat *cur* Gentiles Deus tradiderit *in impuritatem*. Causa hæc erat, ut vidimus (℣℣. 23. — 24), eorum idololatria; hanc ergo causam hic iterum indicat, sed aliis verbis eam designat.—*Veritatem Dei* (*την αληθειαν του Θεου*) dixit Apostolus pro *Deum verum* (*τον αληθινον Θεον*, Cf. 1 Thess. I. 9), posito Abstracto nomine pro Concreto; nam quum dictioni *την αληθειαν του Θεȣ* in altero hujus versiculi membro respondeat dictio *τον κτισαντα*, ratio parallelismi prohibet quominùs verba *την αληθειαν του Θεου* interpretemur *veram de Deo notitiam*. Est ergo *του Θεȣ* in illa locutione Genitivus *Subjecti*. Belgicè dixeris : *de waarheid Gods*. Jam quod sequitur, *εν τῳ ψευδει*, sumendum id est, vi antitheseos, de *diis falsis*. Ergo idola, utpote deos *falsos*, vocat *mendacium*, nomine Abstracto iterum posito pro Concreto [2]. Ita quoque Jeremias (Cap. XVI. 29) vocabulum שֶׁקֶר, *mendacium*, adhibuit ad designanda idola. De vocis autem *μετηλλαξαν* Syntaxi et notione, recolenda sunt quæ supra (℣. 23) notavimus ad vocem *ηλλαξαν*. *Εσεβασθησαν* forma est Aoristi 1 Passiva cum notione Activa; qua de re videsis Winerum § 40. 2 *Σεβαζομαι* (Depon. Med.) significatione convenit cum *σεβομαι*, *colo*, *veneror*. *Σεβαζομαι* struitur cum Accusativo; quare accuratior Syntaxis postulasset ut hìc scriberetur : *και εσεβασθησαν την κτισιν και ελατρευσαν αυτῃ*. Verba *σεβαζομαι* et *λατρευω*, quum conjungantur, prius ad cultum internum, posterius ad externum referimus, quod et Theophylactus heic fecit [3]. Voces *παρα τον κτισαντα* interpres noster reddidit *potius quam creatori*; quæ interpretatio pro vitiosa habenda non est; neque enim scripsit ibi *magis quam creatori*, sed *potius quam creatori*, quod

---

omnium primam et totam causam. » Perversum hoc dogma consequitur ex falso illo philosophemate, quo statuitur, Deum ita esse totam causam rerum, ut causæ secundæ nihil agant. Quem errorem recte refellit Dominicus Soto (*de Natura et Gratia*. Lib. I. Cap. XVIII) : Quod solus Deus, *inquit*, omnia ex nihilo creaverit, nullus est inter Christianos, qui inficias eat. Sed et quod nulla nunc causarum efficere quicquam possit, sine nutu et influxu Dei, non modo Christiani in confesso habemus, sed et Philosophi naturales edocent. Quod autem Deus ita sit tota causa rerum, ut causæ secundæ nihil agant, hoc ut Scripturæ sacræ contradicit, ita et ordinem tollit universi. Omnes enim causæ suo quæque ordine simul coeunt in eumdem effectum.... Habetur enim Genes. Cap. I, : *Germinet terra herbam virentem et facientem semen, et lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum: cujus semen in semetipso sit super terram.* Ecce terra germinat, et arbores fructificant, semen habente perpetuum in semetipsis. Quare Lib. III. *de doctrina* Augustinus, « Sic Deus, *inquit*, res quas condidit, administrat, ut eas suos motus agere sinat.». Et Lib. IX *de Genesi ad litteram*, Cap. 17. : «Rationes et virtutes agendi non tantum in Deo sunt, sed ab illo etiam rebus creatis inditæ sunt et concreatæ.»...

(1) Scilicet Ὅστις hic inservit *reddendæ rationi*, ut Act. XVII. 11, et infra Cap. II. 15. De quo usu videsis Herm. ad *Oedip. Reg.* 688.

(2) B. Theodoretus (ad h. l.) : Αληθειαν δε του Θεου, inquit, *καλει το Θεος ονομα* (sic), *ψευδος δε το χειροποιητον ειδωλον· δεον γαρ αυτους τον αληθῆ προσκυνησαι Θεον, τῃ κτισει το θειον σεβας προσηνεγκαν.* h. e. « *Dei* autem *veritatem* vocat nomen Deus; *mendacium* autem, manu factum idolum. Cum enim oporteret eos verum Deum adorare, creaturæ divinum honorem tribuerunt. »

(3) Theophylactus ad h. l. : Το, *εσεβασθησαν μεν ουν αντι του, ετιμησαν· το δε, και ελατρευσαν, αντι του, και την δια των εργων δουλειαν προσηνεγκαν.* Τουτο *γαρ ἡ λατρεια, δια πραξεως τιμη.*

idem est ac dicere, *præterito creatore* vel *relicto creatore*, qui genuinus est hujus loci sensus; nam Apostolus molò dixerat, Gentiles *veri Dei loco*, *Deos falsos assumpsisse.* Præpositio *παρα* Accusativo juncta valet etiam *præ*; sicubi vero hanc potestatem obtinet, ibi judicandum est ex contexta oratione utrum reddi debeat, *plus*, *magis quam*, an vero *potius quam* [1]. Nota, esse quamdam prælationem unius, quæ sit alterius neglectio atque præteritio. *Sensus ergo est :* Quippe qui veri Dei loco falsos Deos assumpserant, et honorabant colebantque creaturam, præterito Creatore.

Qui est benedictus in sæcula. Amen.) Sensus : qui in æternum *dignus est laudari*, *laudandus est* (*ευλογητος*); *sic est* (*αμην*)! Memorata hic idololatrici cultûs impietas ex commoto Pauli animo hanc doxologiam elicuit. *Αμην* est hoc loco *approbantis.* De cujus voce etymo et varia notione, vide quæ notavimus ad Philipp. IV. 20.

℣. 26–27. Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ. Nam feminæ eorum immutaverunt naturalem usum in eum usum, qui est contra naturam. 27 Similiter autem et masculi, relicto naturali usu feminæ, exarserunt in desideriis suis in invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes, et mercedem, quam oportuit, erroris sui in semetipsis recipientes.

℣. 26–27. *Διὰ τοῦτο παρέδωκεν αὐτοὺς ὁ Θεὸς εἰς πάθη ἀτιμίας· αἵ τε γὰρ θήλειαι αὐτῶν μετήλλαξαν τὴν φυσικὴν χρῆσιν εἰς τὴν παρὰ φύσιν· 27 ὁμοίως* [a] *καὶ οἱ ἄῤῥενες* [b]*, ἀφέντες τὴν φυσικὴν χρῆσιν τῆς θηλείας, ἐξεκαύθησαν ἐν τῇ ὀρέξει αὐτῶν εις αλλήλους, ἄρσενες ἐν ἄρσεσι τὴν ἀσχημοσύνην κατεργαζόμενοι, καὶ τὴν ἀντιμισθίαν, ἣν ἔδει, τῆς πλάνης αὐτῶν εν ἑαυτοις ἀπολαμβάνοντες.*

Paraphrasis. Quapropter Deus illos permisit dedecorosæ libidini; nam feminæ eorum naturalem usum masculei sexûs permutarunt in eum qui contra naturam est, feminæ cum feminis coëuntes; similiter verò etiam mares, relicto sexûs feminei usu naturali, in sua libidine in se invicem exarserunt, mares in maribus eam, quam nostis, turpitudinem perpetrantes, atque ita pro ignominia Deo per cultum idololatricum illatâ congruentem retributionem, velut quâdam talionis lege, in suis ipsorummet corporibus recipientes.

VARIANTES LECTIONES.

a) Post ὁμοιως legitur τε in Codd. BD*** EJK et in Minusculis benè multis; sed δε ibidem legitur in Codd. AD*G et nonnullis Minusculis, atque hanc lectionem etiam Vulgata nostra refert. Tischendorfius

(1) Cf. Fr. Astii *Lexicon Platonicum*, ad vocem παρα.

edidit τε. Nescio an rectè. Ego certè malim hoc loco legere δε, tum quia solenne Paulo est dicere ὁμοιως δε και (Vide Rom. VII. 3. 4. 22.), tum etiam quia difficilior est lectio ὁμοιως δε και (vide commentarium); unde certè quædam nascitur suspicio, lectionem ὁμοιως τε και, quæ facilior est, correctioni librariorum esse tribuendam.

b) Pro αρρενες est αρσενες in Codd. BD*G. Utrumque dici potest, et ἀῤῥην, et αρσην.

ỳ. 26. *Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ).* Quod bis ỳ. 24 et 25) jam dixerat Apostolus, scilicet Gentiles *ob idololatriæ crimen* traditos fuisse εις ακαθαρσιαν, illud denuò hic docet. Ex quo intelligitur nexus orationis, qui ideò fit per δια τουτο. — Quid παθη ατιμιας hic intelligatur, patet ex rei descriptione, quæ ibi (ỳỳ. 26. 27) statim sequitur. Agitur ergo, ut suprà jam innuimus, de stupris illis, quæ mares cum maribus, feminæ cum feminis faciebant. Quæ flagitia vocat παθη ατιμιας, *passiones* (affectus) *ignominiæ*, ubi ατιμιας est Genitivus *Qualitatis*, q. d. παθη ατιμωτικα· ut sensus sit : *passiones, quibus ignominiam inferunt suis corporibus*, secundum id quod paulò ante (ỳ. 26) dixerat : εις ακαθαρσιαν, του ατιμαζεσθαι τα σωματα αὐτων εν ἑαυτοις. Similes Genitivos legere est apud Euripidem *Phoen.* ỳỳ. 1569. 1616., ubi μαστοι γαλακτος sunt μαστοι γαλακτουχοι, et τραυματα αἱματος dictum est pro τραυματα αἱματοεντα.

Nam feminæ eorum, etc.) Græce : αἵ τε γαρ θηλειαι αυτων, ubi Particula τε anacoluthica est; nam pergit (ỳ. 27) dicere : ὁμοιως δε [1] και οἱ ἀῤῥενες. Ut abesset Anacoluthon, scribendum erat : αἵ τε γαρ θηλειαι αυτων.... ὁμοιως τε και αρρενες, *nam* tum (τε) *feminæ eorum*,.... tum *similiter* etiam (τε και) *mares*; cujus Syntaxeos exempla sunt ea, quæ leguntur Act. XVII. 4, et XXVII. 16. Sed hic, ut dixi, Paulina oratio anacoluthica est, qualis non ità raro apud Platonem quoque occurrit [2]; ut v. g. Pol. III. 394. C : εν τε τῃ των επων ποιησει, πολλαχου δε και αλλοθι, aut in hoc loco Symposii [3] : ἡ τε ουν ιατρικη, ὡσπερ λεγω, πασα δια του θεȢ τουτου κυβερνᾶται, ὡσαυτως δε και γυμναστικη, και γεωργια. Ad eum ergo modum Paulus hic dixit : *nam et feminæ eorum,... similiter autem et mares*, etc.

Nam feminæ eorum immutaverunt naturalem usum, etc.) Explicat (γαρ) jam quod dixerat *in passiones ignominiæ*. Et primo loco agit de feminis, ob eam forte causam quam Soto (ad h. l.) adsignat : « Aut nullum, inquit, est mysterium, quod a feminis orsus fuerit; aut illas forte anteposuit, quòd quamvis non tam ratione polleant quam viri, pudor tamen, qui debet in eis præcellere, debuisset longius ab insano illo furore eas arcere. » Idem præsentem Pauli locum accuratissimè exposuit; ut operæ pretium fuerit

(1) Vide Lect. Var.

(2) Vide Astii Lexic. Platonicum, ad vocem τε.

(3) Pag. 22 in edit. P. A. Reynders. Groningæ 1825.

ejus verba recitasse : « Quoniam , *inquit* , in homine duæ sunt naturæ , vel duo potius distincti gradus , ex quibus una constat natura , videlicet sensibilis et rationalis , duobus modis peccatum dicitur *contra naturam*. Uno modo , quia est contra rationem ; quo modo omne peccatum est contra naturam, ut Cap. IV. *de divinis nominibus* Dionysius , et XIV *de civitate* Dei Augustinus auctores sunt ; ex eo scilicet quòd, cum homo, rationale animal, et speciem a ratione sortiatur et nomen , quidquid est contra rationem, censetur propriè contra nostram naturam.... Sed altero modo peccatum dicitur *contra naturam* per Antonomasiam ; illud dico , quod non modò rationi , sed ordini etiam , quem appetitui sensitivo natura præscripsit , repugnat. Concubitus enim vagus maris cum femina , quamvis fiat extra rationem , continetur tamen intra lineam animalibus a natura positam, prolis gratiâ. Et ideò vocatur hic naturalis, etiam dum illegitimus est et peccatum; quia membris fit a natura generationi destinatis. Quocirca et filii inde procreati, naturales dicuntur.... At vero seminationes aliæ, quæcumque præter illum ordinem fiant , illæ quidem simpliciter sunt *contra naturam ,* puta quas non solum ratio, sed appetitus etiam naturalis detestatur. Ex his sic explanatis consequitur, peccatum *contra naturam* secundo modo in sola re venerea versari. Nam alia vitia non mutant speciem naturalis appetitûs , sed per exorbitantiam a ratione patrantur. Est enim a natura ingenitus homini appetitus honoris atque etiam vindictæ ; sed per transgressionem rationis collabitur in superbiam vel in iram. Pari modo appetitus naturalis est cibi ad conservationem individui , sed crapula rationis modum transmittit. Attamen in venere non solum perverti contingit is qui a ratione præfinitus est ordo (uti in adulterio) , sed scopus prætereca naturalis ipsius appetitûs. Ubi autem ait , feminas *immutasse naturalem usum* , posset forsan quispiam non aliam feminarum absurditatem cogitare , quam quod perverso naturæ ordine servirent [1] masculis : attamen infandam etiam aliam suggerit Paulus; nempe quod sicut masculi in masculos exarserunt, ... ita et feminæ inter se invicem. Nam etsi hæc plusquam bestialis rabies non tam nefaria tamque turpi deformitate inter feminas valeat quam inter viros perpetrari , grassatur tamen in utrumque sexum; ita ut feminis contingat amplexari se quoque iniquè [2] ».

℣. 27. *Similiter autem et masculi* , etc.) Legimus non *ὁμοιως τε και* , sed *ὁμοιως δε και*. Vide quæ diximus supra ad ℣. 26. de hac varietate lectionis. — Apostolus jam viros quoque *ejusdem impuritatis* arguit ; dicit enim *similiter ;* cumque hic scripserit , *relicto naturali usu feminæ ,* consequitur , quod in præcedenti versiculo dixit de feminis , *immutaverunt naturalem usum ,* hoc quoque ita sumendum esse ac si scripsisset : *feminæ immutaverunt naturalem usum masculi.* Ergo agitur hic , ut patet (*masculi in mas-*

---

(1) De hac *ακαθαρσιας* specie non loquitur Apostolus, sed *tantum* de eâ, quam Soto deinde describit.

(2) De hoc flagitio Clemens *Alexandrinus* (*Pædag.* III. 3), *και γυναικες* , inquit, *ανδριζονται παρα φυσιν*. h. e. *Et feminæ viros imitantur contra naturam.* Tales a Græcis vocabantur *τριβαδες* , a Latinis *frictrices*, ut ad præsentem locum notavit Corn. a Lapide.

culos), flagitio παιδεραστιας, quod flagitium Apostolus designat per vocem την ασχημοσυνην (*leur turpitude*). Articulus apponitur, quia de certa et definita quadam turpitudine sermo est. Commune inter Græcos et Romanos hoc flagitium erat, imo tantæ turpitudinis probrum projecto etiam pudore inter ipsos grassabatur [1].

Εξεκαυθησαν Aor. Pass. ab *εκκαιεσθαι*, *accendi;* deinde *exardescere* notâ Metaphorâ de *æstu* iræ aut amoris, ut hic de æstu fœdæ libidinis. Præpositio *εν* in dictione *εν τῃ ορεξει αὑτων* sumenda est ut supra ℣. 24 in dictione *εν ταις επιθυμιαις*. In dictione vero ista, *αρσενες εν αρσεσι*, Præposito *εν* dicitur de eo *in quo* quid fit; Belgicè: *aan wien*, vel, si sermo sit de rebus, *waar aan*. Dixeris hic *mannen aan mannen.*

et mercedem, quam oportuit, erroris sui, etc.) Pro *mercedem* Græce est vox significantior *την αντιμισθιαν*, cui respondet Nostratium *de wedervergelding;* ab hac voce pendet Genitivus *της πλανης αὑτων*, *erroris sui*. Intelligitur autem *error* (*ἡ πλανη*) ille, de quo supra (℣. 25); is, inquam, quo, neglecto vero Deo, idola ut Deos receperant coluerantque [2]; *merces* (*ἡ αντιμισθια*) verò, quæ hic dicitur, non est referenda ad corporis mentisve incommoda quæ ex nefanda illa libidine nascerentur, sed *αντιμισθιαν* hanc sive *recompensationem*, ut barbarâ voce utamur, Apostolus intelligit ipsam illam *ακαθαρσιαν*, qua factum est ut qui per idololatriam Deum contumelia affecerant, jam, veluti quadam talionis lege, sua ipsorum corpora contumelia afficerent. Hæc enim est vis verborum istorum, *την αντιμισθιαν, ἡν εδει, της πλανης αὑτων εν ἑαυτοις απολαμβανοντες*. Nam quod dicit, *ἡν εδει* scil. *αυτους απολαβειν*, *quam* (qualem) recipere eos *oportebat*, eo significat pœnam fuisse talem, ut culpæ conveniret [3]. *Εν ἑαυτοις*, *in suis corporibus*, sumptâ Præpositione *εν* eodem sensu quo modò in dictione *αρσενες εν αρσεσι.*—

---

(1) Videsis SENECAM (Epist. 95), et quos præterea Wetstenius (ad h. l.) indicat scriptores antiquos, Græcos atque Latinos. Quibus adde SS. JUSTINUM (Apol. 1. 27) et CHRYSOSTOMUM, *Hom.* IV. in Ep. ad Rom, ad verba: *και την αντιμισθιαν*. Turpe illud Gentilium flagitium recensetur quoque inter idololatrarum crimina in libro Sapientiæ (Cap. XIV. 26); vocatur autem ibi *γενεσεως εναλλαγη*, in Vulgatâ *nativitatis immutatio;* malim vertere *naturæ immutatio.*

(2) S. CHRYS. (*Hom.* IV. in Ep. ad Rom. h. l.) *Ὁρα πως παλιν επι την πηγην ερχεται του κακου, την ασεβειαν την απο των δογματων; και μισθον τουτον ειναι φησι της παρανομιας εκεινης.* *hoc est:* «Vide quomodo rursùm ad fontem mali veniat, impietatem nempe ex dogmatibus; et hanc mercedem esse dicit iniquitatis illius.»

(3) S. THOMAS (in Ep. ad Rom. ad h. l.): «Recipientes, *inquit*, mercedem, id est, retributionem, quam oportuit eos recipere secundum justitiæ ordinem, ex qua debitum erat, ut qui in Dei naturam injuriosi fuerant, ... in sui naturam contumeliosi existerent.» In eamdem sententiam præsentem locum interpretantur quoque DOMINICUS SOTO et Card. TOLETUS. Et hic quidem: «Proportionatam, *inquit*, (ad h.l.) Dei vindictam idololatriæ et errori illorum fuisse docet. *Mercedem*, inquit, *quam oportuit;* id est, pœnam condignam errori suo receperunt in se et suis corporibus; hi enim ordinem perverterunt cum ignominia quadam in Deum illata: nam, relicto Creatore, ad creaturam se converterunt; justa autem et proportionata est recompensatio, ut permittantur etiam ordinem naturæ invertere cum dedecore et ignominia propria ipsorummet.»

ỳ. 28–32. Et sicut non
probaverunt Deum habere
in notitia : tradidit illos De-
us in reprobum sensum :
ut faciant ea, quæ non
conveniunt, 29 repletos omni
iniquitate, malitia, fornica-
tione, avaritia, nequitia,
plenos invidia, homicidio,
contentione, dolo, maligni-
tate, susurrones, 30 detrac-
tores, Deo odibiles, contu-
meliosos, superbos, elatos,
inventores malorum, pa-
rentibus non obedientes,
31 insipientes, incompositos,
sine affectione, absque fœ-
dere, sine misericordia.
31 Qui cum justitiam Dei
cognovissent, non intellexe-
runt quoniam qui talia agunt,
digni sunt morte : et non
solum qui ea faciunt, sed
etiam qui consentiunt fa-
cientibus.

ỳ. 28–32. *Καὶ καθὼς
οὐκ ἐδοκίμασαν τὸν Θε-
ὸν ἔχειν ἐν ἐπιγνώσει,
παρέδωκεν αὐτοὺς ὁ Θε-
ὸς εἰς ἀδόκιμον νοῦν,
ποιεῖν τὰ μὴ καθήκοντα,*
29 *πεπληρωμένους πάσῃ
ἀδικίᾳ, πορνείᾳ* [a] *πονη-
ρίᾳ, πλεονεξίᾳ, κακίᾳ·
μεστοὺς φθόνου, φόνου,
ἔριδος, δόλου, κακοη-
θείας· ψιθυριστάς,* 30
*καταλάλους, θεοστυγεῖς
ὑβριστὰς, ὑπερηφάνους,
ἀλαζόνας, ἐφευρετὰς κα-
κῶν, γονεῦσιν ἀπειθεῖς,*
31 *ἀσυνέτους, ἀσυνθέ-
τους, ἀστόργους* [b], *ἀνε-
λεήμονας·* 32 *οἵτινες τὸ
δικαίωμα τοῦ Θεοῦ ἐπι-
γνόντες* [c], *ὅτι οἱ τὰ
τοιαῦτα πράσσοντες ἄ-
ξιοι θανάτου εἰσὶν, οὐ
μόνον αὐτὰ ποιοῦσιν,
ἀλλὰ καὶ συνευδοκοῦσι
τοῖς πράσσουσι.*

Paraphrasis. Et sicut illis probatum non fuit Deum, quem cognoscebant, agnoscere et venerari, ita vicissim Deus illos tradidit in reprobam sentiendi rationem, ita ut faciant quæ non decent, referti ut sunt omnigena iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia; pleni invidia, cæde, rixa, dolo, malignitate; detrectatores, calumniatores, Dei osores, contumeliosi, superbi, jactatores, flagitiorum repertores, immorigeri parentibus, insipientes, fœdifragi, expertes amoris, implacabiles, immisericordes; tales denique, qui quamquam norant jus divinum, scilicet morte dignos esse qui talia faciunt, tamen non tantum hæc faciunt ipsi, verùm etiam approbant talia facientes.

VARIANTES LECTIONES.

a) Vox πορνεια abest a multis Codicibus; in aliis verò legitur quidem, sed post vocem κακια, omissâ voce πονηρια. Antiquæ versiones, Itala et Vulgata, vocem πορνεια exhibent, sed post vocem πονηρια. TISCHENDORFIUS vocem πορνεια in textum non recepit. Nescio an rectè. Nam ut non est cur existimemus, vocem πορνεια ad modum cujuspiam Glossematis in textum irrepsisse, ita contrà ex vicinitate vocis πονηρια facile concipitur quì fieri potuerit ut vox πορνεια, voci πονηρια quod ad litterarum ductus attinet ferè similis, nunc *transposita* nunc verò *plane omissa* fuerit. Itaque putaverim vocem πορνεια in textum Paulinum tamquam genuinam esse recipiendam. Objicit DE WETTE (ad h. l.): Πορνεια, inquit, *kann der Apostel nicht geschrieben haben, weil die Sunden der Unzucht schon vorher abgehandelt sind.* Verùm fallitur. Vide quæ notavimus ad h. l.

b) Vox ασπονδους non legitur in Codd. ABD*EG. Abest pariter a versionibus antiquis, Itala, Syriaca, et Coptica. Censuerim vocem ασπονδους incertæ esse auctoritatis, et potuisse fieri ut ex 2. Tim. III. 3

in hunc locum irrepserit, et quidem ut glossema vocis ασυνθετους, quâcum significatione ferè convenit. In Cod. D*** ante ασυνθετους ponitur.

c) Post επιγνοντες additur ουκ ενοησαν in Codd. DE, et in Cod. G. ουκ εγνωσαν; deinde pro αυτα ποιουσιν, αλλα και συνευδοκουσι legitur αυτα ποιουντες, αλλα και συνευδοκουντες in Cod. B. Integram hanc lectionis varietatem referunt versiones Itala et Vulgata. Versio autem Syriaca (Peshito) sic habet:

ܐܝܠܝܢ ܕܟܕ ܡܕܥܝܢ ܕܝܢܗ ܕܐܠܗܐ . ܕܠܐܝܠܝܢ ܕܐܝܟ ܗܠܝܢ ܣܥܪܝܢ ܠܡܘܬܐ ܡܚܝܒ:
ܠܐ ܗܘܐ ܒܠܚܘܕ ܥܒܕܝܢ ܠܗܝܢ ܐܠܐ ܐܦ ܡܫܬܘܬܦܝܢ ܠܐܝܠܝܢ ܕܥܒܕܝܢ ܠܗܝܢ ܀

h. e. *qui cum cognoscerent jus Dei, quod* nempe jus illud *eos qui talia agunt mortis facit reos, non solum faciunt illa, sed etiam associant se iis qui ea faciunt.*

Ergo Syrus interpres Græca hic ita legit, ut leguntur in editione Complutensi. Hujus autem editionis lectionem hoc loco exhibent Codices plerique ut et antiquæ versiones pleræque. Addantur THEODORETUS, CHRYSOSTOMUS, et ISIDORUS PELUSIOTA (Lib. IV. Ep. 60), cui jam nota erat hæc lectionis varietas. Hanc ergo lectionem ego quidem prætulerim lectioni illi quam Vulgata exhibet.

ỳ. 28. *Et sicut non probaverunt*, etc.) Docemur hac parte (ỳ. 28 — 32), Gentiles ob neglectum verum Deum et idololatrici cultûs impietatem (ỳỳ. 21. 22. 25) justo Dei judicio traditos fuisse non tantùm in illa παθη ατιμιας (ỳ. 26), sed et universè in alia quævis scelera; quorum quam plurima deinceps (ỳ. 29-31) nominatim assignantur. Græca paulò liberius sic reddiderim: *Et sicut illis non acceptum fuit* (ουκ εδοκιμασαν, *ils n'ont pas trouvé bon, il ne leur a pas plu*) *Deum in sua cognitione retinere, ita vicissim Deus illos tradidit in mentem* (νουν) *rejectaneam, ita ut faciant* (ποιειν) *ea quæ non conveniunt.* — Locutio εχειν εν επιγνωσει (Vulg.: *habere in notitia*) non eo sensu sumenda est, quo significetur Gentiles non curasse *ut haberent notitiam Dei*, verùm eo sensu ut dicatur *non placuisse Gentilibus* Deum verum, quem cognoscebant, *in sua* RETINERE *cognitione.* — Vox εχειν de *retinendo* dicitur etiam I Timoth. III. 9. Hebr. VI. 19. Respicit Apostolus ad id quod dixerat supra ỳ. 19.—Si voluissent Gentiles Deum *retinere in sua cognitione*, eumdem qua talem *glorificassent;* hoc vero cum negligerent, eo ipso ostendebant *non placere sibi retinere Deum in sua cognitione.*

Καθως, *sicut*, absque ούτως in Apodosi; comparatio quæ hic instituitur hæc est: *sicut illi non approbarunt.... ita vicissim Deus illos tradidit in mentem reprobam.* Sed καθως hoc loco simul habet vim ætiologicam, et eamdem quidem quam suprà (ỳ. 21) vocula διοτι (=δια τουτο ότι), *quia.*

Δοκιμαζειν Verbum Denominativum (a δοκιμος, quod a δεχομαι derivatum est, non a δοκεω) est *acceptum habere, approbare*, quo sensu Gallicè dicas *trouver bon.* Eo sensu δοκιμαζειν significatione convenit cum Verbo αρεσκειν, ut v. g. in hoc DIONIS Lib. XIV. 10. 2 (apud Wetstein. ad h. l.): *Αρεσκει μοι κρισιν γενεσθαι παρ' αυτου· παραχειμασιαν δε η χρηματα πρασσεσθαι ου δοκιμαζω.*

Αδοκιμος (ab a *Privativo* et δοκιμος) est *inacceptus*, hinc *improbandus;* νους autem hic est *sentiendi ratio* circa agenda; adeòque νους αδοκιμος intelligitur *sen-*

tiendi ratio reproba, i. e. perversa. Cui perversæ sentiendi rationi Deus hic dicitur Gentiles in pœnam peccati *tradidisse* (παρεδωκεν) eo sensu, quo supra (pag. 35) rem explicavimus. Notanda hic quoque est elegans quædam παρονομασια sive *agnominatio* inter voces εδοκιμασαν et αδοκιμον. Figura hæc locutionis Hermogeni vocatur παρηχησις, hoc est, *adsonatio*, ut barbarâ voce utamur.

Ποιειν scil. αυτους, quod *Subjectum* ex præcedenti *Objecto* αυτους sumendum est. Infinitivus ποιειν *epexegeticus* hic est, ut ειδεναι in epistola ad Coloss. IV. 6. — Facilior Syntaxis fuisset, si scriptum ibi esset ὡστε ποιειν, sed ὡστε in istiusmodi sententia consecutiva abesse quoque potest. Vide Kühner § 826. Anm. 2. *Τα μη καθηκοντα* Belgice valet *het niet te pas komende*, *het niet voegende*. De Particula μη juncta Participio, vide Winer § 59. 4. a. Est autem in hac locutione τα μη καθηκοντα adhibita illa figura rhetorica, quâ negando contrarium plus significatur; *Litoten* (λιτοτην) vocant.

℣. 29. *Repletos omni iniquitate*, etc) Græcè πεπληρωμενους παση αδικια, ubi Accusativus πεπληρωμενους, et qui porrò (℣. 29—32) sequuntur Accusativi omnes pendent ab αυτους, hoc est, a *Subjecto* Infinitivi ποιειν. Ut adeò hæc sit præsentis loci Syntaxis: *Tradidit illos Deus in mentem reprobam, ita ut faciant ea quæ non conveniunt, pleni omni iniquitate.... pleni invidiâ.... superbi....* etc. Secundum Vulgatam Accusativi illi omnes pendent a verbo *tradidit*, ut sensus sit: *Deus illos, plenos omni iniquitate... plenos invidia.... superbos.... tradidit in mentem reprobam, ita ut faciant ea quæ non conveniunt.* Verùm Vulgata versio mentem Pauli non exprimit; neque enim dicere vult Apostolus quales essent Gentiles cum *traderentur* in reprobam mentem, sed quam fuerint in omnem iniquitatem effusi postquam *jam traditi essent* in reprobam mentem. Minimè hoc fugit *Card.* Toletum (ad h. l.): « *Non sic est intelligendum*, inquit, *quasi postquam fuerint repleti omni iniquitate, traditi sunt in reprobum sensum; sed quod propter peccatum idololatriæ, et quia non probaverunt Deum habere in notitia, traditi sunt in reprobum sensum, ut faciant quæ non conveniant, et repleantur omni iniquitate, et injustitia.... Origenes exponit causaliter in hunc sensum*: Tradidit in reprobum sensum ut faciant quæ non conveniant, *quia* erant repleti omni iniquitate et ceteris peccatis. *Tamen non est probanda hæc expositio; si enim hæc omnia sunt causa cur in reprobum sensum tradantur, non superest aliud quod isti fecerint, quod non conveniat. Dicendum ergo est, ista omnia esse explicationem eorum quæ non conveniunt, quæ ex reprobo sensu processerunt.* Hactenus Toletus. In eamdem sententiam præsentem locum explicat quoque Dominicus Soto (ad h. l.).

omni iniquitate) Græcè παση αδικια, ubi παση valet παντοδαπη, *omnigenâ*, *omnimodâ*, ut 2 Cor. IX. 8 et 2 Thess. II. 17. Per αδικιαν indicatur iniquitas tamquam *genus*, cui statim adjiciuntur variæ *species* iniquitatis; in hac verò enumeratione certum quemdam ordinem quærere supervacaneum sit.

malitiâ) Græcè πονηρια. Videtur hæc vox significatione non differre a proxima voce

κακια (Vulg. *nequitia*) ; Utrâque, uti puto, intelligitur *cupiditas et studium nocendi proximo*, *malignitas.* Belgicè dixerim *kwaadaardigheid* (*πονηρια*), *boosheid* (*κακια*).

Fornicatione) Πορνεια, quæ vox hic legitur, a Theodoreto definitur viri cum femina concubitus, qui fiat extra matrimonium (*ου κατα γαμον γενομενη συνουσια*). Supra (℣. 25) sub nomine *ακαθαρσιας* Apostolus locutus erat de impuritate illa, quæ naturæ contraria sit ; hic vero significat eum omnem coitum illegitimum, qui sit talis ut naturæ ordinem non invertat.

avaritiâ) Græcè *πλεονεξια*, qua voce intelligitur *studium plus quam sibi competat habendi*, *usurpandi*, *occupandi.* Belgicè dixerim *hebzucht*, *roofzucht.* Vitium hoc a Theodoreto sic definitur : *Πλεονεξιαν δε* (scil. *καλει*) *την του πλειονος εφεσιν*, *και των ου προσηκοντων την ἁρπαγην.* h. e. *Πλεονεξιαν autem vocat plura habendi cupiditatem*, *et eorum quæ ad se non pertinent rapinam.*

plenos invidiâ, *homicidio* (*φονου*, cæde, *moordlust*) *contentione* (*εριδος*, *strydzucht*) *dolo* (*δολου*, *arglist*) *malignitate).* Pro *malignitate* Græcè est *κακοηθειας*, cujus vocis notionem Aristoteles (Rhet. II) ita definit, ut sit *το επι... το χειρον ὑπολαμβανειν τα παντα*, puta vitium illud quo quis *omnia in deteriorem partem accipit.*

℣. 30. *susurrones*, *detractores)* Græcè *ψιθυριστας*, *καταλους*, quæ voces significatione ita differunt, ut *ψιθυριστης* dicatur is *qui calumnias spargit* ac veluti in aures aliorum insusurrat, *καταλαλος* verò *calumniator* vocetur *generatim.*

Deo odibiles) Græcè *θεοστυγεις*. Vocabulum *θεοστυγης* *Passivè* significare, certò constat ; sed dubitatur an significet etiam *Activè.* Theodoretus vocem sumit Activo sensu, q. d. *Dei osores ;* nam *θεοστυγεις* interpretatur *τους απεχθῶς περι τον θεον διακειμενους*, h. e. *tales*, *qui infesto sunt in Deum animo. θεοστυγια* tamquam peculiare aliquod vitium recensetur a Clemente *Romano* in epistola sua ad Corinthios Cap. 35. Euripides (Troad. ℣. 1213) scripsit : *νυν δε σ'ἡ θεοστυγης αφειλεθ' Ἑλενη*, ubi vox *θεοστυγης* forsitan *activè* significat. Suidas certè docet vocem *θεοστυγης* sumi tam *activo* sensu quam *passivo ;* nam dictionem *θεοστυγεις* interpretatur *θεομισητοι*, *οἱ ὑπο θεου μισουμενοι και οἱ θεον μισουντες· παρα δε τῳ Αποστολῳ θεοστυγεις ουχι οἱ ὑπο θεου μισουμενοι*, *αλλ' οἱ μισουντες τον θεον.* h. e. *θεοστυγεις sunt θεομισητοι*, *id est*, *odio habiti a Deo*, *et Deum odio habentes ; sed apud Apostolum θεοστυγεις sunt*, *non qui a Deo odio habentur*, *sed qui Deum odio habent.* Ceterùm *activam* illus vocis notionem postulare videtur contexta Pauli oratio. Si vocem *passive* sumas, ut fecerunt interpres noster (*Deo odibiles*) et Syrus [1], haberi possit pro Prædicato vocis præcedentis, ut adeò dicatur *calumniatores Deo odiosi.*

contumeliosos, *superbos*, *elatos)* Græcè *ὑβριστας*, *ὑπερηφανους*, *αλαζονες.* Tria hæc vocabula ad superbiæ vitium pertinent omnia, hoc tamen discrimine,

(1) ܘܣܢܝܐܝܢ ܠܐܠܗܐ h. e. *et odiosi Deo.*

ut videtur, quod *αλαζονες* sint *jactatores sui* absque aliorum contumelia aut contemtu; *ὑπερηφανοι* vero intelligantur tales qui ita suis dotibus aut veris aut fictis superbiunt, ut alios præ se contemnant; *ὑβρισται* tandem dicantur ii, quorum insolens superbia cum aliorum non solum contemtu sed etiam contumeliâ conjuncta sit. Videsis Tittmannum, *De synonymis in Novo Testamento.* pag. 73. sq. Chrysostomus tamen et Theodoretus hisce vocabulis notiones subjiciunt paululùm diversas. Sed hæc res tanti non est, ut diutius illi immorari lectori gratum sit.

inventores malorum) Græcè *εφευρετας κακων*, quos Theodoretus definit *τους ου μονον τα πολιτευομενα τολμῶντας κακα, αλλα και ἑτερα προσεπινοȣντας*, h. e. tales, qui non solum perpetrare audent facinora vulgò admissa, sed et alia nova facinora excogitant.

parentibus non obedientes) Græcè *γονευσιν απειθεις*, quo intelliguntur refractarii erga parentes. *Ατοπια και ἁυτη μεγιστη*, ait Theodoretus (ad. h. l.), *την φυσιν κατηγορον εχουσα.* i. e. *Hoc quoque maximum vitium est, quod et ipsa natura accusat.*

℣. 31. *insipientes)* Græcè *ασυνετους*, qua voce Apostolus forsitan voluit significare *stolidos*, tales, inquam, qui expertes sint sensûs honesti. Hanc ferè notionem Theodoretus videtur huic vocabulo subjecisse. *Οἱ γαρ*, inquit, *εις τον παρανομον εξοκειλαντες βιον, του λογικου τους χαρακτηρας απεβαλον.* h. e. *Qui enim in vitam improbam prolapsi sunt, ii rationis characteres amiserunt.* Suidas vocem *ασυνετους* interpretatur *τους ασυνειδητους*, h. i. *conscientia destitutos*, Belgicè *gewetenloozen.*

incompositos) Græcè *ασυνθετους*. Intelliguntur *perfidi, fœdifragi. Αστοργοι* (Vulg. *sine affectione*) tales sunt qui nullo ducuntur amoris affectu erga liberos aut parentes; *ασπονδοι* (Vulg. *absque fœdere*) homines sunt *implacabiles*; denique *ανελεημονες* (Vulg. *sine misericordia*) dicuntur illi, qui nullius calamitate moventur.

℣. 32. *qui cum justitiam Dei cognovissent*, etc.) Apostolus hic, ut suprà ℣. 28, Gentiles declarat esse inexcusabiles, ut potequi recensita (℣. 29-31) flagitia committunt ipsi et ab aliis commissa approbant, cum tamen non ignorant divino jure pœnam *mortis* statutam esse iis, qui hæc flagitia patrassent. *Οἱτινες* hoc loco non inservit reddendæ rationi, ut valeat *quippe qui, utpote qui*, sed vox est *exponentis*, ut Luc. VIII. 3, quasi ta dicas: *tales, inquam, homines, qui*, etc. — *Το δικαιωμα του Θεου* (Vulg. *justitiam Dei*) intelligitur *Dei judicium* (*δικαιωμα*) *pœnale*; Græca illa vox refert Hebraicam מִשְׁפָּט quo sensu legitur Jerem. Cap. XXVI. 11, ubi dicitur מִשְׁפַּט מָוֶת לָאִישׁ הַזֶּה, quod Interpres noster reddidit: *Judicium mortis est viro huic.* — *Ὁτι* hic *exegeticum* est; vertas *quod nempe;* videlicet declaratur quale sit illud *Dei judicium pœnale*, quod Gentiles non latuit; est autem hoc, scilicet, *morte dignos esse eos qui recensita illa* (℣. 29-32) *flagitia commisissent.* Sensus ergo secundum Græcum textum hic est: *tales, inquam, homines, qui quamquam noverant pœnale Dei judicium hoc, quod scilicet morte digni sunt qui talia flagitia committunt, nihilominus tamen non tantùm ipsi ea faciunt, verum etiam approbant eos qui illa committunt.*

Secundum Vulgatam verò mens Pauli sit dicere : *Gentiles, quamquam noverant* [1] *jus divinum, tamen non intellexisse, morte dignos esse qui talia flagitia committerent, et non solùm qui talia ipsi facerent, verùm etiam eos qui consentirent facientibus.* Sed hæc, ut mihi quidem videtur, obscurum præbent intellectum, nisi hic statuatur sensus : *Gentiles cognoverunt prohibita esse talia flagitia, sed non intellexerunt pœnæ mortis obnoxios esse qui ea patrassent.* At verò hic sensus non videtur posse admitti, quum satis constet Gentiles nequaquam ignorasse criminosis statutas esse pœnas gravissimas, imo æternas post hanc vitam luendas. Certè Plato [2] de futuro impiorum statu dixit : *Τουτους δε ἡ προσηχουσα μοιρα ριπτει εις τον ταρταρον, ὁθεν ουποτε εκβαινουσιν* id est: *Hos conveniens sors mergit in Tartarum, unde numquam egrediuntur.* Et Lucianus [3] : *Ου γαρ θεμις*, inquit, *ανελθειν τινα των ἁπαξ διαπλευσαντων την λιμνην, και ες το εισω του στομιου προελθοντων.* h. e. *Neque enim reverti fas est quemquam, qui semel paludem transmiserit atque intra specûs hiatum descenderit.*

Sed, ut supra jam dixi, Vulgatæ lectioni heic ego Græcam præfero. In qua sententia video fuisse etiam Ambrosium Catharinum [4], Jacobum Naclantum [5], Estium (ad h. l.), alios [6].

Usteri [7] *mortem* hoc loco intelligit physicam, eam, inquam, quæ consistit in privatione vitæ temporalis. Verum enim verò cum hæc mors communis sit omnibus (Hebr. Cap. IX. 27), bonis æque ac malis, de ea profecto sermo hic esse nequit. Intellexerit ergo Apostolus mortem metaphoricè dictam, eam, inquam, quæ consistit in privatione vitæ æternùm felicis cum supplicio æterno conjuncta. Atque hanc esse mentem Apostoli perspicuè patet ex loco parallelo illo (infra Cap. VI. 20—23), ubi vitæ æternùm felici mortem opponit : *Quem ergo fructum*, inquit, *habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Nam* FINIS *illorum* MORS *est. Nunc verò liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem*, FINEM *verò* VITAM ÆTERNAM. *Stipendia enim peccati*, MORS. *Gratia*

---

(1) Participium ἐπιγνοντες hoc modo in verbum Finitum resolvendum esse, contexta oratio omnino suadet.

(2) De Republica, Lib. X. *apud* Wormium, *De corruptis antiquitatum Hebræarum apud* Tacitum *et* Martialem *vestigiis.* Legitur in *Thesauro* Ugolini. Tom. II. pag. 87.

(3) *Dial. Mort.* apud Wormium; ibid.

(4) *In omes D. Pauli Apostoli.... epistolas* Ambrosii Catharini.... Episcopi Minoriensis Commentaria. Parisiis. 1566. Pag. 21. « *Nequid autem dissimulem*, inquit, *longe magis mihi placet græca lectio.* » Catharinus in præfatione sui operis de sua interpretandi ratione hæc profitetur : *Licet ego*, inquit, *veterem ac vulgatam editionem omnino magis probem, atque illam interpreter, non tamen adeo durus esse volui, ut si quid forte emendatius in antiquis aut Græcis codicibus viderim, illud despexerim, cum plane noverim hac in re a plerisque in utramque partem peccari.*

(5) Jacobi Naclanti, *Clugiensis episcopi, enarrationes in* D. Pauli *epistolas ad Ephesios et Romanos.* Venetiis. 1567. Pag. 208. Fuit Naclantus unus ex Concilii Tridentini theologis..

(6) Lucas Brugensis ad hanc lectionis varietatem hæc notat : « An verò, *inquit*, nec Interpres Vulgatus id (scilicet verba *non intellexerunt*) Græce legerit, sed complendæ sententiæ addiderit, ignoro. » Vide *Notationes in Sacra Biblia, quibus variantia discrepantibus exemplaribus loca, summo studio discutiuntur;* auctore Francisco Luca *Brugensi.* Antverpiæ, 1580. pag. 398.

(7) Entwickelung des Paulinischen Lehrbegriffs... von Leonhard Usteri. Zweite Ausgabe, Zurich, 1829. pag. 19.

autem Dei, VITA ÆTERNA, *in Christo Jesu Domino nostro*. Pœnam, quam hoc loco *mortem* vocat Apostolus, alibi (Ep. ad Philipp. Cap. III. 19.) appellavit *απωλειαν*, *interitum*, hunceque *æternum* fore declaravit in altera epistola ad Thessalonicenses (Cap. I. 7): *Pœnas dabunt*, inquit, *in interitu æternas*, vel, ut est in textu Græco (*δικην τισουσιν, ολεθρον αιωνιον*): *pœnam luent*, *exitium æternum*. Nec aliter *mortem* hoc loco intellexerint Christiani Romani, ad quos Apostolus epistolarem hunc sermonem dirigebat.

non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus). Secundum Græcum textum, quem Vulgatæ prætulimus, legendum hic est: *non solum ea faciunt, sed etiam facientes approbant*. In quibus verbis gradationem esse notat S. CHRYSOSTOMUS: *Peccante*, inquit, *longe nocentior is est, qui peccatum laudat*. [1]) In eamdem sententiam verba illa interpretatur quoque THEODORETUS: *non satis ducunt*, inquit, *hæc facere*, *sed etiam iis qui similia faciunt laudes contexunt. Hic autem postremus est iniquitatis gradus* [2]).

Postrema hæc, sicut et reliqua omnia quæ hac epistolæ parte (℣. 18 — 32) leguntur, vulgò non ad Gentiles universè sed unicè ad Gentiles philosophos referuntur. Quam interpretationem fortasse suggessit id quod ad hanc Paulinæ epistolæ partem obiter notavit S. AUGUSTINUS in opere suo *de Trinitate* [3]). Quidquid sit, THEODORETUS ne minimo quidem verbulo indicat se existimasse Paulum ibi loqui de solis Gentilium philosophis; et S. CHRYSOSTOMUS eorum, quæ in illa pericopa (℣. 18—32) dicuntur, quædam quidem dicit *præsertim* spectare philosophos [4]); ceterùm verò nuspiam significat in ea se esse sententia ut putet non ad Gentiles universos referendam esse integram hanc Paulinæ epistolæ partem. Nec verò est cur dubitemus quin universaliter dicta sint quæ ibi habet Apostolus. Nam, ut omittam, parum convenienter proposito suo argumentatum fuisse PAULUM, si de solis Gentilium philosophis sermonem fecisset, quid heic tandem est,

---

(1) Hom. 5 in Ep. ad Rom. ad h. l.: *Και γαρ του πλημμελουντος*, inquit, *ὁ την ἁμαρτιαν επαινων χαλεπωτερος πολυ.*

(2) Interpret. Ep. ad Rom. ad h. l.: *Ουκ αποχρην ἡγουνται το ταυτα ποιειν· αλλα και επαινους τοις τα ὁμοια δρωσιν ὑφαινουσιν· εσχατος δε οὑτος ὁρος της παρανομιας.*

(3) Lib. III. Cap. 19. « *Illi autem*, inquit, *præcipui Gentium Philosophi*, *qui* invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspicere *potuerunt*, *tamen quia sine Mediatore*, *id est*, *sine homine Christo philosophati sunt*, *quem nec venturum Prophetis*, *nec venisse Apostolis crediderunt*, veritatem detinuerunt, *sicut de illis dictum est*, in iniquitate. *Non potuerunt enim in his rerum* (rebus?) *infimis constituti*, *nisi quærere aliqua media per quæ ad illa quæ intellexerant sublimia pervenirent: atque ita in deceptores demones inciderunt*, *per quos factum est ut* immutarent gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis et volucrum et quadrupedum et serpentium. » Ex his tamen confici nequit, Augustinum ad *solos* philosophos retulisse ea, quæ illo loco epistolæ (℣. 18—32) a Paulo dicuntur.

(4) Hom. III in Ep. ad Rom.: *Και τι ταυτα προς τους φιλοσοφους, φησι. Προς αυτους μεν ουν μαλιστα τα ειρημενα*, h. e. *Et quid hæc*, *inquies*, *ad Philosophos? Ad hos maxime omnia supra dicta* (scil. quæ ℣℣. 18—24 continentur) *spectant*. Chrysostomum in hac sententia præiverat ORIGENES (ad h. l.): *Diximus enim hæc*, inquit, *quamvis ad omnes homines*, *quibus inest ratio naturalis*, *maxime tamen spectare ad sapientes hujus mundi*, *et eos*, *qui philosophi nominantur*, *quibus præcipue creaturas mundi et omnia quæ in eo facta sunt*, *discutere disciplina est*.

quæso, quod tantopere cogat ut vulgarem illam opinionem retineamus? An forte ad hoc cogat, quod, philosophis exceptis, reliqua pars mortalium oculis menteque orbata sit, ut ex conspectâ rerum creatarum magnitudine, motu, pulchritudine, constantia, utilitate, nequeat omnipotentis Dei intelligere majestatem? Aut ideò-ne forte sententia illa sequenda sit, quod idololatriæ impietas et infanda morum corruptela non nisi philosophis exprobrari possit? Et mulieres quas Paulus ibi (℣. 26) pariter accusat, an *philosophas* intelligamus? Sed de hac quæstione jam abundè satis.

Supersunt autem ad eamdem illam epistolæ partem notanda quædam non nullius momenti.

I. Et principio quidem illud monendum est, Paulum, ubi docet (℣℣. 19—20), Deum hominibus præbere sui notitiam *per creaturas* [1], ibi cum *exteriore* hac manifestatione conjunctam cogitare *interiorem* illam, quæ sita est in idea Dei homini naturaliter insita. Nam quum infra (Cap. II. 14—15.) doceat legem naturalem esse Gentilium cordibus inscriptam, eo ipso docet inscriptam quoque ibi esse ideam *Dei* legislatoris; quum notio legis notionem legislatoris necessariò contineat. Ceterum observandum est, Apostolum loqui de hominibus in vitæ societatem inter se conjunctis plenoque rationis usu fruentibus, ut ex tota contexta oratione conficitur. [2]

(1) Apostolus pariter illud docet in oratione quam habuit ad Lystrenses. Vide Act. Ap. Cap. XIV. 14—17. Confer etiam Sap. Cap. XIII. 1—10, ubi eadem doctrina traditur.

(2) Rectissima est hæc Möhleri ad Rom. I. 18—21 observatio. « *Freilich*, inquit, *ist hier keine vollständige Darstellung der Bedingungen zu erwarten, unter welchen Gott vom Menschen aus der Natur erkannt werden kann; der Apostel denkt sich den Menschen in Gesellschaft, wie er geschichtlich gegeben ist, und von einem solchen Menschen sagt der Völkerlehrer, dasz er Gott in der Welteinrichtung erkennen könne.* » Quonam verò sensu sumenda sit quæstio, *utrum homo in statu naturæ lapsæ* SOLIS SUÆ NATURÆ VIRIBUS *pervenire possit ad cognotionem Dei ejusque attributorum*, Möhlerus hisce verbis definit: *Bei Beantwortung dieser Frage*, inquit, *ist es vor Allem nöthig, den Sinn derselben zu bestimmen. Zuvörderst kann nun wohl gewisz nicht gemeint seyn, dasz wenn gesagt wird*, die vernunft allein könne Gott und seine Eigenschaften erkennen, *wir uns einen Menschen von Geburt an in einer Höhle etwa, oder in einem dunkeln Zimmer ein-und abgeschlossen vorstellen sollen, welcher dann durch sich allein zu der genannten Kenntnisz käme; auch nicht, dasz wir ihn uns zwar im freien Verkehr mit der Natur, aber auszerhalb der menschlichen Gesellschaft, und ohne Einwerkung derselben auf ihn denken; eben so wenig, dasz er zwar in Verkehr mit Menschen gesetzt sei, aber mit Menschen ohne allen religiösen Cult, oder mit Menschen, welche es wenigstens vermeiden, mit einen bestimmten Einzelmenschen, welchen wir zur Erkenntnisz Gottes wollen gelangen lassen, jemals von Höherem und Göttlichem zu sprechen, sondern immer nur von Niedrigem und Gemeinem. Alles diesz darf nicht angenommen werden, weil es völlig unnatürlich wäre; denn ohne Betrachtung der äussern Schöpfung, und ohne Umgang mit seines Gleichen, die schon irgend welche Erkenntnisse überhaupt und religiöse insbesondere haben, würde der Mensch niemals zu einem Anfang geistlicher und religiöser Entwickelung gelangen, sondern ungeachtet seiner Vernunftanlage, doch wie ein Thier leben, ohne Wort, wie ohne Gedanke... Diesz führt uns nun zur Annahme, dasz alle unter den verschiedenen Menschenstämmen vorhandene religiöse Bildung von der Uroffenbarung Gottes an die ersten Menschen ausgegangen und ohne dieselbe nicht zu erklären sei; allein, ob zwar gleich kein in der Gesellschaft lebender Mensch ohne alle Berührung mit dieser Uroffenbarung geblieben ist, so ist doch* dieses allgemeine Verhältnisz zu derselben nur *vorauszusetzen, wenn wir erforschen wollen, was der Mensch allein fur sich durch eigenen Vernunftgebrauch von Gott erkennen könne...*

Wir haben also obige Frage wohl so zu verstehen: Vermag der (gefallene) Mensch mit all seinen Kräften und Anlagen in der menschlichen Gesell-

II. Ex præsenti loco Apostoli apertissime constat, hominem post lapsum Adami posse per se, i. e. solis suæ naturæ viribus, *h. e.* absque ullo revelationis supernaturalis et gratiæ subsidio, ex consideratione rerum creatarum pervenire ad cognitionem Dei ejusque attributorum. Negavit hoc aliquando Cl. Bautain, qui tamen admonitus, ab hoc errore laudabiliter sese recepit. [1]

III. Fieri certe potuisset ut primigenia illa de Deo notitia, quam primus homo ex ipsa Dei institutione acceperat, ope continuæ traditionis servaretur et ad omnes ejus posteros transferretur incorrupta. Hoc tamen, si sermo sit de Gentilibus, factum non fuisse sicut aliunde constat, ita etiam confici potest ex ratione loquendi Apostoli, quippe qui ad ostendendum Gentiles prætexere non posse ignorantiam veri Dei, non argumentatur ex primigenia illa de Deo notitia quæ ope traditionis ad ipsos pervenisset, sed tantùm ex eo quod Deus sese illis per res creatas cognoscendum præbuerat [2].

---

schaft mit allen in ihr vorhandenen geistigen Bildungsmitteln, aber ohne die mosaische und christliche Offenbarung und innerlich wirkende Gnade gedacht, Gottes Daseyn und Gottes Eigenschaften zu erkennen und zu glauben? Vide Dr. J. A. Möhlers gesammelte Schriften und Aufsätze; herausgegeben von Dr. Joh. Jos. Döllinger. Regensburg 1839. 2. B. pag. 151, et 146, sq.

(1) Nam, monente Coadjutore Argentorensi, publicè professus est doctrinam his verbis contentam: *Quelque faible et obscure que soit la raison par le péché originel, il lui reste assez de clarté et de force pour nous guider avec certitude à l'existence de Dieu.* Cf. Perronii *Prælectt. Theol.* F. IX. pag. 357. edit. Lovan.—Obiter hic notamus, Bautanii errorem non esse confundendum cum sententia eorum qui docent, hominem ad usum rationis, cujus ductu Deum cognoscat, naturaliter pervenire non posse si adolescat seclusus a ceterorum hominum societate atque consortio.

(2) « Dieses *Wort*, ait Klee (ad h. l. de primigenia illa de Deo notitia loquens), *in Israel von Geslecht zu Geslecht treu und rein, bey der übrigen orientalischen Menschheit mehr oder minder verunstaltet überliefert, war den Hellenen und Römern, man kann sagen, ganz und gar abhanden gekommen; darum Paulus von diesem keine Erwähnung thut, sondern lediglich das innere von der äussern Welt entzündete und genährte Gottesbewustseyn zur Zeugenschaft wider die Menschen aufruft, und ihnen allein zur Schuld legt, dasz sie das, was ihnen von Gott durch die denkende Betrachtung der Welt erkennbar gewesen, in Ungerechtigkeit gefangen und unterdrückt gehalten haben.* »

CAPUT SECUNDUM.

Argumentum. *Quod hactenus de Gentilibus Apostolus probaverat, scilicet eos esse criminosos, idem hoc de Judæis probare nunc pergit, eâ utens orationis formâ, ut per Apostrophen Judæos compellat ostendatque eos nihilo meliores esse quam Gentiles. Hinc verò Judæo-Christiani Romani, ad quos Apostolus scribebat, colligere poterant quam falsò sibi persuaderent, se ob suæ gentis merita justificationem fuisse adeptos. Argumentum autem objurgatoriæ hujus compellationis tale est : dicit Apostolus, Judæos qui vulgò Gentiles condemnabant, eo ipso condemnare semetipsos, quippe qui rei essent eorumdem criminum; eosque reapse condemnatos quoque iri a Deo, qui, ut justus judex, sine respectu personarum esset judicaturus; neque enim esse cur, quia Judæi sint, spem habeant impunitatis* (1—3). *Intelligerent etiam, procrastinationem pœnæ non eò spectare ut spem foveant impunitatis, sed ut resipiscant; eos autem ob suam impœnitentiam sibi Divinæ iræ veluti thesaurum quemdam accumulare in diem illum tremendum, quo Deus judicaturus esset sine personarum respectu (Judæum ad normam legis mosaicæ, Gentilem ad normam legis cordi ipsius inscriptæ) et redditurus, unicuique pro suo merito, aut præmium aut pœnam* (4—17). *Non esse cur Judæi impunitatem sperent, quòd præclaram habeant divinæ legis cognitionem, aut quòd sint circumcisi; neque enim cognitionem legis quempiam gratum facere Deo, sed obedientiam legi præstitam; circumcisionem autem infructuosam esse iis qui Dei mandata non observent* (17—29).

ỹ. 1 — 3. Propter quod
inexcusabilis es o homo om-
nis, qui judicas. In quo en-
im judicas alterum, teipsum
condemnas : eadem enim
agis quæ judicas. 2 Scimus
enim quoniam judicium Dei
est secundum veritatem in
eos, qui talia agunt. 3 Exis-
timas autem hoc o homo, qui
judicas eos, qui talia agunt,
et facis ea, quia tu effugies
judicium Dei?

ỹ. 1—3. Διὸ ἀναπο-
λόγητος εἶ, ὦ ἄνθρωπε
πᾶς ὁ κρίνων· ἐν ᾧ γὰρ
κρίνεις τὸν ἕτερον, σε-
αυτὸν κατακρίνεις· τὰ
γὰρ αὐτὰ πράσσεις ὁ κρί-
νων. 2 Οἴδαμεν δὲ, ὅτι
τὸ κρίμα τοῦ Θεοῦ ἐστι
κατὰ ἀλήθειαν ἐπὶ τοὺς
τὰ τοιαῦτα πράσσον-
τας. 3 Λογίζῃ δὲ τοῦτο,
ὦ ἄνθρωπε ὁ κρίνων
τοὺς τὰ τοιαῦτα πράσ-
σοντας καὶ ποιῶν αὐ-
τὰ, ὅτι σὺ ἐκφεύξῃ τὸ
κρίμα τοῦ Θεοῦ;

Paraphrasis. Quare inex-
cusabilis es, o homo quisquis
in Gentiles judicium exerces,
etiamsi sis Judæus! quibus
nempe in rebus tu agis judi-
cem alterius, in hisce tu te
ipse condemnas; nam eadem
facis ipse tu qui judicas. At-
qui novimus condemnatorium
Dei judicium ferri sine re-
spectu personarum in eos
qui talia faciunt. An verò tu
opinaris hoc, o homo qui ju-
dicas talia facientes et ipse ea
facis, quod tu effugies Dei
judicium?

VARIANS LECTIO.

a) Pro *quæ judicas* Codices Græci omnes exhibent *qui judicas*, nisi quod inter lectiones Valesianas occurrit etiam lectio ἁ κρινων. Teste Estio (ad h. l.) etiam in nonnullis Latinis Codd. legitur *qui judicas.*

b) Pro δε est γαρ in Cod. C et nonnullis Minusculis; item apud Chrys. et in verss. Ital. Vulg. Copt. et Armen.

ỹ. 1 *Propter quod inexcusabilis es, o homo omnis qui judicas).* Pro *propter quod* Græce est διο h. e. δι' ὁ, *quare* (waarom) significatione *relativa*; refertur enim ad præcedentia (Cap. I. 32), et hoc quidem modo : implicitè dictum ibi fuerat, Gentiles criminum suorum excusationem non habere, quum eos minime *lateret*, ex pœnali Dei judicio (το δικαιωμα του Θεου) æterna morte dignos esse qui talia crimina patrassent; hinc verò fit illatio ad Judæos in hunc sensum : *quare* i. e. quum inexcusabiles sint qui peccant contra legem divinam quam non ignorant, *inexcusabilis es* (αναπολογητος ει), *o homo quisquis in Gentiles judicium exerces* (etiamsi Judæus, etiamsi circumcisus) (πας ὁ κρινων). Quia nempe eo ipso quod judicem agit, ostendit se non *ignorare*

legem, ad cujus normam alios dijudicat.— *Κρινειν* simpliciter est *judicem agere*, *judicium ferre*; sed contexta oratio indicat eam vocem hic intelligendam esse de *ferendo judicium condemnatorium*; idem dictum puta de vocabulo *κριμα*. Vocativo *ω ανθρωπε* epexegeticè apponitur Nominativus *πας ὁ κρινων*.

Ea quæ hic et deinceps (1—17) dicuntur referenda esse ad Judæos, quamquam non nominatim exprimantur, vel ex eo patet quod continuato sermone Apostolus *hominem* (*ω ανθρωπε*!) quem alloquitur, versiculo decimo septimo *Judæum* vocat: *Si autem tu*, inquit, *Judæus cognominaris*, etc. Solenne erat Judæis Gentiles vocare impios et peccatores; hinc illa compellatio: *o homo quisquis agis judicem!*

In quo enim judicas alterum, te ipsum condemnas). Particula *γαρ* in dictione *εν ῳ γαρ κρινεις* non habet vim *ætiologicam* sed *explicativam*, ut valeat *nempe*, *scilicet*, sicut infra Cap. VII. 2 et Hebr. IX. 2.—*Εν ῳ* est *in quo*, scil. negotio, *in qua re*, ut infra Cap. XIV. 22; et hanc formulæ *εν ῳ* interpretationem postulat ea, quæ sequitur, ætiologica sententia: *eadem enim agis*, *qui judicas*. Sensus ergo est: *quibus nempe in rebus tu judicem agis alterius*, *in hisce tu teipsum condemnas; nam ipsa ea* (*τα γαρ αυτα*) *facis ipse tu qui judicas* (*ὁ κρινων*). Est hic inter *κρινεις* et *κατακρινεις* elegans quædam Paranomasia, quam Belgicè sic reddideris: *te weten*, *waarin gy een ander oordeelt*, *daarin veroordeelt gy u zelven; want gy die oordeelt*, *doet dezelfde dingen*. Agis *eadem*, i. e. talia; confer ỹ. 3 et ỹ. 21—24.

ỹ. 2. *Scimus enim quoniam judicium Dei est secundum veritatem in eos qui talia agunt.)*. Græce est *οιδαμεν δε*, *scimus autem*, vel *atqui scimus*. Sensus est: *atqui novimus*, *condemnatorium Dei judicium* (*το κριμα του Θεου*) *ferri secundum justitiam adeòque sine respectu personarum* (*κατα αληθειαν*) *contra* (*επι*) *eos qui talia faciunt*, qualia Gentiles. Vide supra Cap. I. 24 sqq.

Κατά αληθειαν jungendum est cum *εστι επι τους* ad modum locutionis adverbialis.—Judicium *secundum veritatem* sive *verum* intelligitur judicium *justum*, tale, inquam, quod fertur *sine respectu personarum*, ut dicitur infra ỹ. 11, ubi Apostolus explicat quid intelligat *το κριμα του Θεου ειναι κατ' αληθειαν*. Hebraismus latere videtur in usu vocabuli *αληθεια* hoc loco. Certè vox אֱמֶת, *veritas*, ubi judici vel judicio tribuitur, est idem quod *justitia*, *integritas*; ut Ps. XIX. 20: מִשְׁפְּטֵי יְהוָה אֱמֶת צָדְקוּ יַחְדָּו h. e. *Judicia Dei* sunt *veritas*, *justa sunt cuncta*.

ỹ. 3. *Existimas autem hoc o homo*, *qui judicas eos qui talia agunt*, *et facis ea*, *quia tu effugies judicium Dei*). Ratiocinium Apostoli hisce tribus versiculis contentum tale est: *Tu*, *o homo*, *talia agens*, *qualia in aliis condemnas*, *ipse tuo judicio damnabilem te esse fateris* (ỹ. 1); *atqui scimus condemnatorium Dei judicium sine respectu personarum ferri in eos qui talia agunt* (ỹ. 2). Ex his verò Præmissis concludendum erat ita: *ergo nec tu*, *quisquis sis*, *qui talia agis*, *Dei judicium effugies*. Apostolus autem non in hanc formam argumentationem suam concludit, sed per interrogationem hanc (ỹ. 3): *An vero tu opinaris hoc*, *o homo* (o Judæe) *qui judicas talia*

facientes et ipse ea facis, quod tu effugies judicium Dei? Hæc verò interrogatio cum sensum habeat *negativum*, conclusio eòdem recidit ac si dixisset: *ergo nec tu, quisquis sis, qui talia agis, Dei judicium effugies.* Sed illâ orationis formâ Apostolus uti maluit ad taxandam vanam illam opinionem, qua Judæi passim sibi tamquam Abrahæ filiis impunitatem promittebant. Cf. Matth. Cap. III. 7—9, et Wetstenium ad h. l. Notum est illud Mishnicum (Tract. *Sanhedrin*. Cap. XI.: כל ישראל יש להם חלק לעולם הבא h. e. *cuilibet Israelitæ pars est in futuro sæculo.* Judæi (quod notat Fritsche ad h. l.) se ut Abrahami posteros, Deo adeò caros esse putabant, ut ne improbis quidem Israëlitis gehennæ tormenta metuenda opinarentur, sed omnibus promiscue vitæ æternæ beatitatem destinarent; eâ enim lenitate Deum Israelitarum facinora puniturum esse, ut vitæ æternæ jacturam non paterentur. Cf. Eisenmenger *Entdecktes Judenthum*. Tom. 2. pag. 293.

℣. 4—8. An divitias bonitatis ejus, et patientiæ, et longanimitatis contemnis? ignoras [a] quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? 5 Secundum autem duritiam tuam, et impœnitens cor, thesaurizas tibi iram, in die iræ, et revelationis justi judicii Dei, 6 qui reddet unicuique secundum opera ejus: 7 iis quidem, qui secundum patientiam boni operis, gloriam, et honorem et incorruptionem quærunt, vitam æternam: 8 iis autem, qui sunt ex contentione, et qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira, et indignatio.

℣. 4—8. Ἢ τοῦ πλούτου τῆς χρηστότητος αὐτοῦ καὶ τῆς ἀνοχῆς καὶ τῆς μακροθυμίας καταφρονεῖς, ἀγνοῶν ὅτι τὸ χρηστὸν τοῦ Θεοῦ εἰς μετάνοιάν σε ἄγει; 5 Κατὰ δὲ τὴν σκληρότητά σου καὶ ἀμετανόητον καρδίαν, θησαυρίζεις σεαυτῷ ὀργὴν ἐν ἡμέρᾳ ὀργῆς καὶ ἀποκαλύψεως, καὶ [b] δικαιοκρισίας τοῦ Θεοῦ, 6 ὃς ἀποδώσει ἑκάστῳ κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ· 7 τοῖς μὲν καθ' ὑπομονὴν ἔργου ἀγαθοῦ δόξαν καὶ τιμὴν καὶ ἀφθαρσίαν ἐπιζητοῦσι, ζωὴν αἰώνιον· 8 τοῖς δὲ ἐξ ἐριθείας, καὶ ἀπειθοῦσι μὲν τῇ ἀληθείᾳ πειθομένοις δὲ τῇ ἀδικίᾳ, θυμὸς καὶ ὀργή.

Paraphrasis. Aut num forte illam benignitatem et patientiam et longanimitatem, quâ te adhuc fert Deus peccatorem, contemnis, et ignoras Deum te suâ illâ benignitate adducere ad resipiscentiam? Tu verò, pro tua animi duritie et impœnitenti corde, coacervas tibi thesaurum iræ divinæ, in te effundendæ in die iræ, quo justum habiturus est judicium Deus, qui rependet unicuique secundum opera ejus: et iis quidem qui constanti bonorum operum studio gloriam et honorem et immortalitatem quærebant, vitam reddet æternam; iis autem qui immorigeri erant, et, projectâ virtute, nequitiæ mancipati, pœnam infliget atrocissimam.

VARIANS LECTIO.



a) Pro *ignoras* Græce est *ignorans* (αγνοων), quod et legitur in antiqua Itala; atque ita quoque hic nostrum interpretem vertisse, id quidem docent, teste ESTIO (ad h. l.) Codices Mss. probatiores. cf. etiam SABATIERIUM ad h. l.

b) Vocula και non legitur in Codd. ABD*EG ut nec in nonnullis Minusculis; abest pariter a versionibus Itala, Syriaca, Vulgata, aliisque. TISCHENDORFIUS voculam και in textum non recepit.

ỷ. 4—5. *An divitias bonitatis ejus et patientiæ et longanimitatis contemnis).* etc. Ponit Apostolus, Judæos forte ob procrastinationem pœnæ spem fovere impunitatis; sed et hanc inanem fiduciam aufert; docetque divini judicii tarditatem procedere a bonitate Dei, qui peccatoribus dat spatium pœnitentiæ pœnamque ad tempus differt, aliquando tamen judicii illam tarditatem supplicii gravitate compensaturus.

Interrogativa Particula ἢ hic eam habet vim ut ponat casum diversum a præcedente, valeatque *aut num forte*, ut 1 Cor. IX. 6. 8. Cf. HARTUNG 2 Th. p. 61. — Ἡ χρηστοτης intelligitur Dei *bonitas* non qua sibi, sed quâ nobis bonus est, et hic quidem ea vox adhibita est de *benignitate* Dei ad parcendum peccatoribus potius parati, quam ad eos puniendos; secundum illud Ezechielis Cap. XXXIII. 11.: *Dic ad eos: Vivo ego, dicit Dominus Deus: nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, et vivat.* Ανεχεσθαι de iis dicitur, qui *seipsos* cohibent, quo minus indignentur aut ulciscantur. Itaque ανοχη του Θεȣ sita est in tolerandis, nec statim ulciscendis peccatis. Cf. TITTMANN *de Synonymis in N. T.* p. 194. Vocabula ανοχη et μακροθυμια synonyma sunt, aut, si mavis, non aliter differunt quam Belgica *geduld* et *langmoedigheid*. Aequipollentium illa verborum coacervatio ad extollendam Dei benignitatem facit. Hanc benignitatem *interpretativè* contemnunt, qui illa abutuntur ad impœnitentiam; quod quidem hic Apostolus Judæis exprobrat.

Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?) Sensus est: *num ignoras Deum te, sua illa benignitate, quantum in se est, ducere ad pœnitendum?* quæcumque hoc versiculo dicuntur, increpantis sunt sermo, cui subjicitur (ỷ. 5) vehemens objurgatio, quæ metum supplicii incutit. Το χρηστον est Adjectivum Neutrius Generis quod Substantive sumitur, idemque valet quod ἡ χρηστοτης, cum qua voce hic permutatur. Αγει, *ducit*, illa benignitas *quantum in se est*, atque etiam *perducet* ad poenitentiam, modo ductum ejus sequi velint peccatores.

Ex præsenti loco Apostoli rectissime conficitur peccatores etiam obduratos non penitùs destitui sufficientis interioris gratiæ auxilio, quo possint, si velint, a peccatis resipiscere. Quod ipsum quoque docet B. STEPHANI illa Judæorum objurgatio (Act. VII. 51): *Dura cervice,* aiebat ad eos, *et incircumcisis cordibus et auribus*, vel ut Græce est,

duri cervicibus et corde auribusque incircumcisi, vos semper Spiritui sancto resistitis [1]. Atqui opus Spiritûs sancti est *intùs commonere.* Quare vehementer hic improbo Estium hæc verba Apostoli ita interpretantem, ut ullam conferri obduratis gratiam *interiorem* neget. » *Notandum est*, inquit, *benignitate, patientia, et longanimitate Dei vocari peccatores ad pœnitentiam, sed communi et generali vocationis modo, qui consistit tum in externis beneficiis, quæ plurima præstita fuerant populo Judaico, ut hæc præcipua, lex, doctrina, prophetæ, Messias promissus atque exhibitus, tum quantum ad omnes, in obvia Dei cognitione ex creaturis, de qua capite præcedenti*: Deus enim illis manifestavit; *denique in lege naturæ omnium animis impressa, de qua post paululùm. Verum toto hoc vocationis genere, nisi specialis et efficax accedat vocatio, homines abutuntur, etiam ad magis peccandum. Quare nihil hic locus adjuvat eos qui sentiunt, omnibus hominibus gratiam a Deo dari vel offerri sufficientem.* »

℣. 5. *secundum autem duritiam tuam et impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ).* Præcedentis versiculi pars posterior continebat sententiam hanc: *benignitas Dei ad pœnitendum te inducit;* huic verò sententiæ per antitheticam Particulam δε opponitur ista: *tu vero cà Dei benignitate minime emollitus ad pœnitentiam et in peccatis tuis obdurescens, neglecto thesauro illo divinæ bonitatis* (ὁ πλουτος της χρηστοτητας ℣. 4), *thesaurum divinæ iræ tibi coacervas* (θησαυριζεις σεαυτῳ οργην) *in die iræ*, etc.

Κατα (Vulg. *secundum*) tropicè hic dicitur de ratione quæ est inter *causam* et quod inde consequitur. Conferri potest Nostratium *naar*, *volgens*, et *in gevolge van.* Hoc sensu Præpositio κατα legitur quoque Ephes. I. 5. 7. Tit. III. 5 et 1 Petri I. 3; eodemque sensu nonnunquam commutatur cum Dativo *instrumenti*, ut v. g. in hoc Arriani (apud Win. § 53.): *Κατ' εχθος το Πωρου μαλλον η φιλιᾳ τῃ Αλεξανδρου.* Vox σκληροτης quæ hoc tantùm loco legitur, significatione non differt a voce σκληροκαρδια, quæ occurrit apud Matthæum Cap. XIX. 8.—*Σκληροτης*, *durities*, tropice hic dicitur de iis quorum animus, ut res duræ non cedunt ad tactum, ita flecti se non patitur ad pœnitentiam. Respondet vox σκληροτης in hac significatione Hebraico קְשִׁי in versione septuaginta-virali Deuteron. IX. 27.: *Μη επιβλεψης επι την σκληροτητα του λαου.* Quod sequitur, καρδια αμετανοητος, est *cor impœnitens; quod emendationem respuit*; scilicet vox αμετανοητος sumenda est *activo* sensu, quo sensu occurrunt non raró verbalia in τος exeuntia, quamquam communiter Passive significant. Cf. Matthia Gramm. § 220, et Kühner § 90 *Anmerk.* 2.

Notandum est peccatori hic a Paulo culpæ verti, quod habeat cor durum et impœnitens; nam docet supplicium tandem irrogandum esse obstinato in peccatis. Ex quo jam in antecessum intelligitur, non posse verba Apostoli (infra Cap. IX. 18): *Deus quem*

(1) Confer quæ ad h. l. notavimus in Commentario nostro in Actus Apostolorum. T. 1. pag. 151. sqq.

vult indurat, in eum sensum accipi, ut significent Deum suâ ipsius actione eam in peccatoribus operari cordis duritiem.

iram in die iræ, et revelationis justi judicii Dei). Græcè dicitur non eis ἡμεραν οργης sed εν ἡμερᾳ οργης. Itaque non est vertendum *in diem* (*voor den dag*) sed *in die*, quasi dicas, *thesaurizas tibi iram* effundendam *in die iræ.*—Dies iræ (יוֹם־אַף יְהוָֹה Sophoniæ II. 2; יוֹם זַעַם Ezechiel. XXII. 24) intelligitur dies extremi judicii. Vox αποκαλυψις hic notat, non patefactionem quâ absconditæ rei scientia innotescat, sed eam manifestationem, qua idipsum, quod adhuc absconditum erat, jam *reapse* fiat aut exhibeatur. Videsis quæ de hujus vocis notione observavimus suprà ad Cap. I. 17. p. 24. Itaque *revelatio justi judicii* (δικαιοκρισιας) *Dei* est ipsa illius δικαιοκρισιας sive *justi illius judicii exhibitio.* Ceterum *dies iræ*, ad *rem* quod attinet, non differt a *die exhibitionis justi judicii*, nisi quod prior locutio ad *malos* tantùm refertur, posterior verò tam ad bonos quam ad malos.

℣. 6. *qui reddet unicuique secundum opera ejus).* In justo illo Dei judicio fiet id, quod justitiæ ratio postulat: erit ibi retributio *diversa*, prout quisque vel bona vel mala egerit; malis mala, bonis bona reddentur; quam retributionis diversitatem Apostolus sequentibus versiculis (7—11) distinctius exponit. Quod autem dicit *unicuique*, sumendum id est tamquam dictum de hominibus omninò omnibus, nemine excepto. Itaque et Gentiles complectitur et Judæos, et eos denique qui ex utrisque facti fuerant Christiani; nec de suis tantùm coætaneis loquitur, sed et de cujuscumque ætatis hominibus; ut adeò illa sententia sit omni modo universalis; neque enim ulla adest causa, cur aliquo modo limitetur.

℣. 7—11. Quod superiore versiculo Apostolus *generatim* dixerat, *reddet unicuique secundum opera ejus*, illud deinceps *speciatim* exponit; atque ita quidem ut versiculis septimo et octavo explicet quod dixerat, *reddet secundum opera*, versiculis verò nono et decimo definiat quid sit *unicuique reddet.*

℣. 7. *iis quidem, qui secundum patientiam boni operis, gloriam et honorem et incorruptionem quærunt, vitam æternam).* Ad Syntaxin verborum quod attinet, notandum est, 1° Accusativum ζωην αιωνιον pendere a verbo αποδωσει, quod ex præcedenti versiculo sumendum est; 2° locutionem καθ' ὑπομονην εργου αγαθου sumendam esse ad modum Adverbii, quod afficiat dictionem τοις ζητουσι δοξαν και τιμην και αφθαρσιαν. Ergo voces καθ' ὑπομονην εργου αγαθου *modum* exprimunt *quærendi gloriam et honorem*, etc. Locutio autem καθ' ὑπομονην εργου αγαθου, si sensum spectes, tantumdem valet ac si tu dicas *constanter bene operando.* Scilicet Præpositio κατα cum Accusativo structa, sicut et de *norma* dicitur *secundum quam* quid fit, ita quoque adhibetur de *via ac modo quo* quid fit. Itaque locutionem καθ' ὑπομονην εργου αγαθου hoc loco recte reddideris *constanti bonorum operum studio.* Vox ὑπομονη animi *constantiam* notat, ut Hebr. X. 36. Luc. XXI. 19. coll. Matth. XXIV. 13. Εργου αγαθου autem, Singularis Collectivus, est Genitivus

Objecti ad quod refertur illa ὑπομονη. Similis Genitivus *Objecti* est (1. Thess. 1—3) in dictione ἡ ὑπομονη της ελπιδος.

Gloria, *honor*, et *incorruptio* (h. e. immortalitas), bona sunt alterius vitæ; quæ bona confert *status vitæ æternæ* (ζωη αιωνιος), quam, tamquam bonorum operum *mercedem* (αποδωσει) Deus aliquando redditurus est.

Sensus ergò patet: gloriam, honorem, et immortalitatem constanti bonorum operum studio quærentibus Deus reddet vitam æternam.

ỷ. 8. *iis autem qui sunt ex contentione, et qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira et indignatio).* Est hoc loco *oratio*, ut vocant, *variata*; nam quum dictum esset (ỷ. 7) *reddet vitam æternam*, dicendum quoque erat *iram et indignationem*. Nunc, ut plena sit oratio octavo versiculo contenta, a fine supplendum est εσται, *erit.*

Τοις δε εξ εριθειας elliptice dictum est pro τοις δε εξ εριθειας ουσιν, sicut Joh. XVIII. 37 *plenè* scribitur ὁ ων εκ της αληθειας. In qua loquendi ratione Præpositio εκ metaphorice dicitur *de eo*, *cujus quis* aut *quid est*, vel *ad quem* aut *ad quid* veluti *pertinet*; et inservit ea dicendi formula *ad exprimendam* rei aut personæ cujuspiam *qualitatem.* Sic, ut hoc utar, infra Cap. III. 26 ὁ εκ πιστεως tantumdem est ac ὁ πιστευων.

A verbo εριθευω [1] derivata vox εριθεια in Græcitate classica ferè sumebatur de *vitiosa ambitione*, *contentione*, *æmulatione* [2]. Atque hæc ejus vocabuli significatio recte quadrat ad loca Novi Testamenti omnia (2 Cor. XII. 20; Gal. V. 20; Philipp. I. 17. II. 13; Jacob. III. 14. 16), in quibus vox εριθεια occurrit; excepto tamen præsenti loco Epistolæ ad Romanos, ubi εριθεια istiusmodi notionem recipere nequit; quod quidem ex contexta oratione patet. Itaque alia hoc loco notio subjicienda est voci εριθεια. Rectissime hoc jam sensit Syrus quoque interpres; nam ut in ceteris locis vocem εριθεια constanter reddit per vocem ܚܪܝܢܐ quæ *contentionem, altercationem* notat, ita hoc loco dictionem οἱ εξ εριθειας vertit ܐܝܠܝܢ ܕܚܪܝܢ h. e. *illi qui sunt rebellantes* (*refractarii*) [3]. Sciendum autem est in versione Septuaginta-virali Verbum ερεθιζειν respondere Hebraico מָרָה quod de *rebellando* aut *refractariè se gerendo* adhibetur; vide Deuteron. XXI. 18. 20. XXXI. 27. Itaque conjecerim vocem εριθεια referendam esse ad eamdem radicem, a qua provenit Verbum ερεθιζειν, cujus etymon me latet. Vox εριθεια ergo, secundum notionem verbo ερεθιζειν subjectam, significet *rebellionem*,

---

(1) Εριθευω verbum Denominativum ab ὁ, ἡ, εριθος, *mercenarius*, *mercenaria*, significat *mercenarius sum, pro mercede facio*, et impropriè adhibetur *de candidatis qui ambitum exercent*, et *de factiosis.* Vox vero εριθος unde derivata sit, adhuc nescitur.

(2) Exempla collegit Fritzsche in suo *Excursu* ad 1 Rom. II. 8. p. 147. sq.

(3) Hanc notionem a Syro interprete subjectam fuisse Verbo ܚܪܐ constat ex Tit. II. 9 et Ep. Jud. ỷ. 11.

et *οἱ ἐξ ἐριθειας* sint *rebelles*, *refractarii*, ut jam Syrus interpres hoc loco eam vocem intellexit.

Quæ sequuntur verba, *και απειθουσι μεν τη αληθειᾳ, πειθομενοις δε τη αδικιᾳ*, distinctius dicunt *quales* intelligantur ii, qui modò dicti fuerant *οἱ ἐξ ἐριθειας*. Itaque Particula *και* hoc loco vim habet non *conjunctivam* sed *epexegeticam*. Est in verbis illis elegans quædam Paranomasia, quam Latine sic utcumque reddideris: *scilicet* (*και*) *veritati quidem non obtemperantibus*, *obtemperantibus autem iniquitati;* ubi per Prosopopœiam quamdam *ἡ αληθεια* et *ἡ αδικια* tamquam personæ exhibentur. *Ἡ αληθεια* ibi *opponitur τη αδικιᾳ;* nec dicitur *non credentibus veritati*, sed *non obtemperantibus veritati;* ex quibus conficitur, *veritatem* hoc loco intelligi *legem religiosam atque moralem*, *quæ sit homini rectè agendi norma*, et a qua si deflectat, obtemperet *iniquitati* (*τη αδικιᾳ*). Vox *αληθεια* hoc sensu legitur Joh. III. 19. 20: *Omnis qui* MALE AGIT, ait Salvator, *odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus; qui autem facit* VERITATEM, *venit ad lucem*, etc. Ita quoque Paulus (I Cor. XIII. 6): *non gaudet*, inquit, *super* INIQUITATE, *congaudet autem* VERITATI. Ista notio voci *αληθεια* subjecta, repetenda est ex usu loquendi Hebræorum, qui vocem אֱמֶת hoc sensu adhibebant. Exemplo sit illud Ezechielis Cap. XVIII. 5. 9: וְאִישׁ כִּי בְּחֻקּוֹתַי יְהַלֵּךְ וּמִשְׁפָּטַי שָׁמַר לַעֲשׂוֹת אֱמֶת צַדִּיק הוּא. Vulgata: *Et vir si... in præceptis meis ambulaverit, et judicia mea custodierit ut faciat veritatem, hic justus est.*

ira et indignatio). Græcè *θυμος και οργη*, quibus vocabulis per Metonymiam *causæ pro effectu* anthropopaticè exprimitur pœna gravissima infligenda *τοις απειθουσι μεν τη αληθειᾳ, πειθομενοις δε τη αδικιᾳ*, hoc est, *improbis*, ut supra diximus.

℣. 9—12. Tribulatio, et angustia in omnem animam hominis operantis malum, Judæi primum, et Græci: 10 gloria autem, et honor, et pax omni operanti bonum, Judæo primum, et Græco: 11 non enim est acceptio personarum apud Deum.

℣. 9—12. *Θλίψις καὶ στενοχωρία ἐπὶ πᾶσαν ψυχὴν ἀνθρώπου τοῦ κατεργαζομένου τὸ κακὸν, Ἰουδαίου τε πρῶτον καὶ Ἕλληνος· 10 δόξα δὲ καὶ τιμὴ καὶ εἰρήνη παντὶ τῷ ἐργαζομένῳ τὸ ἀγαθὸν, Ἰουδαίῳ τε πρῶτον καὶ Ἕλληνι· 11 Οὐ γάρ ἐστι προσωποληψία παρὰ Θεῷ.*

Paraphrasis. Tribulatio et animi angustia futura est homini cuicumque qui operabatur malum, tam Judæo quam Gentili; gloria vero, et honor et pax erit cuicumque qui bonum faciebat, sive Judæus fuerit sive Gentilis. Deus enim in judicando rationem non habet personarum, sed tantum attendit ad merita causæ uniuscujusque.

℣℣. 9—10. Versiculis duobus præcedentibus Apostolus exposuerat *quas pœnas aut quæ præmia qualibus personis* aliquando esset retributurus Deus, justus judex. Idem hoc aliis verbis facit quoque hic (℣℣. 9. 10.), sed ordine inverso, atque ita etiam, ut nunc præterea declaret, ad homines omninò omnes, nemine excepto, pertinere id quod de retribuenda aut pœna aut præmio dixerat.

Tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum). Supple εσται, *erit*, ut supra ℣. 8. Pro *tribulatio et angustia* Græce est Θλιψις και στενοχωρια, quorum vocabulorum posterius gravius quid notat, quam prius (Cf. 2 Cor. IV. 8); conjuncta autem sunt, ut videtur, ad *summam* exprimendam miseriam.—Quod ibi dicitur πασα ψυχη ανθρωπου, Hebraica loquendi ratio est (Cf. Levit. XXIV. 17 כָּל־נֶפֶשׁ אָדָם) quæ tantumdem valet ac *quicumque homo*, uti mox dicitur (℣. 10) in præsentis loci parte antithetica (℣. 10). — Το κακον, *malum*, vocat quidquid divinæ legi quomodocumque cognitæ adversatur. Cf. ℣. 12—16.

gloria autem, et honor, et pax omni operanti bonum). Quibusdam veluti lineamentis hic adumbratur illa ζωη αιωνιος, quam modo (℣. 7) dixerat retributum iri bene operantibus. Το αγαθον, *bonum morale;* quod quidem *quale* hic intelligendum sit, dicetur infra ad ℣. 13.—Κατεργαζομενου est Participium Temporis Imperfecti: *qui operabatur;* nam præcedens Futurum αποδωσει hanc temporum consecutionem postulat. Proinde pro Participiis Imperfecti habenda quoque sunt Participia quæ præcesserunt, ζητουσι, inquam, απειθουσι, et πειθομενοις.

Judæo primùm, et Græco.) Græce: Ιουδαιῳ τε πρωτον και Ἑλληνι. Ter sic dixit Apostolus, bis hoc loco (℣. 9. 10), et semel suprà, Cap. 1. ℣. 16; eâque loquendi ratione totam hominum universitatem bipartitò distribuit, in Judæos nempe, et Græcos sive Gentiles. Cf. ℣. 14, et Cap. III. 29. Vox πρωτον ibi neque *ad tempus* referenda est, neque ad *præstantiam* quamdam quam præ Gentilibus haberent Judæi; sed per illam formulam πρωτον τε—και simpliciter fit enumeratio partium, in quâ Apostolus Judæos, suos videlicet populares, honoris causâ priori loco collocat. Confer Gallicum *au Juif d'abord; et* (ensuite) *au Grec.*

℣. 11. *Non enim est acceptio personarum apud Deum).* Rationem reddit Apostolus superioris (℣. 9. 10.) sententiæ. Ratio autem est, quia Deus in judicando non respicit personam judicandam, v. g. Gentilis-ne sit an Judæus; sed tantum attendit ad merita causa uniuscujusque: nec Judæo malè operato parciturus est, quia Judæus sit; nec hominem Gentilem, quia Gentilis sit, præmio defraudabit, si is benè fuerit operatus.

Acceptio personarum Græcè unâ voce dicitur προσωποληψια. Dictio προσωπον λαμβανειν, ut alibi jam docuimus, sensum refert Latinæ locutionis *rationem habere personæ cujuspiam.* Nec est proprie Græca illa dictio, sed Hebraica; refert enim notum illud נָשָׂא פְּנֵי פ׳ *excepit faciem cujuspiam*, quando hoc *in malam partem* dicitur de eo qui *temere favet alicui*, aut *partium studio* ducitur, ut Job. XIII. 10. Ex dictione

autem προσωπον λαμβανειν efficta sunt Verbum προσωποληπτεω (Jacob. II. 9), et Adjectivum Nomen προσωποληπτης (Act. X. 34), et Substantivum προσωποληψια, quod in præsenti loco legitur.

℣. 12—16. Quicumque enim sine lege peccaverunt, sine lege a) peribunt: et quicumque in lege peccaverunt, per legem judicabuntur: 13 Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur. 14 Cum enim Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex: 15 qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis c) conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus aut etiam defendentibus, 16 in die, cum judicabit Deus occulta hominum, secundum evangelium meum per Jesum Christum.

℣. 12—16. Ὅσοι γὰρ ἀνόμως ἥμαρτον, ἀνόμως καὶ ἀπολοῦνται· καὶ ὅσοι ἐν νόμῳ ἥμαρτον, διὰ νόμου κριθήσονται· 13 οὐ γὰρ οἱ ἀκροαταὶ τοῦ νόμου δίκαιοι παρὰ τῷ Θεῷ, ἀλλ' οἱ ποιηταὶ τοῦ νόμου b) δικαιωθήσονται (14 ὅταν γὰρ ἔθνη τὰ μὴ νόμον ἔχοντα, φύσει τὰ τοῦ νόμου ποιῇ, οὗτοι νόμον μὴ ἔχοντες, ἑαυτοῖς εἰσι νόμος· 15 οἵτινες ἐνδείκνυνται τὸ ἔργον τοῦ νόμου γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν, συμμαρτυρούσης αὐτῶν τῆς συνειδήσεως καὶ μεταξὺ ἀλλήλων τῶν λογισμῶν κατηγορούντων ἢ καὶ ἀπολογουμένων) 16 ἐν ἡμέρᾳ ὅτε κρινεῖ ὁ Θεὸς τὰ κρυπτὰ τῶν ἀνθρώπων, κατὰ τὸ εὐαγγέλιόν μου, διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ.

Paraphrasis. Quotquot, inquam, scriptâ lege carentes peccaverunt, hi peribunt quoque sine scriptæ legis accusatione; et quotquot legem scriptam habentes peccaverunt, per eam legem condemnabuntur. Non ii, inquam, qui cognitionem scriptæ legis habuerunt, ob id ipsum a Deo declarabuntur justi præmioque ab eo donabuntur; sed qui ea quæ scripta lex jubet, opere præstiterint, quicumque tandem sint, sive Judæi, sive Gentiles, illi demum censebuntur præmio digni (quando nempe Gentiles, scriptam legem sicut Judæi non habentes, naturâ magistrâ faciunt ea opera quæ lex mosaica præcipit, tunc istiusmodi homines illius legis expertes, ipsimet sibi illius legis vicem supplent; quippe qui eo ipso quod illa opera faciunt, factis ostendunt, esse mandata ejus legis animis ipsorum inscripta, contestantibus illud unà cum externo opere, ipsorum quoque conscientiâ et cogitationibus inter se eos accusantibus aut etiam defendentibus) die illo quo per Jesum Christum, sicut docere soleo, Deus dijudicaturus est ea quæ latentia sunt in homine.

VARIANS LECTIO.

a) Græce legitur *et peribunt*, και απολουνται.

b) Νομου, quod bis hoc versiculo occurrit, bis quoque absque Articulo legitur in Codd. ABD*G, et nonnullis Minusculis. Codex E uno loco Articulum habet, altero non habet.

c) Vox *illis*, quæ in Vulgata post *reddente* legitur, a Græcis Codicibus abest.

℣. 12—13. Confirmat (γαρ) his versiculis Apostolus id quod modò dixerat (℣. 11), *non est acceptio personarum apud Deum.* Et *confirmatio* hæc in eo sita est, quod disertis verbis docet, omnes, quicumque demum sint, si modò peccatores exstiterint, æqualiter esse perituros; si contrà probi, æqualiter esse beandos. Constat ergo ea confirmatio duabus partibus, quarum prior quidem continetur ℣. 12, posterior vero ℣. 13; utraque pars per Particulam γαρ *confirmantis* æqualiter nectitur cum sententia illa (℣. 11): *non est acceptio personarum apud Deum.* Nec Gentiles nec Judæos hic jam *nominatim* designat Apostolus, sed utrosque tamen in mente habet.

Quicumque enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt.) Pro *sine lege* Græce est utroque loco adverbium ανομως, quod Noster scitè reddidit *sine lege*, puta, *sine lege Mosaica.* Sensus est : *quotquot* (ὁσοι) *scriptâ lege carentes peccarunt, peribunt quoque* (και απολουνται) *sine scriptæ legis accusatione*; nimirum damnabuntur examinati ad dictamen legis naturalis, quæ, utpote animis eorum insculpta, scriptæ legis, ut dicitur infrà (℣. 14—15), vicem ipsis supplet. — Et hæc quidem, ut patet, de Gentilibus dicta sunt; ad Judæos vero pertinent quæ statim sequuntur.

et quicumque in lege peccaverunt, per legem judicabuntur), Sensus est : *et quotquot* (ὁσοι) *legem scriptam habentes peccaverunt, per eam legem judicabuntur*, hoc est, ad ejus legis normam examinati ejusdemque violatores reperti damnabuntur, pœnamque statutam luent.—Illud εν νομῳ non est elliptice dictum pro εν νομῳ οντες. Præpositio εν ibi adhibetur *de statu aut conditione, in qua quis versatur* faciens aliquid, et δια *de instrumento per quod* quid efficitur. Vox κριθησονται est quidem reddenda *judicabuntur*, verùm, ob antitheticum απολουνται, cogitandum est judicium *condemnatorium.*

non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur). Superioribus verbis (℣. 12.) firmaverat, Deum æqualiter puniturum esse improbos quoscumque; hic jam firmat, cum æqualiter quoque remuneraturum esse

quoscumque probos [1]. Ita verò hoc facit, ut unà obliquè reprehendat Judæos de lege divinitùs sibi data malè gloriantes, quum eam violarent. — Sensum hujus partis hic verbis expresserim: *Scilicet, non ii qui cognitionem scriptæ legis habuerunt, ob id ipsum justi a Deo declarabuntur præmioque ab eo donabuntur; sed illi demùm præmio digni censebuntur, qui ea, quæ scripta lex jubet, opere præstiterint, quicumque tandem sint sive Judæi, sive Gentiles.* Quæri hic poterat ab Apostolo, quo tandem modo Gentiles observassent legem, quam tamen non cognovissent. Huic vero tacitæ objectioni respondet per verba sequentia: *Cum enim Gentes,* etc., ubi Particula *enim* non *rationem reddit sententiæ antecedentis*, sed est Particula *explicantis* antecedentem sententiam, adeòque reddenda *videlicet*, *scilicet.* Dicturus ergo est Apostolus, Gentiles naturâ duce atque magistrâ scire quæ sint facienda et quæ vitanda, illudque naturale rationis dictamen illis scriptæ legis moralis loco esse, adeoque *factores* legis esse posse, quamvis *auditores* non fuerint.

Ἀκροαται, *auditores.* Solebat in Synagogis singulis sabbatis Pentateuchi pars aliqua prælegi, *audiente* populo (Cf. Act. XV. 21), qui eo modo assiduè legem edocebatur; hinc verò petita est illa loquendi ratio, qua Paulus Mosaicæ legis gnaros vocat *legis auditores.* Eodem sensu sanctus Jacobus dixit (Cap. 1. 22): *Estote autem factores verbi, et non auditores tantum.* *Ποιητης νομου* Græcis est *legis conditor*, *legis lator;* sed hic *ποιητης* significat eum, qui legem facit, id est, observat. Scilicet locutio *ποιητης νομου* hebraizat; confer 2 Paralip. XIV. 3., ubi dicitur עֲשׂוֹת הַתּוֹרָה h. e. *facere legem* de *observando legem.*

Ad voces *δικαιοι παρα τῳ Θεῳ* mente addendum est *εσονται*, *erunt*; nam in contexta oratione præcesserunt verba Temporis Futuri (*απολουνται* et *κριθησονται*), et per verbum Futuri Temporis (*δικαιωθησονται*) enunciatur quoque pars affirmativa præsentis effati. Quare Interpres noster non satis recte scripsit *justi* sunt *apud Deum.* Porrò antithetica ratio istius effati (℣. 13) dubitare non sinit, quin eodem sensu ibi sumenda sint verba *δικαιοι* (*εσονται*) *παρα τῳ Θεῳ* et illud *δικαιωθησονται.* Præterea moneo, contextam integri hujus loci (6—14) orationem docere, illud *ποι-*

---

(1) Recte *Card.* Toletus (ad h. l.): «Cum Paulus, inquit, duo proposuerit, nempe, *Gloria et honor operanti bonum, Judæo primùm et Græco; et tribulatio et augustia omni operanti malum, Judæo primum et Græco;* oportebat utramque probare partem. Et posteriorem quidem probaverat verbis præcedentibus (*qui sine lege peccaverunt, sine lege peribunt; qui in lege peccaverunt, per legem judicabuntur*) ut *malos* Judæos et Græcos comprehenderet. Oportebat igitur alteram partem de *bonis* confirmare, hoc autem facit, dicens: *factores legis justificabuntur et pronunciabuntur a Deo justi et digni mercede;* factores, non auditores .... Dum dicit factores, etiamsi non fuerint auditores, et Gentes et Judæos comprehendit.... Quod si ad Judæos (tantum) hæc verba referantur, tunc manet imperfectus contextus Paulinus; nam præcipua pars *de operantibus bonum*, manet sine explicatione et probatione sua. Adde, si ad solos Judæos hæc pertinerent, dicendum erat, *non auditores* TANTUM *sed* SIMUL *factores*, nempe qui audierint et servaverint legem. At dum excluduntur auditores, quod proprium est Judæo, et exprimuntur factores, quod commune est Judæo et Græco, hæc verba utrique esse communia manifestum est, et huic expositioni consonant sequentia.»

ηται του νομου δικαιωθησονται (*factores legis justificabuntur*), ad sensum quod attinet, diversum non esse ab eo quod suprà (℣. 7) dixerat Apostolus : *iis qui secundum patientiam boni operis, Deus reddet vitam aternam.* Ex quo consequitur sermonem hic esse de ea justificatione, qua quis in extremo judicio a Deo judice *justificatur*, id est *justus pronunciatur*, eoque ipso æternæ vitæ præmio donatur. Ad hanc justificationem Apostolus respiciebat, cum ad Timotheum scriberet (2 Timoth. IV. 7. 8) : *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.*

Probè hic notandum est, Apostolum, dum operibus mercedem tribuit æternam, tacitò sumere, præstita ea opera fuisse ab iis, sive Judæis, sive alterius nationis hominibus, qui essent justificati gratis per fidem [1] atque in statu gratiæ constituti, adjutique divinæ gratiæ auxilio ea opera præstiterint. Nam istiusmodi demùm opera æternæ mercedis esse capacia, Pauli doctrina est ; quam tamen hìc non pandit, quia huic rei nunc non erat locus ; nam hic significare volebat hoc solum, scilicet ad vitam æternam (℣. 7) obtinendam omninò requiri obtemperationem mandatis.

Firmatur ex præsenti quoque loco Apostoli illa Catholicæ Ecclesiæ doctrina, qua docet, justos bonis operibus mereri vitam æternam. « Quam doctrinam, ait Toletus (ad ℣. 6), mirum in modum confirmant et roborant vanæ et futiles adversantium hæreticorum responsiones. Ut enim in fide sola justitiam positam esse et mercedem ei soli debitam defendant, ad hoc testimonium (*qui reddet unicuique secundum opera ejus*) multipliciter respondent. »

« *Primò* quidem, aliqui illorum illud *ejus* ad *Christum* referunt : *Reddet unicuique secundum opera ejus, nempe* Christi *et Dei ipsius, non hominis.* Sed apertè expositio hæc reprobatur ; cum enim generalis sit sententia, bonos et malos complectens, ut ipsemet Paulus statim exponit, necesse est secundum hanc interpretationem, mala opera etiam esse Christi et Dei, quod impium est affirmare. Opera ergo hæc ad homines referuntur, quorum unicuique reddet Deus, secundum opera ejus. »

« *Secundò.* Alii interpretantur sic : *Reddet unicuique secundum fidem, quæ per opera manifestatur.* Sed quam violenta sit hæc interpretatio nemo non videt ; quam etiam verba sequentia non admittunt, in quibus non fidei distinctio, sed operum in bona et mala adfertur.

« *Tertiò.* Alii... illa verba sic explicant : *Reddet unicuique secundum opera sua, id est, post opera sua.* Perpende in quas angustias se conjiciunt, qui veritatem deserunt, et mendacium tuentur. Particula *secundum* nec in tota Scriptura, nec in ullo probato auctore, sicut nec Græca κατα, in ea umquam usurpatur significatione, ut significet *post.* Adde, repugnare contextui talem expositionem ; nam Paulus non ad tempus, sed ad qualitatem respexit operationum. *Reddet*, inquit, *secundum opera*, id est, qualia opera, talis erit redditio ; id quod verba sequentia declarant. »

---

(1) Vide pag. 25 notam *tertiam.*

« *Quartò.* Alii admittunt, *secundum opera* reddi, et operum esse mercedem aliquam, sed non vitam æternam nec regnum cœleste, verùm alia bona spiritualia. Quorum expositionem Paulus falsitatis convincit versu sequenti, ubi bene operantibus *vitam æternam reddi* declarat. ».

« *Quintò.* Alii nimium se urgeri sentientes, ad aliud ridiculum responsum confugiunt. Admittunt sensum eum esse, nempe redditurum *secundum opera;* sed dicunt neminem talem hominem reperiri, qui ea opera habeat ut vita æterna in mercedem pro eis detur; nec esse a Paulo hanc prolatam sententiam quasi velit aliquos homines esse qui ea habeant opera, sed ut ostendat fide solâ Christi justitiam dari.— Quam expositionem refutare multis opus non est, cum contextus ipse totus eam confutet. Est enim sententia hæc (*reddet unicuique secundum opera ejus*) communis Gentibus et Judæis; et quamvis inter Gentes non reperirentur qui bene operati fuerint (quod tamen falsum est; nam multi inter eos justi fuerunt; Job enim Gentilis fuit et justus; et Cornelius Gentilis erat et justus; Act. X.) tamen de Judæis negari non potest; et tamen etiam de his dicitur: *Reddet unicuique secundum opera ejus.* Adde, cum ista verba generalia sint et communia malis et bonis, sequeretur etiam nec esse homines qui mala opera facerent, propter quæ redderetur indignatio et vindicta. Responsiones hæ profectò apertè et palam ostendunt, talia respondentes se sentire verbis hisce convictos. »

Ex eodem hoc Apostoli loco rectissime probatur ea quoque doctrina Catholica, quam contra Hæreticos Tridentina Synodus Sess. 6 Cap. XI. stabilivit hisce verbis: « *Constat eos orthodoxæ religionis doctrinæ adversari... qui statuunt in omnibus operibus justos peccare, si in illis suam ipsorum socordiam excitando, et sese ad currendum in stadio cohortando, cum hoc, ut in primis glorificetur Deus, mercedem quoque intuentur æternam; cum scriptum sit* (Ps. 118): Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes propter retributionem; *et de* Moyse *dicat Apostolus* (Hebr. XI), *quod* respiciebat in remunerationem. » Ex quibus colligitur, etsi in bonis operibus præstandis Dei gloriam primo loco spectare nos oporteat, tamen pium et laudabile esse institutum, si æternæ quoque mercedis intuitu eadem a nobis exerceantur. Videsis de præsenti quæstione copiosè tractantem Andream Vegam *De Justificatione* Lib. XI. Cap. 39 — 42.

℣. 14—15. *Cum enim Gentiles, quæ legem non habent, ea quæ legis sunt faciunt,* etc. *)* Tacitæ, ut dixi, objectioni Apostolus hic (℣. 14—15) occurrit, explicando quomodo Gentiles, quamquam scriptam legem non habentes, tamen esse possint *ποιηται του νομου, legis factores.* Ergo quod hic dicit Apostolus, *ea quæ legis sunt* faciunt, respicit hoc illud quod modò dixerat, factores *legis justificabuntur.* Sunt autem duo versiculi isti (14 et 15) qui responsum continent ad tacitam illam objectionem, pro sententia parentheticâ habendi, ita ut voces (℣. 16) *in die cum judicabit Deus,* etc. proximè cohæreant cum verbis (℣. 13) *sed factores legis justificabuntur.* Similis parentheseos exemplum est in epistola ad Hebræos Cap. XII., ubi versiculus decimus nonus jungendus est cum vigesimo secundo, duo verò versiculi intermedii, vigesimus et vigesimus primus pro interposita sententia sunt habendi.

ỹ. 14. ὅταν seq. Præs. Conjunctivi casum hic ponit, non qui possit accidere, sed qui identidem accidit; ὅταν sic legitur quoque Matth. XV. 2; Joan. VIII. 44; 1 Cor. III. 4. — Particula γαρ hoc loco non *reddit rationem* sed est *explicantis*, ut adeò valeat *nempe*, *scilicet*, *videlicet*. — Εθνη intelliguntur Gentiles *universe*. Articulus abest, quemadmodum et infra Cap. III. 29; et abesse poterat; vide Win. § 18. pag. 136. Verba τα μη νομον εχοντα emphaseos causâ adduntur; puta dictum: *quando Gentiles, homines*, inquam, *qui legem Mosaicam non habent*; nam vox νομος, quamquam scribitur absque Articulo, tamen *definitè*, i. e. de lege Mosaica sumenda est. Articulus autem abesse poterat; vide Win. ibid. — Dativus φυσει referendus est ad *Dativum instrumenti quo*: quasi dicas *per naturam*, i. e. naturâ duce atque magistrâ, non ope doctrinæ per scriptam legem divinam acquisitæ. Τα του νομου (Vulg. *ea, quæ legis sunt*) sunt *ea quæ* Mosaica *lex vetat aut jubet*. Quod hic dicitur ποιειν τα του νομου, est hoc, ad sensum quod attinet, prorsus idem cum eo quod infrà (ỹ. 26) exprimitur per verba τα δικαιωματα του νομου φυλασσειν. Ceterum nemo non videt, legem Mosaicam in hac quæstione eatenus tantùm respici, quatenus continet præcepta *moralia*; de Mosaicis, inquam; præceptis sive *ritualibus* sive *judicialibus* hoc loco non agitur. — Ποιῇ in Singulari, quamquam ejus Verbi Subjectum (εθνη) Pluralis Numeri est. Scilicet Classici Græciæ scriptores Neutris Pluralibus jungere solent Verba Pluralia, sed tantum ibi ubi de rebus inanimatis sermo est [1]). Quare in præsenti loco Grammatica accuratior postulasset ut scriberetur ποιῶσιν, quam lectionem reapse exhibent Codd. AB, Minusculi nonnulli, et aliquot Patres; eamque in textum recepit Tischendorfius; vereor ut rectè; nam lectio ποιῇ firmâ Codicum auctoritate nequaquam distituta est; et infrà Cap. IX. 30, ubi nulla habetur lectionis varietas, eadem structura occurrit: εθνη, inquit ibi, τα μη διωκοντα δικαιωσυνην, κατελαβεν δικαιωσυνην. — In οὑτοι μη εχοντες, quod refertur ad præcedens εθνη, notanda est constructio *ad sensum*; videlicet *scribitur* εθνη, sed *cogitantur* ανθρωποι. Idem dicito ỹ. 15 de οἱτινες. In dictione οὑτοι μη νομον εχοντες Participium non *attributi* notionem continet, sed denotat *qualitatem* Subjecti; ut sensus sit *isti* (Mosaicæ) *legis expertes*. Ἑαυτοις εισι νομος, *ipsi sibi sunt instar legis Mosaicæ*; h. e. ipse eorum animus illis ea ipsa jubet aut vetat, quæ Mosaica lex moralis aut jubet aut vetat.

ỹ. 15. Quod modo dixerat Apostolus, scilicet *Gentiles ipsos sibi esse instar ejus legis*, illud hic confirmat, ducto argumento tum ex ipso eo quod opere præstant ea quæ Mosaica lex moralis exigit; atque hoc sibi vult per illud ενδεικνυνται, *ostendunt*, quod adeò cum Emphasi legendum est; tum etiam ex testimonio conscientiæ ipsorum, nunc accusantis eos, nunc defendentis. Quod scilicet testimonium non adeò intra hominem lateat, ut non identidem etiam foras se prodat. — Οἱτινες hoc loco inservit *reddendæ rationi*,

---

(1) Attamen Thucydides (I. 58.) scripsit: Τα τελη (*legiones*) των Λακεδαιμονιων ὑπεσχετο αυτοις. Vide Kühner § 424. *a.*

valetque Latinorum *ut qui*, *quippe qui*, *utpote qui*, ut suprà Cap. I. 25. *Ενδεικνυνται*, *ostendunt*, puta factis, ipsâque eorum ratione agendi. *Το εργον του νομου*, *ea quæ lex Mosaica moralis aut jubet aut vetat.* *Εργον* ibi Singularis *collectivus* est; *του νομου* est Genitivus *Subjecti.* Sic Sapientiæ Cap. II. 12 *ἁμαρτηματα νομου* sunt peccata, quæ Lex committi vetat. *Το εργον του νομου* sensu non differt ab eo quod dicitur suprà ỳ. 14 *τα του νομου*, et infra ỳ. 26 *τα δικαιωματα του νομου.* — *Γραπτον* scil. *ειναι.* Non scribitur Participium *γεγραμμενον*, sed Adjectivum verbale *γραπτον*, quâ vocabuli formâ scriptura illa tamquam *stabile quid* exhibetur; Belgicè dixerim: *als die aantoonen dat de werken der wet op hunne harten* GESCHREVEN STAAN. Allusio fit ad *tabulas lapideas*, quibus insculpta fuit lex Decalogi: sic hominum animis inscripta præcepta moralia sunt digito Dei humanam condentis naturam. *Cor* hoc loco dicitur de *sede intellectûs*, ex Hebræorum more loquendi qui vocem לֵב hoc quoque sensu adhibere solebant. Vide supra p. 33.

Participia *συμμαρτυρουσης* et *κατηγορουντων η και απολογουμενων* Genitivi *absoluti* sunt. Horum Participiorum loco si Verba Finita ponere velis, dicas *idque* (scilicet mentibus eorum inscriptum esse opus Legis) *unà testantur ipsorum conscientia cogitationesque inter se eos accusantes* ubi malè egerint, *aut etiam defendentes* ubi rectè. — Pro Verbo Simplici, *testimonium reddente*, quod in Vulgata hoc loco legitur, Græcè est Compositum *συμμαρτυρουσης*, h. e. *unà*, *simul testimonium reddente*; quo significatur, ad testimonium illud, quo Gentiles vitâ et moribus *ostendunt* (*ενδεικνυνται*) se notitiam habere legis moralis, accedere *testimonium conscientiæ ipsorum* (*συμμαρτυρουσης αυτων της συνειδησεως*). Nimirum cognitæ legis testimonium reddit conscientia, quando hominem aut accusat aut defendit, quum hoc absque notitiâ legis fieri nequeat. *Conscientia* et *cogitationes accusantes aut defendentes* pro unâ teste, non verò pro duabus habendæ sunt. Nimirum ipsæ illæ *cogitationes* (*λογισμοι*) conscientiæ vox sunt qua testatur. Itaque Particula *και* post vocem *συνειδησεως* vim habet non tam *conjunctivam* quam *exegeticam* potius. Hinc vero etiam ratio peti potest cur Apostolus ibi verbum posuerit Numeri Singularis (*συμμαρτυρουσης*), quamquam Subjectum Verbi est Plurale, scilicet *conscientia et cogitationes.* Dictio *μεταξυ αλληλων* valet *inter se* (entr'elles), quo sensu sumenda est Matth. XVIII. 15: *ελεγξον αυτον μεταξυ σου και αυτου μονου*: Vulgata: *Corripe eum inter te et ipsum solum.* — Apostolus cum scripserit *συμμαρτυρουσης*, adeoque usus sit verbo Temporis non Futuri sed Præsentis, non licet ea quæ hic dicuntur jungere cum sequentibus istis: *in die cum judicabit Deus occulta hominum*, etc.

ỳ. 16. *in die cum judicabit Deus occulta hominum secundum Evangelium meum, per* JESUM CHRISTUM) Jungenda sunt hæc cum decimo tertio versiculo: *non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur.* — Extremi judicii diem Apostolus vocat *diem cum judicabit Deus occulta hominum.* Eâdem loquendi ratione usus dixit in primâ ad Corinthios (Cap. IV. 5): *Nolite ante tempus*

judicare, quoadusque veniat Dominus; qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium. Τα κρυπτα των ανθρωπων (*occulta hominum*) ea sunt quæ homines occulta habent, puta *animi consilia*. Cf. I Cor. IV. 5. Itaque των ανθρωπων Genitivus *Subjecti* est.— *Evangelium suum* vocat Apostolus prædicatam a se doctrinam, quam Christo revelante edoctus fuerat, ut scriptum est in epistola ad Galatas [1] —Verba ista, *per Jesum Christum*, jungenda sunt cum illis: *in die cum judicabit Deus occulta hominum;* ut adeò *secundum Evangelium* Pauli, *Deus judicaturus sit homines per* Jesum Christum hominem, *qui constitutus est ab eo judex vivorum et mortuorum*. Cf. Act. X. 42. 2 Cor. V. 10, et videsis quæ in hanc rem notavimus ad Act. XVII. 31. «Dicitur autem, inquit Toletus (ad h. l.), Deus judicare per Christum, quia Deus est judex invisibilis; per Christum autem, ut homo est, visibile judicium exercebit. Præterea, Deus est primus judex, Christus autem ut homo judex ex potestate communicata. Joan. V. 22: *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio.* »

ỷ. 17—20. Si autem tu Judæus cognominaris, et requiescis in lege, et gloriaris in Deo, 18 et nosti voluntatem ejus, et probas utiliora, instructus per legem, 19 confidis teipsum esse ducem cæcorum, lumen eorum, qui in tenebris sunt, 20 eruditorem insipientium, magistrum infantium, habentem formam scientiæ, et veritatis in lege.

ỷ. 17 — 20. Ἴδε [a] σὺ Ἰουδαῖος ἐπονομάζῃ, καὶ ἐπαναπαύῃ τῷ νόμῳ, καὶ καυχᾶσαι ἐν Θεῷ, 18 καὶ γινώσκεις τὸ θέλημα, καὶ δοκιμάζεις τὰ διαφέροντα, κατηχούμενος ἐκ τοῦ νόμου· 19 πέποιθάς τε σεαυτὸν ὁδηγὸν εἶναι τυφλῶν, φῶς τῶν ἐν σκότει, 20 παιδευτὴν ἀφρόνων, διδάσκαλον νηπίων, ἔχοντα τὴν μόρφωσιν τῆς γνώσεως καὶ τῆς ἀληθείας ἐν τῷ νόμῳ.....

Paraphrasis. Quod si tu geris honorificum illud nomen ut Judæus appelleris, et tibi plaudis ob acceptam Legem, et gloriaris quod Deum habeas legislatorem, et agnoscis quæ sint facienda et quæ non facienda, quippe ex Lege continuò edoctus, et confidis te eum esse qui dux sit cæcorum, lumen eorum qui in tenebris versantur, magister stolidorum, institutor rudium, utpote in Lege veræ scientiæ typum habens....

---

(1) Cap. 1. ỷ. II. 12: *Notum enim vobis facio, fratres, Evangelium, quod evangelizatum est a me, quia non est secundum hominem: neque enim ego ab homine accepi illud neque didici, sed per revelationem Jesu Christi.*

VARIANS LECTIO.

a) Pro ἰδε reponendum est εἰ δε, quam lectionem exhibent Codd. ABD*EK et nonnulli Minusculi, item antiquæ versiones, Itala, Vulgata, aliæque nonnullæ. Protasi, quæ versiculis decimoseptimo et tribus sequentibus continetur, sua deëst Apodosis; quæ Anacoluthia quum librarium offenderet, mendum suspicatus, pro εἰ δε legendum esse ἰδε existimaverit. Itaque eo etiam titulo lectio εἰ δε commendatur, quod alterâ difficilior est.

℣. 17. *Si autem tu Judæus cognominaris*, etc.) Judæos non minus criminosos esse quam Gentiles, Apostolus supra (℣. 1) jam innuerat; sed hic (17—29) jam vehementius id facit, eosque gravissimorum criminum accusat. Ceterum hæc pars cum verbis proximè (℣. 13—16) [1]) præcedentibus (*non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur in die cum judicabit Deus*) ita cohæret, ut id quod ibi dictum est de Legis cognitione vanâ ubi desit Legi obtemperatio, transferat in Judæos, quos exhibet cognitione quidem Legis gloriabundos, maxima autem scelera admittentes. Transitioni inservit Particula δε.

℣. 17. *Si autem tu Judæus cognominaris*, etc.) Protasis sequentis compellationis continetur versiculis decimo septimo et tribus sequentibus; caret autem hæc Protasis suâ Apodosi; nam vigesimo primo versiculo (*qui ergo alium doces* etc.), nova inchoatur periodus, quæ vigesimo quarto versiculo absolvitur. In Protasi illa, quam dicebam, Apostolus in hanc sententiam Judæum compellat: *Quod si tu*, inquit, *geris honorificum illud nomen ut Judæus appelleris, et tibi plaudis ob acceptam Legem, et gloriaris quod Deum habeas legislatorem, et agnoscis quæ sint facienda et quæ non facienda, quippe ex Lege continuò edoctus; et confidis te eum esse qui dux sit cæcorum, lumen eorum qui in tenebris versantur, magister stolidorum, institutor rudium, utpote in Lege veræ scientiæ typum habens....* Hactenus compellatio Apostoli nihil continet reprehensionis, sed tantùm affirmat Judæos ob Legem divinitùs sibi datam pollere excellenti quâdam scientiâ vitæ rectè instituendæ. Et hoc quidem Protasis illa continet; cujus Apodosin si verbis expressisset Apostolus, dixisset, opinor, ad hunc modum: *scito, te ob Legis illam scientiam, qua polles, nequaquam probatum iri a Deo, si Legem non observes; neque enim auditores Legis justi erunt apud Deum, sed factores Legis justificabuntur.* Supressâ autem istiusmodi Apodosi, Apostolus, novâ inchoatâ periodo, eos arguit quod minime sint *factores Legis*, et per varias antitheses ostendit quantopere doctrina eorum a vita discrepet.

(1) Versiculos decimum quartum et sequentem pro sententia interpositâ habendos esse, et decimum tertium esse jungendum cum decimo sexto, suprà jam monuimus.

Judæus (Ιουδαιος, יְהוּדִי), nomen Gentilitium, est a *Juda* יְהוּדָה, quarto Jacobi ex Lea filio ductum. Ac primùm quidem *Judæus* is tantùm dicebatur qui ex tribu Juda erat oriundus. Quum autem sub Roboamo regnum Davidicum discissum esset in duo regna, *regnum Juda* et *Regnum Israël*, dicti sunt *Judæi* illi omnes Israelitæ qui inter subditos regni Juda numerabantur; subditi autem *Regni Israël* tum vocati fuêre *Israelitæ*; quo quidem nomine, ab Israele sive Jacobo deducto, ante illam scissionem gens Jacobæa universa appellabatur. Post solutum autem exilium Babylonicum, communi nomine dicti sunt *Judæi* omnes qui in patriam reduces antiquam Gentis sedem occuparunt; 1) atque eo nomine deinceps, nullo tribuûm discrimine, constanter vocati fuêre Jacobi posteri omnes, etiam illi qui extra Judæam 2) degerent. In præsenti verò loco epistolæ nomen *Judæus* non tam nomen Gentis est quam professionis religiosæ, et pro denominatione honorifica habetur.—Quum notio quæ vocabulo *cognomen* inest ad hoc nomen *Judæus* non quadret, malim vocem επανομαζῃ simpliciter reddere *nominaris*, quo sensu επονομαζειν legitur quoque in versione Alexandrina Genes. Cap. IV. 17. 25.

et requiescis in lege, et gloriaris in Deo) Verbum Medium επαναπαυομαι, quod hic legitur, respondet Gallico *se reposer sur quelque chose*, et tropicè significat *confidere alicui rei*. Apostolus autem, ut mihi quidem videtur, verbum επαναπαυεσθαι hic adhibuit non tam *de confidendo*, quam de *gloriando* quod *confidentium* est; nam pro eo quod hic dixit επαναπαυῃ τῳ νομῳ, infra (℣, 23.) scripsit εν νομῳ καυχᾶσαι. Et alibi quoque (Philipp. III. 4.) *confidere* (πεποιθεναι) dixit, ubi volebat *gloriari*. Quod sequitur καυχασῃ (*gloriaris*) flexura Verbi antiquissima est, pro qua deinceps dictum est καυχαῃ. Cf. Win. § 13. 2.

et nosti voluntatem ejus, etc). Vox *ejus* in Græco non legitur; recte tamen de suo Noster eam addidit ex præcedenti εν Θεῳ. Intelligitur voluntas Dei Judæo cognita ex scripta Lege divinitùs sibi tradita. Δοκιμαζειν non tam *probare* hic notat quam, quod vicinum est, *agnoscere*, quo sensu etiam alibi (Luc. XII. 56 Philipp. 1. 10) occurrit. Vox διαφερειν *intransitivè* sumpta, primùm quidem notat *differre*, *diversum esse*, sed mox *excellere*, *præstare*, ut hoc loco; sunt ergo τα διαφεροντα *præstantiora*, *potiora*; ubi tamen notandum est *præstantiora* non opponi *minùs præstantibus*, sed (sicut Philipp. 1. 10) iis quæ non sunt probanda. Puta comparationem

---

(1) Videsis quæ de fatis utriusque regni, Juda et Israel, paucis docuimus in Commentario in Act. Ap. ad Cap. 1. ℣. 5. Obiter hic moneo legendum ibi esse; *quum ex varia conversione rerum publicarum*, etc.

(2) « Judæa (Ιουδαια, יְהוּדָה) temporibus Davidis appellabatur ea Palestinæ pars, quam incolebant tribus Juda et Benjamin. Jos. XI. 16. 21. 2 Sam. 11. 10. V. 5. 19.. 1 Chron. XXII. 5. Israëlitarum regno in duas partes discisso, Judæa dicebatur *regnum* Juda, ad quod præter tribus Juda et Benjamin pars etiam tribuum Dan et Simeon pertinebat. Eodem nomine tempore insequente insigniebatur pars Palæstinæ meridionalis, cum septentrionalis diceretur Galilæa, media verò Samaria. Denique post exilii tempora omnis Palæstina dici cœpit Judæa. » Wahlius in Clavi N. T. ad h. v.

institui inter *probanda* et *non probanda*, et priora illa dici *præstantiora*.— *Κατηχουμενος εκ του νομου* h. e. *quippe edoctus ex Lege*. Præpositio *εκ* hic dicitur veluti de fonte *ex quo* Judæo illa doctrina continuò promanet. *Κατηχεω σε τουτο* proprie significat *insono tibi hoc*, tuis auribus; et hinc notat *doceo* viva voce, aut etiam aliter; peculiariter quidem Verbum hoc adhibitum fuit de *docendo prima artis sive scientiæ alicujus elementa*; usurpatur tamen etiam de provectiorum institutione. Passivè dicitur *κατηχουμαι τι* (Act. XVIII. 25) aut *περι τινος* (Luc. 1. 4); sed in præsenti loco ea vox absque *Objecto* posita est: *Ex lege continuo edoctus agnoscis quæ facienda sint et quæ non facienda.*

confidis teipsum esse ducem cæcorum, etc). Gentiles ob eorum ignorantiam et errores in re religiosa vario nomine hoc loco vocantur et *cæci*, et *ii qui in tenebris sunt*, et *insipientes* (*αφρονες stolidi*) et *infantes* (*νηπιοι rudes*, ut 1 Cor. III. 1). *Τῶν εν σκοτει* scil. *οντων*.— *Μόρφωσις forma*, quæ rem exprimat; hanc *formam* exprimit Lex. Scripsit *scientiæ* et *veritatis*, quia *scientia* illa quæ hauritur ex Lege, *veritas* est.

ỷ. 21—24. Qui ergo alium doces, teipsum non doces: qui prædicas non furandum, furaris: 22 qui dicis non mœchandum, mœcharis: qui abominaris idola, sacrilegium facis: 23 qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis Deum inhonoras. 24 (Nomen enim Dei per vos blasphematur inter Gentes, sicut scriptum est.)

ỷ. 21—24. Ὁ οὖν διδάσκων ἕτερον, σεαυτὸν οὐ διδάσκεις; ὁ κηρύσσων μὴ κλέπτειν, κλέπτεις; 22 ὁ λέγων μὴ μοιχεύειν, μοιχεύεις; ὁ βδελυσσόμενος τὰ εἴδωλα, ἱεροσυλεῖς; 23 ὃς ἐν νόμῳ καυχᾶσαι, διὰ τῆς παραβάσεως τοῦ νόμου τὸν Θεὸν ἀτιμάζεις; 24 Τὸ γὰρ ὄνομα τοῦ Θεοῦ δι' ὑμᾶς βλασφημεῖται ἐν τοῖς ἔθνεσι, καθὼς γέγραπται.

Paraphrasis. Sic ergo tu qui alium edoces, non edoces ipse te! Qui prædicas non esse furandum, furaris! qui dicis non esse adulterandum, adulterium committis! qui doces ipsa simulacra Gentilium esse res execrandas, templa eorum expilas! verbo dicam: tu qui in eo gloriaris quod legem a Deo acceperis, per violationem legis Deum in infamiam adducis; nam *Dei nomen*, sicut scriptum est, *vestrâ culpâ malè audit inter Gentes.*

ỷ. 21—23. *Qui ergo alium doces, teipsum non doces*, etc). Ostendit hic, ut dixi (supra p. 69), quam turpiter vita eorum discrepat a doctrina.— Particula *ουν* est *Concludentis* ex dictis ỷ. 19. 20 et violatæ legis exprobratione, quam suppressa illa Apodosis contineret. Est autem quadruplex quæ hic (ỷ. 21. 22) fit objurgatio, legenda ad modum exclamantis simul et accusantis.— Prima objurgatio (*qui alium doces, teipsum non doces*) generica est; ceteræ specificæ sunt. *Μη κλεπτειν, μη μοιχευειν:*

qui negant supplendum hic esse Infinitivum δειν, ut sit μη δειν κλεπτειν, μοιχευειν, hi affirmant verba *dicendi* (κηρυσσειν et λεγειν) hoc loco *præcepti* notionem continere, ut simplex Infinitivus sufficiat. Forsitan rectius dixeris, Infinitivum in istiusmodi locutionibus pro Imperativo adhiberi. Confer Hermannum ad Vig. Cap. V. sect. III. 9., et Kühnerum § 6 44. *a.* — Μοιχευειν, *adulterium committere.*— *Qui abominaris* (ὁ βδελυσσομενος) *idola*, h. e. qui doces idola Gentilium esse βδελυγματα (תּוֹעֵבוֹת) *res abominabiles.* Notanda est hic illa sermonis forma, quâ facere quis dicitur id, quod faciendum esse docet. Videsis quæ hanc in rem notavimus ad Act. Cap. X. 15. Ἱεροσυλειν (ab ἱερον et συλεω *deprædor*) dicitur de *furto rei sacræ*, aut *ex sacro*; quale furtum Latini *sacrilegium* vocabant. Ἱεροσυλια sive *sacrilegium*, quod Judæis hic exprobrat Apostolus, interprete S. Chrysostomo (Hom. VI. in Ep. ad Rom.) illud crimen intelligitur quo Judæi non dubitaverint subinde spoliare templa Gentilium et vasa idolis sacra prædari [1], quamquam divinitùs præceptum illis erat [2] pro re abominanda habere tam ipsa sculpta Gentilium idola, quam quidquid ad istorum cultum pertineret. Crimen hoc subinde a Judæis patratum fuisse colligi potest ex Act. XIX. 34, et Flav. Joseph. *Antiqq.* IV. 8. 10.

℣. 23—24. *qui in lege gloriaris per prævaricationem legis Deum inhonoras.).* Hæc pars legenda est ad modum exprobrantis et affirmantis. Finem facit Apostolus objurgationibus specificis adjectâ generali. Sensus eò redit ac si dicat: *Longum sit singula crimina persequi*: *dicam verbo*: *tu*, *Judæe*, *qui in eo gloriaris quod præ ceteris gentibus solus a Deo legem accepisti*, [3] *violatione legis Deum in infamiam adducis.* Ratio additur: *Nam propter vos*, *vestrâ culpâ* (δι᾽ ὑμας), *ob vestra crimina Dei nomen male audit inter Gentes*, puta Deum ex ejus cultoribus æstimantes sibique persuadentes eum minimè prohibere crimina, qualia vos patratis, aut certe in iisdem connivere. In quo tamen Gentes committebant *fallaciam causæ non causæ*, ut vocant Logici.

sicut scriptum est). Sacræ Scripturæ verba, quæ hic allegat Apostolns (το ονομα του Θεου δι᾽ ὑμας βλασφημειται εν τοις εθνεσι) ferè verbotenùs ita leguntur in Isaiæ Cap. LII. secundum versionem Septuagintaviralem. Quum verò eo loco sermo sit de vituperatione in quam apud Gentiles venisset Deus non ob peccata Judæorum sed ob eorum calamitates, dicendum videatur Paulum hoc loco verba Scripturæ

---

(1) Σφοδρα, inquit, ην απηγορουμενον των εν τοις ειδωλειοις άπτεσθαι χρηματων δια το βδελυρον· ἡ δε της φιλοχρηματιας τυραννις, φησι, και τουτον ὑμας επεισε καταπατησαι τον νομον. *h. e.* « Valde prohibitum erat, ne quis res idolorum contingeret ob exsecrationem : at pecuniæ tyrannis, inquit, hanc quoque conculcare legem vobis persuasit. »

(2) Deuteron. VII. 25. *Sculptilia eorum igne combures: non concupisces argentum et aurum, de quibus facta sunt, neque assumes ex eis tibi quidquam, ne offendas, propterea quia abominatio est Dei tui. Nec inferes quippiam ex idolo in domum tuam, ne fias anathema, sicut et illud est. Quasi spurcitiam detestaberis, et velut inquinamentum ac sordes abominationi habebis, quia anathema est.* Confer *Mishnæ* Tract. *Aboda Zara* Cap.

(3) *Non fecit taliter omni nationi; et judicia sua non manifestavit eis.* Psalm.

non in alium finem verba Scripturæ adduxisse, quam ut suam ipsius mentem sacræ Scripturæ verbis explicaret.

℣. 25—27. Circumcisio quidem prodest, si legem observes: si autem prævaricator legis sis, circumcisio tua præputium facta est. 26 Si igitur præputium justitias legis custodiat: nonne præputium illius in circumcisionem reputabitur? 27 et judicabit id, quod ex natura est præputium, legem consummans, te, qui per litteram, et circumcisionem prævaricator legis es?

℣. 25—27. *Περιτομὴ μὲν γὰρ ὠφελεῖ, ἐὰν νόμον πράσσῃς· ἐὰν δὲ παραβάτης νόμου ᾖς, ἡ περιτομή σου ἀκροβυστία γέγονεν.* 26 *Ἐὰν οὖν ἡ ἀκροβυστία τὰ δικαιώματα τοῦ νόμου φυλάσσῃ, οὐχὶ ἡ ἀκροβυστία αὐτοῦ εἰς περιτομὴν λογισθήσεται;* 27 *Καί κρινεῖ ἡ ἐκ φύσεως ἀκροβυστια τὸν νόμον τελοῦσα, σέ τὸν διὰ γράμματος καὶ περιτομῆς παραβάτην νόμου.*

Paraphrasis. Circumcisio, inquam, prodest quidem utilisque tibi est ad salutem animi, sed sub eâ conditione ut facias quæ sunt præcepta; quod si legem violes, non plus utilitatis ex circumcisione capies quam si omninò non esses circumcisus. Si igitur præputiatus quispiam ea præstet, quæ lege mandata sunt, nonne in extremo judicio perinde habebitur a Deo ac si esset circumcisus? Imò, condemnabit ille naturâ præputiatus qui legem servabat, condemnabit, inquam, sui comparatione te, qui violator legis eras quamquam scriptam legem habens, et circumcisionem, quâ professus fueras te legem esse servaturum.

℣. 25. *Circumcisio quidem prodest, si legem observes*, etc.) In superiore compellatione (℣. 17—24) Apostolus docuerat, Judæos ob legem divinitùs sibi datam nequaquam probatum iri a Deo, si legem non observassent. Nunc de accepto signo circumcisionis idem hoc docturus est; scilicet infructuosam esse Judæo circumcisionem, nisi Dei mandata observet. Cogitat autem Paulus tempus illud, quo Evangelii prædicatio nondum incœperat. Et verò ad Galatas scripsit (Cap. V. 2. 6.): *Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.... Nam in* Christo Jesu *neque circumcisio aliquid valet, neque præputium; sed fides, quæ per charitatem operatur.* Adhuc totus in eo est Apostolus, ut doceat neminem absque observatione mandatorum probatum iri a Deo. Vide supra, p. 64. Particula *γαρ*, quæ in Græcis codicibus constanter hoc loco legitur, est hic *explicantis* ulterius superiorem doctrinam, quâ dictum fuerat minimè sufficere legem accepisse et cognovisse, sed omninò requiri ejusdem observationem, ut quis a Deo probetur. Sensus hic est: Circumcisio, inquit, prodest quidem utilisque tibi est ad salutem animi, sed sub eâ conditione ut facias quæ sunt præcepta; quod si

legem violes, non plus utilitatis ex circumcisione capies quam si omninò non fuisses circumcisus.— Nimirum circumcisio professio quædam erat Legis observandæ: *Testificor*, ait Apostolus (Gal. V. 3), *omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universæ legis faciendæ.*

Περιτομη absque Articulo scribi poterat, quum notet rem, quæ in genere suo unica est, ob eamque rationem Grammaticè tamquam Proprium Nomen poterat tractari. Cf. Win. § 18. 1. Pro *ακροβυστια* (Vulg. *præputium*), quæ sacræ Græcitatis vox est, dici solet *ακροποσθια* a scriptoribus profanis, quæ vox ab *ακροβυστια* significatione nihil differt, imo cum hac, ut videtur, una eademque est. *Ακροβυστια* autem sive *præputium* intelligitur ea membri virilis pellicula, cujus amputatione fiebat *circumcisio* sive *περιτομη*.

℣. 26. *Si igitur* (*ουν*) *præputium justitias legis custodiat*, etc.) Ex dictis versiculo præcedenti jam ducitur *consequentia a contrario* (*ουν*), quæ quidem profertur *per interrogationem*, cui dandum sit responsum *affirmativum*. Vocabulum *præputium*, primo loco positum, gentilem sive ethnicum designat; ut adeò *ἡ ακροβυστια* tantumdem sit ac *ὁ ακροβυστος* aut *ὁ ακροβυστιαν εχων*, ut dicitur Act. XI. 3. — *Τα δικαιωματα του νομου*, quum de Gentilibus sermo sit, intelliguntur *moralia Legis Mosaicæ præcepta*. Vide supra p. — Sensus est: Si ergo circumcisio nihil prodest illi qui Legem non observat, et, uti dixi (℣. 13), ratio obtinendæ salutis est in observatione mandatorum, profectò consequitur, Gentili, si legem observet, non obfuturum esse suum præputium, sed in die justi judicii (℣. 5) perinde habitum iri a Deo ac si esset circumcisus.

℣. 27. *Et judicabit id quod ex natura est præputium*, etc) Non sunt hæc superioris (℣. 27) interrogationis continuatio, verùm sententiam continent affirmativam a præcedente interrogativâ grammaticè disjunctam; quæ tamen logicè cum illâ arctè cohæret; nam ut ibi dictum fuerat, *suum Gentili non obfuturum esse præputium si legem observet;* ita hic dicitur olim *futurum esse ut incircumcisus Gentilis qui legem servasset, condemnet Judæum, legis violatorem.*

Itaque non est mente supplendum *ουχι* ante *κρινεῖ*. Particula autem *και* vim *intendendi* hic habet, ut valeat *imo*, ut in hoc Act. XIX. 27: *ὁλη ἡ Ασια και ἡ οικουμενη*. Et peculiaris quædam Emphasis est in voce *κρινεῖ*, quæ ideo et a principio sententiæ posita est. Dictio *εκ φυσεως* non pertinet ad *τον νομον τελουσα*, sed ad *ακροβυστια*.—*Ἡ εκ φυσεως ακροβυστια* *nativum præputium*, h. e. *illi qui præputium habent a natura.* Atqui *præputiati* nascuntur mares omnes; quid opus erat præputium dicere *nativum* vel *naturale*? Scilicet volebat Apostolus innuere in præputio *per se* nihil mali esse quum sit a natura, atque ita opponere *carnale* illud præputium præputio *cordis*, quod legem violando ipsi sibi faciebant Judæi circumcisi.—*Γραμμα* hic intelligitur *νομος γεγραμμένος*, *scripta lex Judæis divinitùs tradita*, qualem non habebant Gentiles.—Præpositio *δια* ibi dicitur *de conditione sive statu*, *in*

quo quis positus facit aliquid aut patitur. Hoc loco vim illius Particulæ Latinè reddideris, si dixeris: *te, qui legem scriptam et circumcisionem habens violator eras legis.* Belgicè dixerim: *u, die by letter en besnydenis overtreder der wet waart;* non quod putem *δια* etiam valere *by*, sed quod ope Belgicæ hujus Præpositionis mens Apostoli accuratè exprimatur.—*Κρινεῖ* significat *judicabit*, sed contexta oratio postulat ut illi vocabulo subjiciamus notionem *judicii condemnatorii.* Nimirum fit nonnumquam ut alia sit propria vocabuli significatio, alia vero notio huic vocabulo nunc subjicienda.—Condemnabit autem istiusmodi Gentilis talem Judæum non quidem sententiam ferendo, sed exemplo et comparatione sui, ut qui non habens scriptæ legis privilegium, quod habebat Judæus, tamen legem servaverit. Eodem sensu *condemnare* sumitur in hoc Lucæ Cap. XI. 32: *Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione hac; et condemnabunt illam; quia pœnitentiam egerunt ad prædicationem Jonæ; et ecce plus quam Jonas hic.* Participium *τελουσα* habendum est pro Participio Imperfecti, quum præcesserit Futurum *κρινεῖ.* Vide suprà p. — Sensum hujus versiculi in paraphrasi explicavimus.

ỳ. 28—29. Non enim qui in manifesto, Judæus est: neque quæ in manifesto, in carne est circumcisio: 29 sed qui in abscondito, Judæus est: et circumcisio cordis in spiritu non littera: cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est.

ỳ. 28—29. *Οὐ γὰρ ὁ ἐν τῷ φανερῷ, Ἰουδαῖός ἐστιν· οὐδὲ ἡ ἐν τῷ φανερῷ, ἐν σαρκὶ, περιτομή· 29 ἀλλ' ὁ ἐν τῷ κρυπτῷ Ἰουδαῖος, καὶ περιτομὴ καρδίας, ἐν πνεύματι, οὐ γράμματι· οὗ ὁ ἔπαινος οὐκ ἐξ ἀνθρώπων, ἀλλ' ἐκ τοῦ Θεοῦ.*

Paraphrasis. Neque enim is qui tantùm foris et quatenus hominum conspectui patet Judæus est, is verus est Judæus; neque circumcisio aspectabilis, ea, inquam, quæ in corpore fit, circumcisio vera est: sed ille demùm verus Deoque gratus Judæus est, qui intùs et quatenus hominum conspectui impervius est, qui animo, inquam, Judæus est; et vera demùm Deoque grata circumcisio, cordis circumcisio est, ea, inquam, quæ peragitur in animo, non ea quæ sit secundum litteram legis; denique verus Judæus is est, cujus laus proveniat non ab hominibus, qui non vident nisi ea quæ foris apparent, sed a Deo, qui intuetur cor.

ỳ. 28. *Non enim qui in abscondito, Judæus est)* In præcedentibus (ỳ. 24—27) Apostolus declaraverat, circumcisionem nisi adsit legis observantia, nihil prodesse. Hujus

autem effati rationem hic (℣. 28—29) explicat, docendo nempe, professionem Judaismi et circumcisionem non sola re externa constare, sed utrumque internum quid esse, Dicit ergo : *Neque enim is, qui tantùm quâ foris apparet Judæus est, is verus est Judæus; neque circumcisio aspectabilis, ea inquam, quæ in corpore fit vera est circumcisio ; sed ille demùm verus Deoque gratus Judæus est, qui Judæus est qua parte absconditus est, qui animo, inquam, Judæus est ; et vera demùm Deoque grata circumcisio, cordis circumcisio est, ea, inquam, quæ in animo peragitur, non ea quæ sit secundum litteram legis ; denique verus Judæus is est, cujus laus proveniat, non ab hominibus, qui non vident nisi ea quæ foris apparent, sed a Deo, qui intuetur cor.*

Oratio Apostoli hoc loco singulari quodam modo elliptica est; nam sicut in parte negativa (℣. 28) bis deest Subjectum, ita in affirmativâ (℣ 29) bis deest Prædicatum. Ut plena foret ejus oratio, dicendum erat ita : *ου γαρ ὁ εν τῳ φανερῳ Ιουδαιος, Ιουδαιος εστιν· ουδε ἡ εν τῳ φανερῳ, εν σαρκι, περιτομη, περιτομη εστιν· αλλ' ὁ εν τῳ κρυπτῳ Ιουδαιος, Ιουδαιος εστιν, και περιτομη καρδιας, εν πνευματι, ου γραμματι, περιτομη εστιν.*

Το φανερον est id quod *adspectabile* est, *quod sub sensum oculorum cadit.* Præpositio *εν* hic dicitur *de statu in quo* quid est; adeòque *ὁ εν τῳ φανερῳ Ιουδαιος* is est, *qui in eo, quo adspectabilis est, Judæus est.* Ex quo intelligitur quid sit *ὁ εν τῳ κρυπτῳ Ιουδαιος*, quod statim sequitur. — In verbis *ἡ εν τῳ φανερῳ, εν σαρκι*, scil. *περιτομη*, dictio *εν σαρκι* explicationis causâ apponitur præcedenti *εν τῳ φανερῳ.* Sic pariter verbis *και περιτομη καρδιας* subjicitur *εν πνευματι, ου γραμματι*, quo explicatius dicatur quænam tandem vera Deoque grata sit circumcisio. Puta Apostolum scripsisse : *και περιτομη καρδιας, περιτομη εν πνευματι, ου γραμματι.* Vox *πνευμα* ibi sumitur de *animo*, et Præpositio *εν* dicitur *de eo, in quo* (waaraan) *tamquam objecto aliquid fit*; ut adeò vera circumcisio hic dicatur circumcisio cordis, *ea quæ fit in animo* (aan de ziel), non ea quæ fit *εν σαρκι* (aan het ligchaam); secundum hoc Jeremiæ Cap. IV. 4 : *circumcidimini Domino, et auferte præputium cordium vestrorum.* — Quod sequitur *ου γραμματι* reddiderim *non secundum litteram*, nempe legis Mosaicæ, quæ circumcisionem in corpore peragendam præcipiebat. Itaque *γραμματι* sit Dativus *normæ*, ut Act. XV. 1 *τῳ εθει Μωϋσεως.* — Quæ supersunt *οὑ ὁ επαινος κ. τ. λ.* pertinent ad descriptionem *veri* Judæi. Ibi *οὑ* (*Masc.*) referendum est ad *ὁ εν τῳ κρυπτῳ Ιουδαιος.*

CAPUT TERTIUM.

Argumentum. *In præcedenti capite* (℣. 25—29) *Apostolus dixerat, circumcisionem nihil prodesse absque Legis observatione; et vicissim præputium nihil obfuturum illi, qui Legem observasset; unde suspicari quis poterat eum sentire, Israëlitis a Deo nihil præclari præstitum fuisse præ ceteris Gentibus. Quam consequentiam quum ex verbis suis duci nolit Apostolus, eam ad modum objectionis sibi proponit, ac statim refellit, affirmando Judæis multa præclara præ ceteris gentibus divinitus fuisse præstita. Has autem prærogativas volebat enumerare; sed, primâ earum indicatâ, dum occurrit objectioni, quæ heic fieri poterat, abruptâ quam inchoaverat enumeratione, sermo ejus aliò dilabitur* (1—8). *Post pauca autem a digressione* (Cap. III. 1—8) *rediens ad superiorem disputationem (* Cap. II. ℣. 29 *) concludit, quamquam habet suas gens Judaica prærogativas, quas ipse non negaverit, tamen, ad personas quod attinet, Gentilibus nihil apud Deum præcellere Judæos, quum peccatores essent tam hi quam illi; id quod de Judæis, allatis Scripturæ testimoniis, ulterius confirmat* (9 — 19.*). Tum declarat non posse fieri ut quis ex operibus legis qua talis justificetur coram Deo; per Legem enim dari tantùm cognitionem peccati. Atque hâc transitione eò redit unde fuerat egressus* (Cap. I. 17 *), iterumque docet justificationem esse acceptam referendam divinæ Gratiæ, quæ per fidem in* Christum *offeratur hominibus sine discrimine omnibus* (20—23). *Et jam justificationem per varias ejus causas describit, proclamatâque legis imbecillitate, concludit hominem justificari per fidem, nullo habito operum respectu* (24—30).

℣. 1—2. Quid ergo amplius Judæo est? aut quæ utilitas circumcisionis? 2 Multum per omnem modum. Primum quidem quia credita sunt illis eloquia Dei.

℣. 1—2. *Τί οὖν τὸ περισσὸν τοῦ Ἰουδαίου; ἢ τίς ἡ ὠφέλεια τῆς περιτομῆς;* 2 *Πολὺ, κατὰ πάντα τρόπον. Πρῶτον μὲν γὰρ* [a], *ὅτι ἐπιστεύθησαν τά λόγια τοῦ Θεοῦ.*

Paraphrasis. Si ita res habet, ut dictum est, quænam ergo sunt Israëliticæ Gentis in re religiosâ prærogativæ? aut quænam tandem est circumcisionis utilitas? Multæ sunt sub quovis respectu Israëliticæ Gentis prærogativæ. Nam primùm quidem, prærogativa est quod Judæis concredita fuêre divina de Messia venturo salvatore oracula.

VARIANS LECTIO.

a) Particula γαρ in Codd. BD*EG, in nonnullis Minusculis, ut et in versionibus Itala et Vulgata hoc loco non legitur. Ambigi potest utrum illa Particula in textum sit recipienda nec-ne; concinnior oratio eam postulabat.

℣. 1. *Quid ergo amplius Judæo est? aut quæ utilitas circumcisionis?)* Ex iis, quæ postremo loco (Cap. II. 25—29.) dixerat Apostolus, videri poterat Gentiles in re religiosa omninò æquasse Judæis. Quam consequentiam quum ex verbis suis duci nolit, eam, ut refellat, statim sibi objicit. *Si*, inquit, *ita res habet, ut dictum est; quænam* ERGO *sunt Israeliticæ gentis prærogativæ? aut quænam tandem est circumcisionis utilitas?*

Particula *ουν* ést *inferentis* ex præcedentibus (Cap. II. 25.—29). *Το περισσον*, Neutrum Adjectivi cum Articulo, adhibetur ad modum Substantivi, idemque valet quod *ἡ περισσεια.* Qua voce in versione Septuaginta-virali frequenter redditur Hebraicum יִתְרוֹן *commodum*, *emolumentum.* Vide Ecclesiastæ Cap. I. 3. III. 9. V. 15. *Τι περισσον* Gallicè verterim *quel est l'avantage.*

℣. 2. *Multum per omnem modum.)* Respondet Apostolus ad id quod erat objectum, et quidem ad priorem partem objecti. Itaque *πολυ* refertur ad præcedens Substantivum *το περισσον*, ut sensus sit: *πολυ εστι το περισσον.* Quod additur *κατα παντα τροπον*, malim reddere *omnimodè.* Dicit ergo Apostolus, multas sub quovis respectu esse Israëlitiæ Gentis in re religiosa prærogativas.

Primum quidem, quia credita sunt illis eloquia Dei.) Græcè est *πρωτον μεν*

γαρ, *nam primùm quidem*, ubi γαρ est *probantis*; μεν autem *Solitarium* est; videlicet oratio PAULI hac parte est *anacoluthica*, ut supra Cap. 1. 8; alias prætereà [1] Israëliticæ Gentes prærogativas enumerasset, sed dum refellit (ỳ. 3) quod illic objici poterat, sermo ejus aliò dilabitur. Μεν illud obstat quominus πρωτον reddatur *primarium*, *præcipuum*, et tamquam Adjectivum referatur ad Substantivum περισσον. Itaque πρωτον hic Adverbium est, quod Gallicè reddideris *d'abord*, *en premier lieu*. Puta Paulum scripsisse πρωτον μεν γαρ, περισσον τι εστι, οτι (οἱ Ιουδαιοι) επιστευθησαν τα λογια του Θεου, *nam primùm quidem*, *prærogativa est quod Judæis eloquia Dei fuêre concredita*. Τα λογια speciatim hic intelliguntur divina oracula de MESSIA venturo salvatore; hanc interpretationem postulat id quod sequitur (ỳ. 3.): *quidam illorum non crediderunt*. Illa λογια του Θεου Apostolus alibi (Cap. IX. 4) vocat τας επαγγελιας, *promissa*. In dictione επιστευθησαν (Scil. οἱ Ιουδαιοι) τα λογια του Θεου positum est τα λογια in Accusativo. Quocirca notanda est regula hæc: Verba quæ aut Dativum aut Genitivum habent *Personæ* (ut v. g. πιστευειν τινι, κατηγορειν τινος) si Passivè construuntur, vertitur ille Dativus aut Genitivus *Personæ* in Nominativum fitque Verbi Passivi Subjectum, manente Accusativo *rei*. Confer quæ de hac syntaxi diximus ad Act. Ap. Cap. XXI. 3. Tom. 2. p. 162. Πιστευομαι τι Latine reddideris *concreditur*, *committitur mihi aliquid*. Repetita illa promissa (λογια = επαγγελιαι) de MESSIA venturo humani Generis salvatore facta fuerant soli Genti Israëliticæ; atque hoc putem Paulum sibi velle, cum dicit *concredita illis fuisse oracula Dei*. Et profectò magnum beneficium erat accepisse oracula venturum MESSIAM præmonstrantia, quum eorum indicio Judæi facilius quam Gentes suum agnoscere et recipere possent salvatorem.

ỳ. 3—4. quid enim si quidam illorum non crediderunt? Numquid incredulitas illorum fidem Dei evacuabit? Absit. 4 Est [a] autem Deus verax: omnis autem homo mendax: sicut scriptum est: Ut justificeris in sermonibus tuis: et vincas cum judicaris.

ỳ. 3—4. Τί γάρ; εἰ ἠπίστησάν τινες μὴ ἡ ἀπιστία αὐτῶν τὴν πίστιν τοῦ Θεοῦ καταργήσει; 4 Μὴ γένοιτο· γινέσθω δὲ ὁ Θεὸς ἀληθὴς, πᾶς δὲ ἄνθρωπος ψεύστης, καθὼς γέγραπται· ὅπως ἂν δικαιωθῇς ἐν τοῖς λόγοις σου, καὶ νικήσῃς ἐν τῷ κρίνεσθαί σε.

Paraphrasis. Quid enim? si nonnulli Judæorum increduli fuerunt, num illorum incredulitas efficiat ut Deus suam non servet fidem in præstandis promissis? Absit! Quin contra, verax habeatur Deus, homo autem quivis reputetur mendax; sicut scriptum est: *ut justificeris in sermonibus tuis et vincas cum judicaris.*

---

(1) Variæ illæ Israëliticæ Gentis prærogativæ recensentur infra Cap. IX. 4. 5.

VARIANS LECTIO.

a) Pro Indicativo *est* in Græcis Codicibus constanter legitur Imperativum *esto*. Fieri potuit ut interpres Latinus scripserit *esto*, idque, quum hic difficilem haberet intellectum, a librario mutatum fuerit in *est*, quod intellectu facilius est. Certe S. HIERONYMUS ad Tit. 1. legit *fiat autem Deus verax*.

℣. 3. *Quid enim)* Græce τι γαρ; *quid enim?* Sui juris sunt verba ista. Reliqua autem hujus versiculi verba unam conficiunt sententiam hanc : *si nonnulli Judæi fuêre increduli, num illorum incredulitas efficere potest ut Deus fidem suam non servet in præstandis promissis?* Dictio τι γαρ, sicut et Latinorum *quid enim*, formula est *anteoccupantis quod opponi possit*. Sumit Apostolus, esse quempiam qui illi dicat, non videri beneficium aliquod collatum Judæis in concreditis illis de Messia venturo oraculis, quandoquidem multi, cum advenisset promissus Messias, fidem illi denegassent. Cui PAULUS : ideò-ne, inquit, dicemus Deum fidem suam fefellisse, nec stetisse promissis suis de salute per Messiam conferendâ iis qui eum recepissent?— Erat hæc *interrogatio negantis*; itaque *affirmat* promissam salutem obtigisse illis, qui Messiæ credidissent. Quibus quum *concredita oracula* de Messia venturo inservissent ad eumdem agnoscendum et recipiendum, his certe beneficium fuerat illa oracula habuisse; quod autem Judæorum bene multi sua malitiâ illo beneficio uti noluerant, non ideò minus prærogativa erat Israeliticæ Gentis oracula hæc accepisse; quod erat probandum.

Quum Judæi maximam partem JESUM Messiam repullissent nec Evangelio credidissent, Apostolus dicere potuisset : *si* MULTI, vel *si* PLERIQUE *eorum non crediderunt* etc.; dixit autem ει τινες, *si nonnulli*, ut eo magis appareret quam absurdum esset ita de Deo sentire. Agitur hic, ut patet, de promissionibus divinis *absolutis*, ut vocant, non verò de *conditionalibus*. Πιστις hic de *fide* vel *fidelitate* in servandis promissis dicitur; του Θεȣ est Genitivus Subjecti; eodem sensu πιστος vocatur Deus in 2 ad Timoth. Cap. II. 13. — Καταργειν valet αργον (=αεργον *werkeloos*) ποιειν, *inefficacem*, *inertem reddere*, *cessare facere*, *abolere*, *destruere*, pro variâ ratione contexti sermonis. — Futurum Indicativi καταργησει hoc loco significat non *id quod fiet*, sed id *quod possit fieri*; quo usu habet vim Latinorum Præsentis Conjunctivi *potentialis*. Itaque μη καταργησει reddiderim *num aboleat*, h. e. *num abolere possit*. Atque ita quoque Futurum κρινεῖ quod legitur infra (℣. 6) reddendum est *quomodo Deus judicet mundum*.

℣. 4. *Absit. Est (Græce* ESTO*) autem Deus verax, omnis autem homo mendax)* Græcè est μη γενοιτο, quæ formula est *cum detestatione negantis*. Cui

negationi *opponitur* (δε) vehementissima affirmatio divinæ veracitatis (αληθης), quæ quidem comprehendit fidelitatem Dei in præstandis promissis : *E contra*, inquit Apostolus, *esto Deus verax*, *omnis autem homo mendax!* Quod dicit *esto Deus verax*, hoc refer ad æstimationem hominum, ut sensus sit : *Quin contrà* (δε) *verax habeatur Deus*, *homo autem quivis reputetur mendax!* Antitheton hominis mendacis hic extollit Dei veracitatem.

sicut scriptum est : ut justificeris, etc.) Quam proclamaverat Dei veracitatem, Scripturæ testimonio confirmat. Quæ autem citat verba, sumpta ea sunt ex Psalmo L (Hebr. LI) ỳ. 6 ; ubi DAVID pœnitens Deum ita alloquitur : *Quod malum* (הָרַע) *coram te est*, *feci*, *ut justificeris in sermonibus tuis*, *et vincas cum judicaris ;* quorum verborum sensus videtur esse hic : In adulterii et homicidii crimina labi me permisisti, ut manifestetur tua in loquendo justitia (*tua in præstandis promissis fidelitas*) et confundantur qui aliter de te existiment : qui existiment te ob mea peccata non præstiturum esse quod absolute mihi pollicitus es de regni mei stabilitate et MESSIA ex me nascituro Cf.

ỳ. 5—8. Si autem iniquitas nostra justitiam Dei commendat, quid dicemus? Numquid iniquus est Deus, qui infert iram? (secundùm hominem dico.) Absit. alioquin quomodo judicabit Deus hunc mundum? 7 Si enim veritas Dei in meo mendacio abundavit in gloriam ipsius : quid adhuc et ego tamquam peccator judicor? 8 et non (sicut blasphemamur, et sicut aiunt quidam nos dicere) faciamus mala ut veniant bona : quorum damnatio justa est.

ỳ. 5—8. *Εἰ δὲ ἡ ἀδικία ἡμῶν Θεοῦ δικαιοσύνην συνίστησι, τι ἐροῦμεν ; μὴ ἄδικος ὁ Θεὸς ὁ ἐπιφέρων τὴν ὀργήν; (κατὰ ἄνθρωπον λέγω.)* 6 *Μὴ γένοιτο· ἐπεὶ πῶς κρινεῖ ὁ Θεὸς τὸν κόσμον ;* 7 *Εἰ γὰρ* [a] *ἡ ἀλήθεια τοῦ Θεοῦ ἐν τῷ ἐμῷ ψεύσματι ἐπερίσσευσεν εἰς τὴν δόξαν αὐτοῦ, τί ἔτι κἀγὼ ὡς ἁμαρτωλὸς κρίνομαι ;* 8 *καὶ μή, καθὼς βλασφημούμεθα, καὶ καθώς φασί τινες ἡμᾶς λέγειν, ὅτι ποιήσωμεν τὰ κακά, ἵνα ἔλθῃ τὰ ἀγαθά; ὧν τὸ κρίμα ἔνδικόν ἐστι.*

Paraphrasis. At si nostra iniquitas sanctitatem Dei commendat, quid inde inferemus? num forte injustus est Deus qui pœnas infligit ob peccata? (ex carnalium hominum sensu hoc quæro) Absit! Nam si hoc ita sit, qui possit Deus agere judicem hujus mundi? Nam si Dei sanctitas gloriosior et illustrior facta est per meam perfidiam, cur adhuc et ego, divinæ gloriæ ilustrator, tamquam peccator condemnor? Et quidni facimus, sicut per calumniam accusamur, sicut, inquam, nonnulli aiunt nos dicere, faciamus mala ut eveniant bona? Quam agendi rationem qui sequuntur justissimè damnantur.

VARIANS LECTIO.

a) Pro γαρ legitur δε in Cod. A et nonnullis Minusculis.

℣. 5. *Si autem iniquitas nostra justitiam Dei commendat, quid dicemus?*) Ex citato modò Scripturæ testimonio consequebatur hominum iniquitatem quodammodo facere ad Dei gloriam, ejusque sanctitatem commendare. Nec verò negare vult Apostolus hanc consequentiam. Quid igitur? Vult occurrere illi qui ulterius inde conficiat injustum esse Deum si improbis pœnas infligat. Hanc ergo falsam consequentiam ut refellat, eam per interrogationem proponit præmissâ formulâ τι ερουμεν, *quid dicemus?* h. e. *quid inde inferemus? Num fortè injustus est Deus, qui improbis pœnam infligit, quandoquidem ipsorum improbitas illi dat occasionem manifestandi suam sanctitatem.* Prolatâ impia illâ dubitatione Apostolus ut significet se non ex suo sensu eam protulisse, statim addit: *secundum hominem dico.* q. d. dico hoc ex mente hominum carnalium, qui semper proni sunt ad carpenda divina judicia. [1])

Dicit ἡμων, quia loquitur ex personâ Judæorum, hoc est, suorum popularium. *Justitia Dei* intelligitur hic ejusdem *sanctitas.* Συνιστημι in Græcitate N. T. (Cf. 2. Cor. VI. 4. VII. 11. Gal. II. 18) eo sensu adhibetur ut valeat *ostendo*, *exhibeo*, aut etiam, quod vicinum est, *commendo*, quasi sit *cum laude exhibeo*, quo sensu συνιστημι legitur 2 Cor. III. 1. X. 12; atque eodem hoc sensu ea vox in præsenti loco sumenda est; quod quidem conficitur ex ℣. 7, ubi συνισταναι explicatur per περισσευειν εις δοξαν.

Ὀργη, *ira*, Metonymice hic dicitur de *pœnâ.* Solenne est επιφερειν de pœnis. Flav. Josephus (Antiqq. VI. apud Rosenmullerum ad h. l.) Deum vocat τοις πονηροις αξιαν επιφεροντα την ποινην, *sceleratis promeritas infligentem pœnas.*

℣. 6. *Absit. Alioquin quomodo judicabit Deus hunc mundum?*) Impiam illam dubitationem Apostolus cum indignatione propellit. Absit, inquit, ut putemus injustum esse Deum, si pœnam infligat iis, quorum peccata illi præbeant occasionem manifestandi suam sanctitatem! Potuisset directim respondere, sanctitatem Dei hominum improbitate illustrari quidem, verùm non *per se* sed tantum *per accidens*; veram enim causam ejus illustrationis esse ipsam Dei bonitatem. Directo, inquam, istiusmodi responso Apostolus heic uti potuisset; maluit autem blasphemum illud dubium propellere argumentando *ex absurdo.* Argumentatur ergo in hanc sententiam:

℣. 6. Deum aliquando judicaturum esse homines, minimè negabis. Atqui si injustus sit, ubi pœnam infligat illi cujus improbitate illustrior reddatur ejus sanctitas, jam non poterit agere judicem, hoc est, reddere unicuique secundum opera ejus; mala malis.

---

(1) Card. Toletus (ad h. l.): « *Secundum hominem dico*, i. e. id oppono quod homo carnalis et non sapiens quæ Dei sunt, objicere nobis posset. Est autem tale: si nostra iniquitas in causa est ut Dei justitia et fidelitas innotescat et manifestetur ac commendetur, *in suisque sermonibus justificetur*, iniquus igitur videbitur Deus si talem iniquitatem puniat, et in homines inferat iram, cum potius videatur debere remunerare eos tamquam auctores ut ejus justitia magis eluceret. »

℣. 7. Nam si Dei sanctitas illustrior facta est per meum peccatum, atque ideo peccatum meum peccatum non sit, cur adhuc et ego (κἀγω) divinæ gloriæ illustrator tamquam peccator condemnor?

℣. 8. Et quidni (supplendum est τι ex præcedenti interrogatione) facimus, sicut per calumniam accusamur, sicut, inquam, nonnulli aiunt nos dicere, faciamus mala ut eveniant bona? Quam agendi rationem qui sequuntur, justissimè damnantur.

℣. 7. *Si enim veritas Dei abundavit*, etc). Pro *enim* Græce est γαρ, quæ lectio omninò probanda est. Apostolus hic confirmat (γαρ) quod modò dixerat: *alioquin quomodo Deus judicare poterit hunc mundum*, hoc est, reddere mala malis? *Nam si peccatum meum*, inquit, personam agens cujuspiam peccatoris, *contulerit ad illustrandam Dei sanctitatem, cur adhuc condemnor ego tamquam peccator?* quasi dicat: jam amplius non erit qui sit puniendus, adeoque nec improbus; quod si nulli amplius sint improbi, jam nullum quoque erit extremum judicium; nam si mali nulli, cur instituatur judicium ad discernendum inter bonos et malos?

Dei *veritas* (αληθεια) quæ hic dicitur, intelligitur veritas Dei *moralis*, hoc est ejusdem *sanctitas*, *rectitudo*, quam suprà (℣. 5) Apostolus sensu non diverso vocaverat *justitiam Dei* (Θεου δικαιοσυνην); et ita quoque *mendacium* (ψευσμα) hic intelligitur *morale* mendacium, sive illa quæ modò (℣. 5.) dicta fuerat hominis *iniquitas* (αδικια). Qui hic loquitur extremum judicium cogitat *nunc* adesse, hinc utitur Verbo Præsentis *judicor* (κρινομαι); et proinde peccatum suum cogitat tamquam præteritum aliquid, adeoque de eo loquitur in Aoristo historico (επερισσευσε).— Illud ἡ αληθεια Θεου επερισσευσεν εις την δοξαν αυτου tantumdem est ac ἡ αληθεια περισσοτερως ενδοξος εγενετο. Præpositio εν in εν τῳ εμῳ ψευσματι dicta est *de instrumento quo*. *Ετι adhuc*, sed eo sensu quasi dicas *rebus sic comparatis*. Particula κἀι (in κἀγω) post ετι abundare mihi videtur, ut Luc. XIV. 26. Act. II. 36.

℣. 8. *Et non (sicut blasphemamur, et sicut aiunt quidam nos dicere, faciamus mala*, etc.) Ante *non* supple *quid* ex præcedenti sententia (*quid adhuc et ego*, etc.); itaque legas *et quid* (cur) *non*, etc. Editores Vulgatæ verba *sicut blasphemamur et sicut aiunt quidam nos dicere* pro parenthetica sententia habuêre; minus recte; nam *faciamus* (ποιησωμεν) non pendet a και τι μη, sed a verbo λεγειν, uti patet ex Recitativo ὁτι ante ποιησωμεν. Si Apostolus sibi voluisset *et quid non faciamus*, non scripsisset ibi in Aor. Conj. ποιησωμεν sed adhibuisset Verbum Temporis Præsentis; et quemadmodum dixerat τι ετι κρινομαι, pariter dixisset και τι μη ποιοῦμεν. Nec putaverim interpretem nostrum hoc loco parenthesin voluisse; nam si hoc, scripsisset non *faciamus* sed *facimus*. Igitur verba Apostoli ita sumas ac si scripsisset: *et quare non facimus, sicut blasphemamur et sicut aiunt quidam nos dicere* (sicut quidam qui nos calumniantur aiunt nos dicere), *faciamus mala ut eveniant bona*! Animadvertere est hoc loco speciem quamdam *Attractionis*, de quâ videsis Winerum

§. 64. pag. 605. *Βλασφημεω* est *βλαπτω την φημην* (*famam*) *τινος*. — *Βλασφημεισθαι calumniâ lædi.* Impiam illam consequentiam (℣. 6) Apostolus hic ex eo repellit quòd, si vera sit, jam sequatur, omnino licere malum facere si bonum inde eveniat.

quorum damnatio justa est) Verba hæc non referuntur ad illos qui per calumniam illi talem doctrinam (*faciamus mala*, etc.) imponebant, sed ad eos qui in agendo talem sententiam sequerentur; quos quidem damnatione dignissimos pronunciat, quo magis ostendat quam abhorreat ab istiusmodi doctrina, et quam falso ea illi adscribatur.

℣. 9—18. Quid ergo?
præcellimus eos? Nequa-
quam. Causati enim sumus
Judæos, et Græcos omnes
sub peccato esse, 10 sicut
scriptum est: Quia non est
justus quisquam: 11 non
est intelligens, non est re-
quirens Deum. 12 Omnes
declinaverunt, simul inuti-
les facti sunt, non est qui
faciat bonum, non est us-
que ad unum. 13 Sepul-
chrum patens est guttur
eorum, linguis suis dolosè
agebant: Venenum aspidum
sub labiis eorum: 14 Quo-
rum os maledictione, et
amaritudine plenum est: 15
Veloces pedes eorum ad
effundendum sanguinem: 16
Contritio, et infelicitas in
viis eorum; 17 et viam pacis
non cognoverunt: 18 Non
est timor Dei ante oculos
eorum.

℣. 9—18. *Τί οὖν; προ-*
εχόμεθα; Οὐ πάντως·
προῃτιασάμεθα γὰρ Ἰου-
δαίους τε καὶ Ἕλλη-
νας πάντας ὑφ᾽ ἁμαρ-
τίαν εἶναι, 10 *καθὼς γέ-*
γραπται· οὐκ ἔστι δί-
καιος οὐδὲ εἷς· 11 *οὐκ ἔσ-*
τιν ὁ συνιῶν, οὐκ ἔστιν
ὁ ἐκζητῶν τὸν Θεόν. 21
Πάντες ἐξέκλιναν, ἅμα
ἠχρειώθησαν· οὐκ ἔστι
ποιῶν χρηστότητα, οὐκ
ἔστιν ἕως ἑνός. 13 *Τά-*
φος ἀνεῳγμένος ὁ λά-
ρυγξ αὐτῶν· ταῖς γλώσ-
σαις αὐτῶν ἐδολιοῦ-
σαν· ἰὸς ἀσπίδων ὑπὸ
τὰ χείλη αὐτῶν· 14 *ὧν*
τὸ στόμα ἀρᾶς καὶ πι-
κρίας γέμει· 15 *ὀξεῖς*
οἱ πόδες αὐτῶν ἐκχέαι
αἷμα. 16 *Σύντριμμα καὶ*
ταλαιπωρία ἐν ταῖς ὁ-
δοῖς αὐτῶν. 17 *καὶ ὁδὸν*
εἰρήνης οὐκ ἔγνωσαν· 18
οὐκ ἔστι φόβος Θεοῦ
ἀπέναντι τῶν ὀφθαλ-
μῶν αὐτῶν·

Paraphrasis. Quid igitur? sumus-ne nos Judæi acceptiores Deo quam Gentiles? Nequaquam! supra enim criminibus allatis arguimus peccatores esse omnes, Judæos juxta ac Gentiles; sicut scriptum est: *Non est justus ullus; non est qui recte sapiat, non est qui Deum colat. Omnes a recta via recesserunt, facti sunt improbi pariter omnes; non est qui faciat bonum, ne unus quidem. Guttur eorum est sepulcrum apertum; linguis suis utuntur ad dolum; viperarum virus est sub labris eorum; os eorum execratione et amarulentia plenum est; pedes eorum veloces sunt ad effundendum sanguinem; contritio et calamitas est in viis eorum, et viam pacis non noverunt. Non est timor Dei præ oculis eorum.*

℣. 9. *Quid ergo? præcellimus eos? nequaquam.)* A digressione (℣. 1—8) ad superiorem disputationem (Cap. II. 1—29) rediens Apostolus concludit, Judæos, si sermo sit de probitate vitæ, nequaquam præstare Gentilibus, quum utrique peccatores essent, ut probasset.

Τι ουν et *προεχομεθα* sunt *duæ* interrogationes, non verò *una* hæc : *τι ουν προεχομεθα*; *quid igitur præcellentiæ habemus?* [1]) nam si hoc, respondendum erat non *ου* sed *ουδεν*. Igitur *τι ουν* formula est argumentantis ex ante dictis (ut hic ex I. 18—II. 29) et illaturi inde consequentiam quam repulsurus sit. Cf. Cap. VI. 15.—*Προεχειν* significat *ante se habere* (veluti clypeum), *prætendere*, ut in hoc Virgilii : *Paciferæque manu ramum prætendit olivæ;* deinde per Metaphoram *προεχειν* dicuntur illi qui *primas tenent aliqua in re*, *qui præstant ceteris iisque superiores sunt*. Passivum *προεχεσθαι* est *prætendi*, et *antecelli*, *superari;* ut in hoc Plutarchi (*De Stoicor. contradict.* apud Wetstenium ad h. l.) : *κατ᾽ ουδεν προεχομενοις ὑπο του Διος*, *cum nulla in re a Jove superentur;* at Paulinum *προεχομεθα* neutrâ significatione sumi hic potest : non priori, uti patet; sed nec posteriori, quum huic obstet contexta oratio; non enim quæritur utrum a Gentilibus superentur Judæi, verùm utrum hi Gentilibus præstent. Relinquitur ergo ut vocem *προεχομεθα* habeamus pro formâ Media, eique tribuamus notionem *superandi*, quam contexta oratio omninò postulat. Formam activam *προεχειν* hac significatione frequentari, suprà jam diximus. Fatendum quidem est, non esse adhuc reperta loca Classicorum ubi Medium *προεχεσθαι* notionem *superandi* habeat, sed non ideò dubitaverim hanc significationem illi verbo tribuere. Ratio est, quia video vocem *προεχομεθα* hoc sensu redditam fuisse in versionibus antiquissimis, Itala [3]), Syriaca [4]) et Vulgata, eodemque sensu *προεχομεθα* exponi a vetere Scholiaste [5]), quem Matthæi edidit; unde conjecerim in seriore Græcitate utramque formam *προεχειν* et *προεχεσθαι* (Med.) ad notionem *superandi* exprimendam pariter fuisse adhibitam; cujus rei exempla minimè desunt. Cf. Winerum § 39. — *Ου παντως* propriè notat *non omni modo;* sed eam notionem

---

(1) Ita quoque interpres Syrus; sed is verba Apostoli aliter accipere non poterat, quum responsum illud *ου παντως* in suo exemplari non legeret. Sic enim vertit :

ܡܢܐ ܗܟܝܠ ܐܬܝܬܪܢ ܒܡܬܪܐ : ܕܩܕܡ
ܦܣܩܢ ܥܠ ܝܗܘܕܝܐ ܘܥܠ ܐܪܡܝܐ : ܕܬܚܝܬ
ܚܛܝܬܐ ܐܢܘܢ ܟܠܗܘܢ ܀

h. e. *Quid igitur obtinemus nos præstantiæ? nam ante declaravimus de Judæis et de Gentilibus, quod sub peccato sint omnes.*

(2) Medium *προεχομαι* sive *προυχομαι* adhuc non repertum est adhibitum nisi tantum cum notione *ante se habendi*, *prætendendi*, aut *prætexendi*. Videsis H. Stephanum ad voc. *προεχω*.

(3) *Igitur præcellimus eos?*

(4) Vide suprà.

(5) *Προεχομεθα; τουτεστι, πλεον τι των εν ακροβυστια κεκτημεθα.*

præsens locus respuit; docuit enim Apostolus, Judæos, etsi Gentilibus præstantes si sermo sit de beneficiis a Deo ipsis collatis, peccatores tamen esse æquè ac Gentiles adeòque illos, quod attinet ad vitæ probitatem, his minimè præstare. Dicendum itaque *ου παντως* scriptum hic esse pro *παντως ου omninò non, nequaquam;* ut adeò agnoscenda sit *Trajectio* Particulæ negantis. DEMOSTHENES (apud WINERUM § 65) sic dixit *ου παvυ omninò non*, et EPIPHANIUS (ibid.) *ου παντως nequaquam.*

Causati enim sumus, Judæos et Græcos, omnes sub peccato esse). Rationem dat Apostolus cur negaverit Judæos ullo modo præstare Gentilibus si sermo sit de propriis utrorumque meritis. *Modo enim*, inquit, *accusavimus* (*προῃτιασαμεθα*) *tam Judæos quam Gentiles, quod essent sub peccato omnes*, i. e. tam hos quam illos esse peccatis obnoxios. De Gentilibus Apostolus illud ostenderat Capite I. ℣. 18—32, de Judæis verò Capite II. 1—29. Sermo hic non est de peccato originali, [1] sed de peccatis actualibus: nec Gentiles legem naturæ, nec Judæi legem scriptam servaverant. Bene SALMERON (Disput. 23): « Non id agit PAULUS, inquit, ut quærat uter populus gravius deliquerit; satis illi est probare, omnes fuisse sub lethali delicto maculatos, dicendo, *omnes sub peccato esse* quasi depressos, ut servos et mancipia peccati. Ex quo elicitur, nec hos nec illos meruisse Dei gratiam, sed pœnam potius æternam; quare si divinum gratiæ lumen et cetera dona illis conferantur, hoc non est ex eorum merito, sed ex sola et mera Dei bonitate. »

℣. 10—12. *Sicut scriptum est: quia non est justus quisquam* [2]). Peccatores esse Judæos Apostolus insuper probat adductis nonnullis ea de re testimoniis, ex variis S. Scrip-

---

(1) « Arbitror, ait *Soto* (ad h. l.), Paulum loqui de injustitia actuali;... neque intelligit injustitiam, ut opponitur speciali virtuti, sed vitiositatem in genere. Exorditur enim a genere (℣. 10.) *quia non est justus quisquam*), unde ad particularia crimina speciatim descendat. »

(2) Quæ hic allegantur (10—19), omnia sic habentur in Psalmo decimo tertio, ut is legitur in Vulgata. Sed ad hunc Psalmum proprie non pertinent nisi ea, quæ PAULUS habet versiculis decimo et duobus sequentibus; reliqua autem (13—19) sumta sunt ex aliis S. Scripturæ locis. De qua varietate lectionis erudite scripsit et rectissime judicavit LUCAS BRUGENSIS (*Notationes in S. Biblia; ad Ps. XIII*). Sententia ejus est, versus illos (13—19) non ad decimum tertium Psalmum pertinere, sed ex variis S, Scripturæ locis ab Apostolo collectos, deinceps a quopiam ex epistola ad Romanos Psalmo decimo tertio fuisse adjectos, quòd præcedentes versus ad eum Psalmum pertinerent. Qua prolata sententia, consultè hæc addit. « Porro, inquit, ut hos versus Hebræis et Græcis codicibus non adjiciendos esse censeo, ita Latinis libris, in quibus constanter leguntur, non subtrahendos judico. Lectionis enim antiquitas, quæ AUGUSTINI et HIERONYMI præcessit tempora, et perpetuus Ecclesiæ in templis usus, suo eos loco facile moveri non sinunt. Expediat autem fortassis obelisco eos prænotari, quemodmodum in vetustissimis exemplaribus, uno Cathedralis Ecclesiæ Brugensis, altero insignis abbatiæ Lobiensis, tertio Cœnobii S. MARTINI Tornacensis, et in D. BRUNONIS Herbipolensis Episcopi textu, notati cernuntur.—Hoc autem prænotati signo si versus isti scribantur, et lectionis antiquitati et legentis eruditioni satisfiet. Unum propter vetustatem in Ecclesia decantandum est, alterum propter notitiam Scripturarum ab eruditis sciendum est. »

turæ locis collectis; quæ tamen ad sensum potius quam verbotenùs ab ipso recitantur. Particula ὅτι (*quia*) non est pars recitandi testimonii, sed inservit inducendo in orationem verba alteerius; ὅτι *recitativum* vocant; idque etiam a scriptoribus classicis sic adhibetur. Vide Kühnerum §. 769. *Anmerk.* Prima pars testimonii comprehensa hisce verbis: *non est justus quisquam*, *Non est intelligens*, *non est requirens Deum*; *omnes declinaverunt*, *simul inutiles facti sunt*; *non est qui faciat bonum*, *non est usque ad unum*, sumta est ex Psalmo XIII. (Hebr. XIV) ℣. 1—3. ubi ex versione Vulgatæ sic legimus: ℣. 1. *Corrupti sunt et abominabiles facti sunt in studiis suis; non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* ℣. 2. *Dominus de cœlo prospexit super filios hominum, ut videat si est intelligens, aut requirens Deum.* ℣. 3. *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt; non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.*

Verba Pauli ista, *non est justus quisquam*, conveniunt ad sensum quod attinet, cum eo quod in Psalmo dicitur ℣. 1: *non est qui faciat bonum.* In dictionibus ὁ συνιων et ὁ εκζητων Articulus inservit demonstrando definitum hominum *genus* aliquod. Similis Articuli usus est in hoc Matthæi (Cap. XII. 35): ὁ αγαθος ανθρωπος εκ του αγαθου θησαυρου εκβαλλει τα αγαθα. Cf. Winerum § 17. Participium συνίων *intelligens*, *sapiens* a Verbo συνίω derivatum est; Cf. Winerum § 14. 3. Intelligitur autem eâ voce *sapiens sapientiâ ethicâ*, adeòque *pius*, *probus*; locutio autem illa hebraizans *quærere Deum* (דָּרַשׁ אֶת־יְהוָֹה) cum alia notat, tum etiam *colere Deum*, eoque sensu hic sumenda est; adeòque illud ουκ εστι ὁ εκζητων τον θεον valet *non est qui Deum colat.* Παντες εξεκλιναν i. e. *omnes declinaverunt*, puta, a viâ pietatis et probitatis; ἅμα (supple παντες ex præcedentibus) ηχρειωθησαν *unà omnes facti sunt inutiles* (ondeugend); Hebraicè ibi legitur נֶאֱלָחוּ (Nikt.) *ils se sont corrompus*, sensu ethico. « Vocabulum χρηστοτης, quod plerumque *benignitatem* denotat, hoc loco *morum honestatem* significat: *non est qui virtutem exerceat.* Quippe χρηστος in universum dicitur qui talis est, qualem esse decet. Ceterum ne quis hunc Substantivi χρηστοτης usum miretur, tenendum est, Paulum vel potius LXX voces ab eâdem origine profectas consultò conjunxisse. Qualia etiam Atticos lubentur copulare constat. » Fritschius ad h. l.

℣. 13. *Sepulcrum patens est guttur eorum, linguis suis dolosè agebant*[1]) sumta sunt hæc ex Psalmo V. 10. (in Vulgata ℣. 11): קֶבֶר פָּתוּחַ גְּרֹנָם לְשׁוֹנָם יַחֲלִיקוּן hoc est, *sepulcrum patens*[2] *est guttur eorum; linguam suam lævigant*, blandis utuntur

---

(1) Verba hæc et quæ sequuntur usque ad ℣. 19 leguntur quidem tamquam pars Psalmi decimi tertii in Codice Vaticano versionis Septuagintaviralis, non tamen in ipso contextu sed ad marginem, teste Montfauconio (apud de Rossi in Varr. lectt. N. T. ad h. l.).

(2) קֶבֶר פָּתוּחַ rectius redditur sepulcrum *patens* quam sepulcrum *apertum*, quia scriptum est פָּתוּחַ non נִפְתָּח.

verbis ad fallendum. *Εδολιουσαν* (a *δολιοω*) Imperfecti forma Ionica est pro *εδολιουν*. Videsis Sturzium *de Dialecto Alexandrina et Macedonicâ*. p. 60.

Venenum aspidum sub labiis eorum) Hæc sumta sunt ex Psalmo CXXXIX. 4. (Hebr. 140): חֲמַת עַכְשׁוּב תַּחַת שְׂפָתֵימוֹ hoc est, *Virus aspidis est sub labiis eorum*. Hac imagine exprimitur teterrimum malum quod proximo suo infert calumniator. Sensum integri hujus versiculi rectissime exposuit Card. Toletus: (ad h. l.) « Peccata linguæ, inquit, seu verbo commissa annotantur, et per Metaphoram exprimuntur. Guttur eorum dicitur sepulcrum patens; ut enim patens et apertum sepulcrum pessimos ac fœtidos spargit odores, qui hominum saluti noxii sunt; sic ab istorum gutture per linguam et labia noxia verba procedunt, aut deceptoria, aut quæ famam proximi lædunt. »

℣. 14. *Quorum os maledictione et amaritudine plenum est*). Pertinent hæc ad Psalmum X. 7: אָלָה פִּיהוּ מָלֵא וּמִרְמוֹת וָתֹךְ h. e. *execratione os ejus plenum est et fraudibus et oppressione*. Pro *πικρια* (*amaritudo*), quæ vox hoc loco legitur quoque in versione Septuaginta-virali, Hebraicè est מִרְמוֹת, quæ vox ab interprete Psalterii reddi solet *δολος* aut *δολιοτης*. Quare probabiliter conjeceris eum hoc loco pro מרמות legisse מְרֹרוֹת *amaritudines*. Per vocem *πικρια* in Septuaginta-virali versione redditur מְרֹרוֹת quod legitur Deuteron. XXXII. 32.

℣. 15—17. *Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem; etc.*) Ea quæ habentur versiculo hoc et duobus sequentibus, desumta sunt ex Isaia (Cap. LIX. 7. 8), non verbotenùs quidem, sed tamen quod attinet ad sensum. Nam quæ a Paulo dicuntur hisce versiculis, ea in Isaiæ sic leguntur: רַגְלֵיהֶם לָרַע יָרֻצוּ וִימַהֲרוּ לִשְׁפֹּךְ דָּם נָקִי מַחְשְׁבֹתֵיהֶם מַחְשְׁבוֹת אָוֶן שֹׁד וָשֶׁבֶר בִּמְסִלּוֹתָם׃ דֶּרֶךְ שָׁלוֹם לֹא יָדָעוּ h. e. *Pedes eorum currunt ad id quod malum est, et festinant ad effundendum sanguinem innocentem; cogitationes eorum* sunt *cogitationes pravitatis* (pravæ); *vastatio et ruina sunt in semitis eorum; Viam pacis ignorant*. Quorum verborum sensus est: Usque parati sunt ad malum perpetrandum, et prompti ad homicidium; solenne illis est proximo inferre calamitatem; bene illi facere nesciunt.

℣. 18. *Non est timor Dei ante oculos eorum*). Sumta sunt hæc ex Psalmo XXXV. (Hebr. Ps. 36) אֵין־פַּחַד אֱלֹהִים לְנֶגֶד עֵינָיו h. e. *non* est *timor Dei coram oculis ejus*. Aptissimo epiphonemate adducta testimonia claudit Apostolus; nam, quod Toletus hic notat, *omnium peccatorum generale principium est, Deum non timere; timor enim Dei est veluti frœnum, appetitum hominum in peccata proclivem reprimens et retrahens; quo soluto, in peccatorum præcipitia velocissime, nullo retinente, magno impetu fertur*.

ỳ. 19—20. Scimus autem quoniam quæcumque lex loquitur, iis, qui in lege sunt, loquitur : ut omne os obstruatur, et subditus fiat omnis mundus Deo : [20] quia ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo. Per legem enim cognitio peccati.

ỳ. 19—20. *Οἴδαμεν δὲ ὅτι ὅσα ὁ νόμος λέγει, τοῖς ἐν τῷ νόμῳ λαλεῖ· ἵνα πᾶν στόμα φραγῇ καὶ ὑπόδικος γένηται πᾶς ὁ κόσμος τῷ Θεῷ·* [20] *διότι ἐξ ἔργων νόμου οὐ δικαιωθήσεται πᾶσα σὰρξ ἐνώπιον αὐτοῦ· διὰ γὰρ νόμου ἐπίγνωσις ἁμαρτίας.*

Paraphrasis. Jam verò novimus, quæcumque sacra Scriptura dicit, ea dicta esse primo loco in eos qui sunt legi Mosaicæ subjecti, hoc est, in Judæos; et sic quoque accusatoria illa verba, quæ modò adduximus, dicta sunt in Judæos; quod quidem factum est eo consilio ut ex æquo tam Judæis quam Gentilibus os obstruatur totusque mundus agnoscat se esse Deo ad pœnam obstrictum; propterea quod opera legis efficere nequeunt ut quis justus habeatur a Deo; nam lex qua talis non præstat nisi notitiam peccati.

ỳ. 19. *Scimus autem quoniam quæcumque lex loquitur, iis qui in lege sunt loquitur).* S. Scripturæ loca adhuc recitata Apostolus induxerat ad ostendendum *sub peccato esse omnes*, id est, tam Judæos quam Græcos sive Gentiles. Jam ne forte dicerent Judæi, illa Scripturarum testimonia non etiam ad se pertinere sed ad Gentiles dumtaxat, Apostolus exceptionem illam præoccupans ostendit, positâ regulâ generali, adducta testimonia etiam ad gentem Judaicam esse referenda. Generalis autem illa regula hæc erat : quod Legis [1]) eloquia universalia, quales erant præsentes reprehensiones universales, dicta esse primo loco in eos qui essent huic Legi subjecti, hoc est, in gentem Judaicam. Dicit ergo : *Novimus autem, Legem, quæcumque indeterminatè proloquitur, ea primo loco dicere in Legi subditos.* Τοις εν τῳ νομῳ scil. ουσιν. Præpositio εν ibi dicta est de *statu* sive *conditione in qua quis versatur.*

ut omne os obstruatur, et subditus fiat omnis mundus Deo). Ex generali illo effato, *quæcumque lex proloquitur indeterminate, ea primo loco dicit in gentem Judaicam,* consequebatur, reprehensiones illas universales, quas Apostolus modò ex Lege recitaverat, primo loco pertinere ad populum Judaicum; et ad hoc referendum est quod addit Apostolus : *ut omne os obstruatur et subditus fiat omnis mundus Deo.* Ut adeò perdifficilis hujus loci sensus mihi videatur esse hic : *Quæcumque Lex proloquitur, ea primo loco*

(1) *Lex* hoc loco, ut et 1 Cor. XIV. 21, intelligitur synecdochicè universa veteris Testamenti Scriptura; sumtâ nimirum denominatione totius a parte potiori.

dicit in gentem Judaicam, *et sic in gentem Judaicam a Lege dicta sunt accusatoria illa verba*, (℣. 10 — 19) *idque in eum finem ut* (*ἵνα*) *omne os* (etiam gentis Judaicæ) *obstruatur*, *et totus mundus* (etiam gens Judaica) *agnoscat se esse Deo ad pœnam obstrictum.*

Universales illæ reprehensiones ut conscriberentur Spiritus sanctus voluit cum ob alios fines, tum etiam in eum finem, quem PAULUS hic indicat, ut nempe doceretur sub peccato esse omnes, tam Gentiles quam Judæos, atque ita *omne os obstrueretur*, omnes conticescerent utpote culpæ convicti nec habentes quo se defendant, et totus mundus (*ut Gentiles ita et Judæi*) agnosceret se esse reum pœnæque obstrictum. *ὑπόδικος τινι obnoxius alicui, pœnæ obstrictus* (strafschuldig). *Θεῷ* (Dativ.) cui pœnæ dandæ sint. *Γενηται logicè* sumendum est, ut suprà (℣. 4) *γενεσθω.*

℣. 20. *quia ex operibus Legis non justificabitur omnis caro coram illo; per legem enim cognitio peccati.*). *Διοτι propterea quod, quia,* Particula ætiologica, inducit *rationem ejus quod dictum est.* Ergo, quod hic docet Apostolus, *fieri non posse ut ex operibus Legis quispiam justificetur*, rationem continet præcedentis sententiæ: *ut omnis mundus* (ut Gentiles ita et Judæi) *agnoscat se esse Deo ad pœnam obstrictum* ob peccata actualia; nam de his tantum sermo adhuc fuit. Obscurum tamen est, mihi certè, quo modo Legis ad justificandum impotentia rationem reddat illius sententiæ.

Futurum illud *justificabitur* (*δικαιωθησεται*) hic adhibetur *de eo quod fieri potest*, ut infrà, Cap. X. 14, *πως επικαλεσονται*, quod reddendum est *quomodo possunt invocare.* Sermo autem est, ut contexta oratio demonstrat (*ὑπόδικος τῷ Θεῷ*), de ea *justitia*, qua homo ex peccatore fit justus, remisso peccato et reconciliatione factâ cum Deo [1]. *Lex* (*νομος*) hic intelligitur lex Mosaica, et quidem lex Moralis; nam ea lex hic intelligenda est de qua dicere pergit: *per legem enim cognitio peccati.* Atqui hanc legem esse legem Mosaicam moralem, id quidem patet ex loco parallelo isto: *Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit. Sed peccatum non cognovi nisi per legem: nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces* (Cap. VII. 7). *Opera* autem *legis* (*νομου.* Genit. auctoris) vocantur opera ea quæ lex Moralis aut facienda jubet aut vetat. *Omnis caro* ex Hebraïsmo כָּל־בָּשָׂר dicitur pro *quivis homo.* Dictum est autem *omnis caro non potest justificari* pro *nemo justificari potest*; etiam hic Hebraismus est in ratione loquendi. Scilicet Particula negativa לֹא *non* præmissa aut subjecta vocabulo כֹּל *omnis* sæpènumero unam notionem inde efficit. v. g. Prov. XII. 21: לֹא יְאֻנֶּה לַצַּדִּיק כָּל־אָוֶן *non accidet justo omnis calamitas*, ubi *non omnis* est *nulla.* — כָּל־מְלָאכָה לֹא יֵעָשֶׂה *omne opus non fiat*, h. e. *nullum opus fiat* (Exod. XII. 6). Ex Græcitate Novi Testamenti hebraizante exemplo sint ista: Luc. I. 37: *Ουκ αδυνατησει παρα τῷ Θεῷ παν ῥημα*; Vulg.: *Non*

(1) « *Justificare* hoc loco nihil aliud est quam *effici justum ex injusto et peccatore.* Quod ex eo probatur, quod Gentes et Judæos ostendit esse peccatores, nec posse delicta eorum per ulla opera expiari, nisi gratuito Dei dono, quod fides impetrat et apprehendit. » SALMERON, *Disputat.* XXV *in Ep. ad Rom.*

erit impossibile apud Deum omne verbum. Joh. VI. 39. : ἵνα πᾶν ὃ δέδωκέ μοι, μὴ ἀπολέσω ἐξ αὐτοῦ. Vulg. : *ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo.* Ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ ut בְּעֵינֵי יְהוָה *in oculis Iehovæ*, in judicio et æstimatione Dei.

Recte Toletus (ad h. l.) : « Attende, inquit, legem dici neminem justificare posse, non solùm quia nemo poterat legem totam implere, sola legis ipsius ope adjutus ; (opus enim est et erat, gratiâ, quæ non ex lege est sed ex fide Christi ;) sed etiam, quia, quamvis legis opera efficeret, adhuc justificari peccator non posset : nisi enim Christi fides adesset, quamvis tota lex impleretur, numquam homo peccator a peccato liberaretur nec Deo reconciliaretur ; hoc enim opus est Christi, qui fide viva in ipsum nobis justitiam sua virtute, justitia et merito communicat et impertitur ; propterea Paulus prudentissime dixit, *ex operibus legis non justificari ullam carnem*, quia lex etiam impleta id non posset facere. » Ceterum quod de operibus legis Moralis Mosaicæ hic a Paulo dictum est, idem quoque valet, ob paritatem rationis, de *operibus legis naturalis.*

per legem enim cognitio peccati.) His verbis causa exponitur cur fieri nequeat ut aliquis peccator ex legis operibus coram Deo justificetur. Causa autem est in ipsa impotentia legis, ut quæ nihil aliud præstet, quam ut per eam innotescat peccatum quod fugiendum sit ; omnino autem careat virtute abolendi peccata commissa et peccatorem cum Deo reconciliandi.

Eamdem de valore Mosaicæ legis doctrinam Apostolus pandit tum alibi, tum maxime in Epistola quam dedit ad Galatas : *Scientes autem,* inquit (Cap. II. 16), *quod non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi, et nos in Christum Jesum credidimus, ut justificemur ex fide Christi, et non ex operibus legis propter quod* (propterea quod) *ex operibus legis non justificabitur omnis caro ;* quorum verborum sensus hic est : Scientes autem neminem justificari verâ, interiore, proprieque dictâ justitiâ, quæ remissionem peccatorum complectitur, per opera legis, sed tantum per fidem in Jesum Christum, etiam nos in Christum Jesum credidimus (ἐπιστεύσαμεν), ut per fidem in illum consequeremur justitiam (δικαιωθῶμεν) et non ex operibus legis; propterea quod per opera legis nemo justificari potest.—

In eamdem sententiam porrò (Cap. III. 12) docetur *legem non esse ex fide*, hoc est, legi nihil esse commune cum fide, adeoque nec cum justificatione. Quando autem dicitur, legi nihil esse commune cum fide, non ideò negatur fidem fuisse requisitam tempore legis Mosaicæ, aut pios veteris Testamenti fuisse sine fide adeoque sine gratia ; sed Apostolus ideò ita loquitur quia agit ibi de merâ lege, de lege qua tali, et qualem post Jesu Christi adventum Judæi legem considerare debebant. Ante Christi adventum Judæi legem habebant cum spe Messiæ venturi, itaque cum fide et gratia ; sed post Christi adventum, quum eum rejicerent, non supererat ipsis nisi mera lex sine fide et gratia. Eo quoque sensu Apostolus deinceps dicturus est (infra Cap. IV. 15), *legem operari iram ;* quia nempe prævaricationis occasio est præcipiendo, quum non conferat gratiam qua impleri possit præceptum ; gratia enim per fidem accipitur.

℣. 21—22. Nunc autem sine lege justitia Dei manifestata est : testificata a lege, et Prophetis. 22 Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi in omnes, et super omnes, qui credunt in eum : non enim est distinctio :

℣. 22 — 22. *Νυνὶ δὲ χωρὶς νόμου δικαιοσύνη Θεοῦ πεφανέρωται, μαρτυρουμένη ὑπὸ τοῦ νόμου καὶ τῶν προφητῶν· 22 δικαιοσύνη δὲ Θεοῦ διὰ πίστεως Ἰησοῦ Χριστοῦ, εἰς πάντας καὶ ἐπὶ πάντας* [a] *τοὺς πιστεύοντας· οὐ γάρ ἐστι διαστολή.*

Paraphrasis. Nunc autem ex quo cœpit prædicari Evangelium, mundo manifestata est justitia quam in homine efficit Deus, quæque non obtinetur eo quòd quis aut habuerit legem aut legi paruerit; cui justitiæ testimonium reddunt sacrarum Scripturarum oracula. Manifestata est, inquam, justitia Dei quam per fidem Jesu Christo præstitam obtinere possunt quotquot fidem illi habeant cujuscumque sint nationis; nullum enim hic discrimen est inter Judæos et Gentiles.

VARIANS LECTIO.

a) Verba και επι παντας non leguntur in Codd. ABC. Leguntur autem in Codd. DEFGIK multisque Minusculis, item apud Theodoretum, Chrysostomum, Theophylactum, et Oecumenium.

℣. 21—22. *Nunc autem sine lege justitia Dei manifestata est*, etc.) Hactenùs Apostolus demonstraverat peccatores esse tam Gentiles quam Judæos; nec fieri posse ut Judæus peccator per legem qua talem cum Deo reconciliaretur. Quod autem de legis Mosaicæ impotentia affirmaverat, illud ob paritatem rationis valebat etiam de lege naturali; nam et de hac verum erat quod dixerat, *per legem tantum dari cognitionem peccati* (Vide supra p. 91). Itaque ademtâ legi tam Mosaicæ quam naturali omni vi justificandi, jam, eò rediens unde fuerat egressus (Cap. I. 17), distinctius docet justificationem esse acceptam referendam divinæ gratiæ, quæ per fidem in Christum offeratur hominibus nullo gentis discrimine omnibus [1]. *Nunc autem* (*νυνι*), inquit, hoc novæ legis tempore, palam orbi *manifestata est* (*πεφανερωται*) vera justitia, *justitia Dei* (*δικαιοσυνη Θεου*),

(1) S. Thomas (ad Cap. III. 21) : « Postquam ostendit Apostolus Judæos et Gentiles æquales esse quantum ad statum culpæ præcedentis, jam ostendit eos æquales quantum ad statum gratiæ subsequentis. »

ea, quam in homine misericorditer et gratis efficit Deus, quæque obtinenda neque a cognitione legis neque ab ejusdem observatione pendet (χωρις νομου); quam olim prænunciarunt oracula Scripturarum; manifestata est, *inquam* (δε), justitia Dei, quæ per fidem in Jesum Christum obtinetur et obtinenda offertur hominibus nullo gentis discrimine (εις παντας και επι παντας, supple ουσα), sive Judæis sive Gentilibus, qui voluerint credere in eum; nam non datur hactenus ulla inter Judæos et Gentiles distinctio.

Sunt qui velint dictionem νυνι hoc loco inservire *argumentationi* valereque *atqui*, *at vero*, ut infra Cap. VII. 17 et 1 Cor. XV. 20; sed in præsenti loco, ut mihi quidem videtur, nulla est argumentatio, nulla adsumtio, nulla conclusio. Itaque putaverim illud νυνι dictum esse *de tempore quo* palam orbi manifestata est illa *justitia Dei;* adeòque idem valere ac εν τῳ νυν καιρῳ, quod infrà (ỷ. 26) scripsit Apostolus de eadem re agens: *ad ostensionem*, inquit, *justitiæ ejus* εν τῳ νυν καιρῳ (*in hoc tempore*).

Voces istas, χωρις νομου, multi jungunt cum πεφανερωται, ut sensus sit: *Justitia Dei innotuit absque lege.* Sed quum Apostolus non scripserit νυνι δε δικαιοσυνη Θεου πεφανερωται χωρις νομου, sed νυνι δε χωρις νομου δικαιοσυνη Θεου πεφανερωται, non dubitaverim quin χωρις νομου jungendum sit cum δικαιοσυνη, ut sensus sit: *nunc autem ea quæ absque lege est justitia Dei*, etc. Πεφανερωται *manifestata est*, scilicet per prædicationem Evangelii; nam eodem sensu sumendum est hic πεφανερωται quo suprà (Cap. I. 16) αποκαλυπτεται.

Quod autem addit Apostolus μαρτυρουμενη ὑπο του νομου και των προφητων, suspicionem novitatis præoccupat, docendo *justitiam Dei*, quæ nunc palam orbi annuntiatur, olim fuisse prænunciatam sacrorum librorum oraculis. Idem hoc docuerat Apostolorum princeps Petrus (Act. X. 43): *Huic*, inquit, *omnes prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes qui credunt in eum.* Videsis quæ in Commentario ad eum locum adnotavimus. De justificatione peccatoris sub vetere Testamento egimus ad Act. XIII. 39, et XV. 10. 11.

ỷ. 22. *Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi in omnes et super omnes qui credunt in eum*). Bene Estius: « *Cohærent*, inquit, *hæc verba superioribus Epanalepsi quadam, exponente causam ac modum justitiæ Dei, quam dixit, acquirendæ.* » Itaque in verbis istis, δικαιοσυνη δε Θεου, Particula δε non *adversandi* sed *explicandi* vim habet, ut sensus sit: *justitia, inquam, Dei,* etc. Sic Particula hæc legitur quoque infrà Cap. IX. 30: δικαιοσυνην δε της πιστεως, et Cor. II. 6: σοφιαν δε ου του αιωνος τουτου, κ. τ. λ.

Dictio hæc πιστις Ιησου Χριστου tantumdem valet ac πιστις εις Ιησουν Χριστον, quæ legitur in epistola ad Colossenses Cap. II. Patet hoc ex ratione loquendi, qua usus est Apostolus in epistola ad Galatas (Cap. II.): *Scientes autem,*

inquit, *quod non justificatur homo ex operibus legis, nisi* (sed tantum) *per fidem Jesu Christi* (*δια πιστεως Ιησου Χριστου*), *et nos in Christo Jesu credimus* (*εις Χριστον Ιησουν επιστευσαμεν*) *ut justificemur ex fide Christi* (*εκ πιστεως Χριστου*). Conficitur hinc Genitivum *Ιήσου Χριστου* in dictione *πιστις Ιησου Χριστου* esse Genitivum *Objecti*.

« Dicitur autem *justitia Dei* esse *per fidem* Jesu Christi, non ut quasi per fidem mereamur justificari, quasi ipsa fides ex nobis exsistat et per eam mereamur Dei justitiam, sicut Pelagiani dixerunt; sed quia in ipsa justificatione qua justificamur a Deo, primus motus mentis in Deum est per fidem. Unde ipsa fides quasi prima pars justitiæ est nobis a Deo. » Ita S. Thomas ad h. l. — *Gratiâ*, inquit Apostolus (Ephes. Cap. II. 8. 9), *estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis; Dei enim donum est; non ex operibus, ne quis glorietur.* Ad pleniorem hujus loci intelligentiam, recolenda sunt quæ notavimus supra ad Cap. I. 17, et quæ dicturi sumus infrà ad ℣. 28.

in omnes et super omnes qui credunt in eum) Græcè *εις παντας και επι παντας*, quâ emphaticâ ratione loquendi docetur *την δικαιοσυνην Θεου* esse *prorsus universalem*, et ad homines cujuscumque nationis pertinere. Ceterum ad Syntaxin verborum quod attinet, non sunt illæ voces *εις παντας και επι παντας* jungendæ cum verbo *πεφανερωται* ex præcedenti versiculo mente repetendo, quod nonnemo voluit; neque enim Pauli mens fuit dicere, illam Dei justitiam *esse manifestatam omnibus credentibus*, sed manifestatum fuisse per evangelicam prædicationem obtineri posse Dei justitiam per fidem eamque offerri credentibus in Jesum Christum quibuscumque. Igitur, meâ quidem sententiâ, voces *εις παντας και επι παντας* jungendæ sunt cum præcedentibus omnibus istis: *δικαιοσυνη δε Θεου δια πιστεως Ιησου Χριστου*, post quas suppleri possit Participium *ουσα*, *quæ sit.* Ambæ Præpositiones illæ, *εις* et *επι*, mihi videntur in hac oratione positæ esse pro Dativis *Commodi*; quam notionem *εις* quidem habet in loco parallelo (Cap. X. 12): *ου γαρ εστι διαστολη Ιουδαιου τε και Ἑλληνος· ὁ γαρ αυτος κυριος παντων, πλουτῶν εις παντας τους επικαλουμενους αυτον. Επι* autem hac significatione legitur infrà (Cap. IX. 23): *Ἱνα γνωριση τον πλουτον της δοξης αὑτου επι σκευη ελεους*. Subtilius quam verius Cornelius a Lapide [1]: « *In omnes*, inquit, significat universalitatem et diffusionem justitiæ, quod scilicet justitia hæc offeratur et diffundatur in omnes homines, qui credunt in Christum; *super omnes* significat sublimitatem justitiæ, quod scilicet illa supra naturæ vires et merita, desuper e cœlo homini infundatur. »

---

(1) Cor. a Lapide in Commentario in Ep. ad Romanos ad h. l.

℣. 23—26. Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei. 24 Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu, 25 quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ propter remissionem præcedentium delictorum 26 in sustentatione Dei, ad ostensionem justitiæ ejus in hoc tempore: ut sit ipse justus, et justificans eum, qui est ex fide Jesu Christi.

℣. 23—26. Πάντες γὰρ ἥμαρτον καὶ ὑστεροῦνται τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ, 24 δικαιούμενοι δωρεὰν τῇ αὐτοῦ χάριτι διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ· 25 ὃν προέθετο ὁ Θεὸς ἱλαστήριον διὰ τῆς πίστεως ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι, εἰς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ, διὰ τὴν πάρεσιν τῶν προγεγονότων ἁμαρτημάτων 26 ἐν τῇ ἀνοχῇ τοῦ Θεοῦ· πρὸς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ ἐν τῷ νῦν καιρῷ, εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν δίκαιον, καὶ δικαιοῦντα τὸν ἐκ πίστεως Ἰησοῦ.

Paraphrasis. Omnes enim peccaverunt, tam Judæi quam Gentiles, gloriâque illâ, quæ a Deo detur, carent; justificantur autem non ullo suo merito sed gratis, gratuitâ Dei bonitate per redemtionem illam quæ peracta est in persona Jesu Christi, quem Deus hominibus, qui fidem habere illi voluerint, in victimam ipsiusmet sanguinis effusione piacularem proposuit; idque ad ostendendam suam sanctitatem peccata exosam, eo quòd peccata ante patrata in sua longanimitate impunita reliquerat; ad ostendendam suam sanctitatem hoc nunc tempore, idque ut et ipse agnosceretur sanctus, et sanctificaret quotquot fidem Jesu Christo haberent.

℣. 23. *Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei).* Rationem (γαρ) exponit cur, nullo populorum discrimine, *justitia Dei* sit *in omnes et super omnes* (pour tous), omnibus offeratur. Ratio autem est, quia *omnes*, tam Judæi quam Gentiles, *peccaverunt*, adeòque pariter *carent* (ὑστερουνται. Med.) *gloriâ illâ quæ detur a Deo* (της δοξης του Θεου).

Ἡ δοξα του Θεου intelligitur gloria illa quam habet qui justificatus est *ex fide*. Talis a Deo probatur, eaque approbatio approbati *gloria* est quæ illi obtingit *a Deo*, quam illi dat Deus. Itaque Genitivus του Θεου est *Genitivus Originis*, Pro ἡ δοξη του Θεου scribi potuisset ἡ δοξα παρα Θεου. S. Joannes utrumque scripsit eodem sensu. Cf. Joh. V. 44 et XII. 43. Ad rem ipsam quod attinet, *gloria Dei* hic tantumdem est ac *justitia Dei* (δικαιοσυνη Θεου), ut ex contexta oratione colligitur.

℣. 24. *Justificati gratis per gratiam ipsius.)* Pro *justificati* Græcè est Participium Præsentis δικαιουμενοι, Belgicè *geregtvaardigd wordende*; sed Participii loco poni potest verbum Finitum: *et justificantur*. Describitur autem hic (℣. 26 et 26) justificatio per varias ejus causas; et præmittitur, justificando justificationem obtingere *gratis*, Græcè δωρεαν, quo Adverbio (vel Accusativo adverbiascente) significatur, justificando obtingere justificationem ad modum doni prorsus gratuiti; quod et Tridentina

Synodus (Sess. VI. Cap. VIII) his verbis docuit : « Gratis *justificari*, inquit, *ideò dicimur, quia nihil eorum quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationem promerentur.* » Itaque justificatio donum est prorsùs gratuitum , adeòque indebitum tam ex parte justificantis Dei quam ex parte justificandi hominis. Atque hæc constans est sanctorum Patrum de justificatione doctrina ; quorum plura hanc in rem testimonia collegit Andreas Vega (*De Justificatione* Lib. VIII. Cap. IV. sq.). Quod si Patres nonnumquam etiam asseruerunt *peccatores mereri suam justificationem* , non ideò pugnantia locutos fuisse Vega quoque luculenter docet (ibid. Cap. VI sqq.). « Quamquam autem, inquit, doctores antiqui semper contra Pelagianos statuerunt, gratiam justificationis non dari secundum merita , iidem tamen agentes cum Catholicis , nonnumquam asseruerunt , fide, eleëmosyna , pœnitentia , oratione , et aliis bonis operibus ex dono Dei habitis , mereri peccatores suam justificationem.... Verum sancti doctores concedentes hoc peccatoribus , non de merito *ex condigno* loquebantur (*sed de merito ex congruo*). Longissime illi a Pelagio distabant. Et minimum meritum , ad quod eorum verba referri queant , meritum est *ex congruo*. Et si quam difficultatem aut contrarietatem ad gratiam ingerere aut insinuare videtur verbum *meritum*, eam omnem emollit et temperat, imò in totum aufert adjecta particula *ex congruo*. Ad meritum quidem *ex condigno* , et dignitas requiritur operantis , et lex statuta de concessione præmii sibi respondentis ; sed ad meritum *ex congruo* alterutrum horum satis est. Nam nomine meriti *ex congruo* , tantum intelligimus actionem aliquam liberam , cui congruum sit et par , respondere aliquod meritum. »

« Et quia hæc congruentia contingere potest vel propter dignitatem operis seu operantis, vel propter legem a Deo statutam de concessione alicujus præmii, duplex quoque creditur esse meritum *ex congruo* respectu justificationis. Merentur primò *ex congruo* justi conversionem peccatorum pro quibus orant , quia amici sunt Dei neque indigni ut eorum orationes exaudiantur, quamvis nulla certa sit lex de hoc præscripta. Peccatores verò secundo modo , si se in Deum convertant , mereri possunt suam justificationem *ex congruo* ; quia licet digni tanto beneficio non sint , tamen lex est a Deo de hoc statuta. Apertè quippe per Ezechielem ait : *Impietas impii non nocebit ei , in quâcumque die conversus fuerit ab impietate sua.* Et alibi : *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos.....* Cur quemquam offendat verbum , *meritum ex congruo* , non adipiscor. Equidem neque gratuitæ justificationi repugnat , neque dissonat. Si enim vim ipsam nominis spectes , neque justitiam , neque debitum simpliciter aut necessitatem requirit , sed tantum congruitatem quamdam notat. Et cum dicimus aliquod opus meritorium esse *ex congruo* alicujus præmii , solùm significamus ejusmodi opus illud esse , ut *ex congruo* ei reddatur tale præmium. Numquid igitur negare possumus, congruum esse, Deum recipere peccatores

---

(1) Probè notandum est, Vegam loqui de bonis operibus ordinis non *naturalis* sed *supernaturalis*.

confugientes ad se, et conversionem eorum sua gratia remunerare? Nonne hoc eximiam ejus bonitatem et divitias suæ misericordiæ condecet? Nonne congruum est, ut servet suas leges, ut impleat promissa sua, ut creaturam non despiciat, quam fragilem et imbecillem ad virtutem creavit? »

per redemptionem quæ est in Christo Jesu, per gratiam ipsius). Græcè τη αυτου χαριτι, in Dativo *causæ*. Intelligitur autem hoc loco *Dei gratia* Dei erga homines *benevolentia*, quâ nihil tale merentibus hunc favorem præstitit, ut Filium suum unigenitum ipsis daret redemptorem. Quam Dei *gratiam* extollit S. Joannes, ubi dicit (Cap. III. 16): *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret; ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam;* et alibi (I. Joh. IV. 9): *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum;* et Paulus (Ephes. II. 4): *Deus autem*, inquit, *qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos, et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in* Christo. Observandum est, quemadmodum in his Scripturæ locis *Dei charitas* memoratur ut conspicua in Missione Filii sui unigeniti, ita quoque in loco Paulino, de quo agimus, uno sermonis tenore dici: *per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in* Christo Jesu.

Pronomen αυτου in dictione τη αυτου χαριτι non sine emphasi ante χαριτι positum est; quare maluerim Interpres noster scripsisset *per ipsius gratiam*. Eadem emphasis in positione Pronominis observanda est in loco parallelo isto (Tit. III. 5): *Non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam* (κατα το αυτου ελεος [1]) *salvos nos fecit*.

per redemptionem) Græcè δια της απολυτρωσεως. Quod dixerat Apostolus *per ipsius gratiam*, eo assignaverat *efficientem* Justificationis causam; quod verò nunc addit *per redemptionem quæ est in* Christo Jesu, eo assignat Justificationis causam *meritoriam*.

Λυτρον (a λυω *solvo*) propriè est *solutionis pretium* (Cf. Matth. XX. 28. Marc. X. 45); et Denominativum λυτροω est *dato pretio solvo;* Compositum autem απολυτροω idem notat; itaque derivata hinc vox απολυτρωσις propriè significat *solutionem* sive *liberationem quæ facta sit soluto pretio*. Λυτρον illud sive *solutionis pretium* est effusus Christi sanguis, ut docet Apostolorum princeps (1 Petr. I. 18): *Non corruptibilibus auro et argento*, inquit, *redempti estis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati* Christi *et incontaminati*; et Paulus (Ephes. II. 13): *Vos*, ait, *qui aliquando eratis longè, facti estis prope in sanguine* Christi; et alibi (1 Cor. VI. 20): *Empti estis pretio magno*. Cf. etiam Ephes. I. 7, et Coloss. I. 14. Atque hoc redemptionis pretium hic cogitavit Apostolus cum scriberet δια της απολυτρωσεως της εν Χριστω

(1) Legendum est non ελεον sed ελεος ex præstantissimorum Codicum auctoritate.

Ιησου, ubi per voces *της εν Χριστῳ Ιησου* scil. *γενομένης*, significatur, illam *απολυτρωσιν* peractam esse *in* (*εν*) persona Jesu Christi; nempe per mortem ejus *expiatoriam*[1], ut hic pergit dicere Apostolus.

ỷ. 25. *quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius*) Sunt qui vocem *προεθετο* (Vulg. *proposuit*) referunt ad æternum Dei decretum de redimendo genere humano (cf. Ephes. I. 9.— 1 Petr. 1. 20), ut adeò *προεθετο* hic valeat *præconstituit;* at si hoc sibi voluisset Apostolus, scripsisset, opinor, *ὁν προεθετο ειναι ἱλαστηριον*, ut Rom. XIV. 14 et 2 Cor. VII. 11. Ad hæc, contexta oratio (*propter remissionem præcedentium delictorum*) postulat ut cogitemus victimam piacularem (*ἱλαστηριυν*) non ex decreto Dei aliquando offerendam, sed reapse jam oblatam[2]. Itaque Wahlius (in *Clavi* N. T. ad vocem *προτιθημι*) verba *ὁν προεθετο* non rectè reddidit *quem destinavit* vel *esse voluit.* Rectè autem interpres noster *προεθετο* (Aor. 2 Med.) Latinè vertit *proposuit*, i. e. hominibus palam exhibuit in victimam propitiatoriam, cujus *propitiationis participes* essent per fidem Jesu Christo habendam.

propitiationem) Græce est *ἱλαστηριον*, quam vocem de *victima piaculari* adhibuerunt Dio Chrysost. Orat. XI. 1. 355, Nonnus *Dionys.* Lib. XIII. p. 382 (apud Fritschium ad h. l.); et Hesychius *ἱλαστηριον* interpretatur *καθαρσιον*. Simili modo *σωτηριον* Septuaginta vocarunt (Exod. X. 24) *sacrificium pacificum*, et Æliano (*Var. Hist.* Lib. XII. 1) *χαριστηριον* est *sacrificium eucharisticum.* Nec aliter S. Chrysostomus (Hom. VII. in ep. ad. Rom.) vocem *ἱλαστηριον* intellexisse videtur; nam *ἱλαστηριον* quod hic dicitur, confert tamquam *antitypum* cum propitiatoriis legis Mosaicæ sacrificiis, quæ quidem *typum* vocat cruenti novæ Legis sacrificii. Ambigendum non est, meâ quidem sententiâ quin *ἱλαστηριον* reddendum sit *victimam piacularem.*— Scio esse interpretes qui *ἱλαστηριον* intelligunt arcæ *propitiatorium*, a LXX (Exod. XXV. 17) dictum *ἱλαστηριον*, quod typum gessit Christi futuri propitiatoris; ut Paulus dicere voluerit: *Pro vetere typico propiatorio dedit jam Deus antitypum, verum propitiatorium, ipsum scilicet* Christum. Sed, ut alia taceam quæ hanc interpretationem efficiant minime probabilem, si Paulus hic loqui voluisset de Christo ut *anti-*

---

(1) De morte Christi *expiatoria* et *vicariâ* præclare scripsit Perrone. *De Incarn.* P. 2. Cap. VI.

(2) Benè Card. Toletus (ad h. l.): Verbum *προτιθεναι*, inquit, Origenes, Chrysostomus et Anselmus) *Pseudo*-Anselmus; *nam* Hervæus *auctor est Commentarii in Ep. ad Romanos qui sub* Anselmi *nomine fertur)* Græcam præpositionem (*προ* in Composito *προεθετο*) considerantes interpretantur *prius et ab antiquo decrevit et ordinavit;*..... sed loquitur Paulus de re jam facta et propitiatione exhibita;... Quamvis enim verum sit Deum ab æterno id decrevisse et antequam fieret mysterium revelasse, et Christum secundum carnem propitiatorem futurum multum ante per fidem demonstrasse, ejusque virtutem ad priores diffusam fuisse, tamen Paulus nunc loquitur de jam exhibita propitiatione et de Christo jam præsente, quem Pater exhibuit et posuit redemptorem omnium per fidem in sanguine suo. »

typo veteris *propitiatorii*, debuisset, ut intelligi posset, scripsisse ὃν προέθετο ὁ Θεὸς τὸ ἀληθὲς ἱλαστήριον, vel saltem, addito Articulo, τὸ ἱλαστήριον.

per fidem) Arctè hæc pars cohæret cum præcedenti voce ἱλαστήριον, nam quod dicitur *per fidem* (διὰ τῆς πίστεως), eo significatur Justificationis *causa* veluti *instrumentalis* vel potius *conditio sine qua non* ex parte hominum, ut qui *per fidem* Jesu Christo habitam participes fiant propiatiatricis (τοῦ ἱλαστηρίου) illius victimæ quam Deus illis proposuit.

in sanguine ipsius) Græce ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι, ubi quum Pronomen Substantivo non sine emphasi præponatur, malim reddere *in ipsiusmet sanguine*. Et jam ob hanc rationem non probaverim interpretationem illorum qui voces istas, ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι, conjungere velint cum præcedentibus διὰ τῆς πίστεως, ut sensus sit: *per fidem sanguini ejus habitam;* quod deinde sic exponunt ut valeat *per fidem habitam* Jesu Christo, *qui sanguinem suum effudit.* Nam si hoc sibi voluisset Paulus, nulla ratio apparet emphaseos illius, quâ αὐτοῦ hic ante αἵματι collocavit. Sed et si negaveris ullam heic esse emphasim, nihilominus tamen interpretationem illam improbaverim, non tam eo quòd non scribitur, adhibitâ Præpositione εἰς et repetito Articulo, τῆς εἰς τὸ αὐτοῦ αἷμα, quam potius et maximè ideo quòd absonum sit dicere *fidem præstare sanguini cujuspiam.* Quod si dicas: atqui *sanguis* hic intelligitur Christus *sanguinem suum effundens;* repono Paulum non scripsisse *in* Christo *sanguinem* effundente, sed scripsisse *in* sanguine *ipsius*. Itaque dixerim, tam διὰ τῆς πίστεως quam ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι, utrumque pendere ab ὃν προέθετο ἱλαστήριον, ita nempè ut Deus hic dicatur Christum hominibus, qui fidem illi habere voluerint, exhibuisse in victimam ipsiusmet sanguinis effusione piacularem. Secundum quam interpretationem Christus sit *victima* in se *piacularis* (ἱλαστήριον) *per* (ἐν instrumenti) *suimet sanguinis effusionem* (τῷ αὐτοῦ αἵματι), et hominibus *piacularis per fidem* (διὰ τῆς πίστεως) quam illi habeant. Atque hoc modo jam Cardinalis Toletus mihi videtur hunc locum intellexisse; nam ad illa verba hæc notat: *Distinxit*, inquit, Paulus *particulas* in sanguine *et* per fidem, *ut significaret non eodem modo ad nostram justitiam operandam utrumque convenire;* sanguis *enim est qui efficit et cujus virtus operatur,* fides *verò medium quoddam est, per quod operatur in credente.* Commendat quoque hanc interpretationem locus parallelus iste (Cap. V. 89): *Quum adhuc peccatores essemus, secundum tempus* Christus *pro nobis mortuus est: multo igitur magis nunc* justificati in sanguine ipsius (ἐν τῷ αἵματι αὐτοῦ) *salvi erimus ab ira per ipsum.*

ad ostensionem justitiæ suæ). Hac parte indicatur *finis ob quem* Deus, quod ad se attinet, Christum hominibus exhibuit in victimam ipsiusmet sanguinis effusione piacularem. Igitur *justitia* (ἡ δικαιοσύνη) Dei hic intelligitur ejusdem *rectitudo* sive *sanctitas* (Cf. Apoc. XVI. 5), qua fit ut summo odio prosequatur peccatum. Atque ita vocem

justitia hic interpretantur S. CHRYSOSTOMUS[1] et THEOPHYLACTUS[2]; ex recentioribus vero SALMERON[3] aliique nonnulli[4]; eamque interpretationem omnino postulare mihi videtur id quod sequitur : (℣. 26) *ut sit ipse justus et justificans eum, qui est ex fide* JESU CHRISTI.

Integri hujus loci sensum hunc esse putaverim : *Deus* JESUM CHRISTUM *hominibus sub conditione fidei illi præstandæ proposuit in victimam piacularem ad expianda eorum peccata, cujus expiationis pretium esse voluit effusum proprii filii sui sanguinem; ut severâ hac agendi ratione*[5] *palam faceret mundo suam peccata maxime exosam sanctitatem* (*quæ quidem mundo ostendenda erat eo quòd* (*δια* cum Acc.) *peccata hactenùs patrata in sua longanimitate* (*εν τῃ ανοχῃ Θεου*) *impunita reliquerat*), *ut suam, inquam, sanctitatem ostenderet Deus, hoc nunc tempore* JESUM CHRISTUM *hominibus in victimam piacularem proposuit* (*προεθετο* Med.) *in eum finem ut et ipse agnosceretur esse sanctus, osor peccati, et sanctificaret quotquot* JESU CHRISTO *fidem haberent*.

propter remissionem). Græcè *δια την παρεσιν*, quod vertendum erat *propter prætermissionem* sive *neglectionem*. Neque enim hic legitur vox *αφεσις* quæ *remissionem* sive *condonationem* notat, sed *παρεσις*, quæ a *παριημι* derivata de *prætermittendo negligendove* dicitur. In libris Novi Testamenti vox *αφεσις*, quæ *remissionem* sive *condonationem peccatorum* significat, sexdecies occurrit et ab uno PAULO sexies[6] fuit adhibita. Si ergo Apostolus hic loqui voluisset de *remissione* peccatorum, quidni, pro more, scripsisset *δια την αφεσιν*? Sed ipsa quoque contexta oratio obstat quominus voci *παρεσις* notionem *remittendi* tribuamus. Nam *παρεσις* illa dicitur esse facta *εν τῃ ανοχῃ του Θεου in longanimitate* (Vulg. in sustentatione) *Dei*; atqui *longanimitati* non recte tribuitur *remissio* peccatorum quum hæc misericordiæ conveniat; sed recte *longanimitati* tribuitur peccatorum *prætermissio* sive tolerantia ac veluti neglectio.

præcedentium delictorum). Puta illorum de quibus modò (℣. 23) dixerat *omnes*

---

(1) S. CHRYS. Hom. VII. in Ep. ad Rom. Δικαιοσυνης ενδειξις, το μη μονον αυτον ειναι δικαιον, αλλα και το ἑτερους εν ἁμαρτιαις κατασαπεντας εξαιφνης δικαιους ποιειν· h. e. *Ostensio justitiæ est quod non solus ipse sit justus, sed etiam alios in peccatis corruptos statim justos faciat.*

(2) Ad h. l. (3) Disputat. XXVII. in Ep. ad. Rom.

(4) v. g. Dr. REITHMAYR (*Commentar zum Briefe an die Römer.* Regensburg. 1845. ad h. l.) « *Die Worterklärung anlangend*, inquit, *so ist* δικαιοσυνην αυτου *wie* ℣. 21 *zu fassen*, — *die Gerechtigkeit im moralischen Sinne, welche unter einer anderen Benennung* als HEILIGKEIT, *die das Gute liebt und das Böse hasst, Gott immanent innewohnt, durch Gnade aber auch dem Menschen mitgetheilt wird.* » *Justitia, id est rectitudo Dei in hoc maximè declaratur quod usque adeo odit peccatum, ut ejus delendi gratiâ filium suum miserit in mundum atque in mortem tradiderit.* ESTIUS ad Cap. III. 26.

(5) « *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.* 2 Cor. V. 21.

(6) Act. XIII. 38. XXVI. 18. Ephes. I. 7; Coloss. I. 14. Hebr. IX. 22. X. 18.

peccaverunt; intelliguntur ergo peccata sive Judæorum sive Gentilium *ante adventum* Christi (των προγεγονοτων) commissa. Quæ peccata Deus *in sua longanimitate* (εν τη ανοχη) hactenus toleraverat[1], non denuò, ut Noachi diebus, aquarum diluvio aut simili clade homines perdendo.

in sustentatione Dei). Græcè εν τη ανοχη του Θεου, ubi observandum est, loco Pronominis αυτου ex Hebraismo repetitum esse ipsum Nomen (του Θεου). De ανοχη diximus suprà ad Cap. II. 4. Præpositio εν hoc loco adhibetur de *statu* sive *conditione in* (εν) *qua quis positus cogitatur agens aut patiens aliquid*. Ceterum illud εν τη ανοχη του Θεου pendet a παρεσις των προγεγονοτων ἁμαρτηματων.

ad ostensionem justitiæ ejus in hoc tempore). *Epanalepsis* est superioris (℣. 25) sententiæ εις ενδειξιν της δικαιοσυνης, sed hic scripsit προς ενδειξιν, eodem tamen sensu, sicut et alibi (Ephes. IV. 12) Præpositiones εις et προς eodem sensu adhibitæ leguntur. Quod jam addit Apostolus εν τῳ νυν καιρῳ, illud *opponitur* præteriti temporis παρεσει (℣. 25); intelligitur autem tempus illud, quo Deo placuit *non parcere proprio Filio suo, sed pro nobis omnibus tradere illum in mortem* (Rom. V. 8 VIII. 32).

ut sit ipse justus et justificans eum, qui est ex fide Jesu Christi.) His verbis exprimitur *causa finalis* (εις το ειναι) ob quem Deus προεθετο Ιησουν Χριστουν ἱλαστηριον εν τῳ αυτου αἱματι. Et hæc quidem causa duplex fuit: *una*, ut per proprium filium ob delendum peccatum in mortem traditum *ipse* mundo *appareret sanctus, osor peccati* (εις το ειναι[2] αυτον δικαιον); *altera*, ut *remissis peccatis, sanctos rectosque faceret* (και δικαιουντα) quotquot Jesu Christo fidem haberent.— Articulus in dictione τον εκ πιστεως Ιησου demonstrat *hoc hominum genus*, ut supra p. 87. Locutio ὁ εκ πιστεως sumenda ut ὁ εκ εριθειας, de qua videsis quæ notavimus ad Cap. II. 8.

℣. 27—30. Ubi est ergo gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? Factorum? Non: sed per legem fidei. 28 Arbitramur enim

℣. 27—30. *Ποῦ οὖν ἡ καύχησις*[a]; *ἐξεκλείσθη· Διὰ ποίου νόμου; τῶν ἔργων; οὐχί, ἀλλὰ διὰ νόμου πίστεως.* 28

Paraphrasis. Quæ quum ita sint, dic, Judæe, ubinam manet jam tua gloriatio? Nempè exclusa est, nullusque illi amplius relictus locus. Per quam verò legem exclusa

---

(1) Theodoretus (in Ep. ad Rom. ad h. l.): Την αγαθοτητα την οικειαν εδειξεν ὁ Θεος επι πλειστον μακροθυμησας τοις ανθρωποις παρανομουσι. h. c. *Bonitatem suam ostendit Deus diuturna utens patientia erga homines delinquentes.*

(2) Ειναι sumendum est *logicè*, ut γενηται et γενεσθω supra ℣. 4 et 19.

justificari hominem per fidem sine operibus legis. 29 An Judæorum Deus tantum? nonne et Gentium? Imo et Gentium. 30 quoniam quidem unus est Deus, qui justificat circumcisionem ex fide, et præputium per fidem.

Λογιζόμεθα οὖν [b], πίστει δικαιοῦσθαι ἄνθρωπον, χωρὶς ἔργων νόμου. 29 Ἢ Ἰουδαίων ὁ Θεὸς μόνον; οὐχὶ δὲ [c] καὶ ἐθνῶν; ναὶ, καὶ ἐθνῶν, 30 ἐπείπερ εἷς ὁ Θεὸς, ὃς δικαιώσει περιτομὴν ἐκ πίστεως, καὶ ἀκροβυστίαν διὰ τῆς πίστεως.

est? Num per legem operum? Minime, sed per legem fidei. Censemus ergo, id quod res est, per fidem justificari hominem, nullâ operum legis ratione habitâ. Aut num forte Deus est Judæorum tantum Deus? Nonne et Gentilium Deus est? Profectò, etiam Gentilium Deus est, quandoquidem unus est Deus, qui igitur per fidem justificabit tam Judæos quam Gentiles.

VARIANS LECTIO.

a) Post καυχησις legitur σου in Codd. FG.

b) Pro ουν legitur γαρ in Codd. AD*FG et nonnullis Minusculis; eamque lectionem exhibent quoque nonnullæ versiones antiquæ; sed pro lectione ουν major stat numerus testium; nam ουν legitur in Codd. BCD***JK, in plurimis Minusculis, et in Syriaca (ܗܟܝܠ) aliisque versionibus. Tischendorfius edidit ουν.

c) Vocula δε non legitur in ABCDFGK, ut nec in multis Minusculis. Delenda est.

℣. 27. *Ubi est ergo gloriatio tua? Exclusa est.*) In præcedentibus (℣. 24—26) Apostolus declaverat Justificationem homini obtingere *ad modum doni prorsùs gratuiti* (δωρεαν) *ex gratuita Dei bonitate* (τῃ αυτου χαριτι); indeque jam *infert* (ουν), nullum ergo Judæo relictum esse locum gloriandi tanquam qui ex præstitis legis Moralis operibus justificationis gratiam sibi comparasset; quum etiam si legem illam observasset, quod non fecit (℣. 23), ne sic quidem comparare sibi potuisset justificationis gratiam, utpote quæ omninò non possit mereri sed donum Dei sit prorsùs gratuitum.

Igitur Apostolus Judæo veluti irridens exclamat: *Ubinam ergo est tua gloriatio?* Græcè καυχησις, quod *de actu gloriandi* dicitur. Gallicè hic dixeris: *ou reste maintenant ta vanterie?* Et subjicit: *exclusa est*, εξεκλεισθη, quod hic tantumdum valet ac si tu Gallice dicas *elle est mise à la porte.*

per quam legem? Factorum? Non: sed per legem fidei). Sensus est: *Per quam*

legem exclusa est gloriatio tua? Num exclusa est per legem factorum? Non! sed exclusa est per legem fidei. Et *legem factorum* (νομον των εργων) vocat legem Mosaicam, quæ, qua talis, tota quanta tantùm erat in jubendo sibi subditis hæc ut facerent illa ne facerent. *Legem* autem *fidei* vocat legem Evangelicam sive Evangelium, *in quo revelatur, a Deo justificari hominem, idque per fidem.* Cf. I. 17. Quæ *ex fide* est justitia, eadem est et χωρις νομου δικαιοσυνη (℣. 21), hoc est ab accepta aut observata lege minime pendens, nullumque adeò locum relinquit *gloriationi* (τη καυχησει), quum ita fuerit prorsus *exclusa* (εξεκλεισθη).

℣. 28 *Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine operibus legis*). Si hic legas γαρ (enim), quæ lectio graves habet testes [1], versiculus hic confirmet aut explicet superiorem (℣. 27) sententiam, qua dictum fuerat *gloriationem excludi per legem Evangelicam;* et ratio patet; nam *justificari per fidem sine operibus legis* est justificari nullâ talium operum ratione habitâ. Sin verò hic mavis legere ουν vertendum sit *censemus ergo*, et fiat collectio ex præmissis (℣. 21—27). Ceterum, λογιζεσθαι hic non de opinione incerta sed de certa scientia sumenda est, ut infra Cap. VIII. 18.

Sermo autem est de *primâ* justificatione, de eâ, inquam, quâ homo *ex* INJUSTO *fit justus et ex inimico amicus* [2]; nec de aliâ justificatione toto hoc capite agitur. Cujus justificationis *causa* nullo modo sunt *opera legis*, hoc est, opera quævis moraliter bona hanc justificationem præcedentia, quum vi justificandi aut justificationem promerendi careant; sed justificatur homo *per fidem*; quod quo sensu catholice intelligendum sit, supra (p. 25—28) diligenter explicavimus.

Quamquam vero Apostolus hic loquitur de operibus legis Mosaicæ quum nunc ageret contra Judæos, tamen mens ejus fuit absolute negare aliquo opere, quocumque tandem, sive legis positivæ sive legis naturalis, ab homine promereri posse justificationis gratiam. Quare et ad Ethnico-christianos scribens eamdem de justificatione prorsus gratuita doctrinam pandit. Sic ad Ephesios (Cap. II. 8. 9) : *Gratia*, inquit, *estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis, Dei enim donum est; non ex operibus, ut ne quis glorietur.*

Operæ pretium fuerit hic recitasse quæ de præsenti loco Apostoli scripsit S. AUGUSTINUS (Lib. *Octoginta trium quæstionum*. q. 76) : « Prædicans PAULUS, inquit, *justificari hominem per fidem sine operibus*, non bene intellectus est ab eis, qui sic acceperunt dictum Apostoli, ut putarent, cum semel in CHRISTUM credidissent, etiamsi deinde male operarentur, se tamen salvos esse posse per fidem. Sed PAULUS affirmans *hominem justificari per fidem sine operibus*, noluit dicere, si quis jam crediderit non pertinere ad eum benè operari; verùm ad id potius sententiam illam pronuntiavit, ut nemo meritis priorum operum suorum arbitraretur se pervenisse ad donum justificationis, quæ est per fidem. Ob hoc enim maxime Gentibus in Christum credentibus se Judæi præferri cupiebant, quod dicerent se meritis

(1) Vid. Lect. var.

(2) Cf dicta supra ad Cap. 1. ℣. 17.

bonorum operum, quæ in lege sunt, ad Evangelicam gratiam pervenisse; ideòque scandalizabantur multi eorum jam credentes in Christum, quod incircumcisis Gentibus Christi gratia traderetur. Unde Paulus dixit hominem *sine operibus* præcedentibus *justificari per fidem;* nam justificatus jam per fidem *debet juste deinceps operari*, licet nihil justè operatus nec merito suorum operum, sed gratiâ Dei ad fidei justificationem pervenerit. Unde manifestum est, quod Paulus dixit *hominem justificari per fidem sine operibus*, non ita esse intelligendum, ut acceptâ fide, si vixerit, dicamus eum justum, etiamsi male vixerit. Nam si cum credidit, mox de hac vita discedat, justificatio fidei manet cum illo sine ullis bonis operibus: nec *præcedentibus*, quia non illorum merito sed Dei gratia pervenit ad justificationem, nec *consequentibus*, quia in hac vita esse non sinitur. »

Deinde ostendens Paulum et Jacobum non docuisse contraria de Justificatione, ita dicere pergit S. Doctor (ibid.): « Paulus ad confirmandam sententiam suam usus est (in Ep. ad Rom. Cap. II) exemplo Abrahæ, qui sine operibus legis, quam non acceperat, per fidem justificatus est: et Jacobus quia fidem Abrahæ opera bona consecuta esse demonstrat, satis ostendit quomodo intelligendum sit quòd Paulus dixit, *hominem justificari sine operibus*. Nam qui putant sententias istas Pauli et Jacobi pugnare inter se, ii possunt etiam arbitrari Paulum ipsum sibi esse contrarium, quippe qui alio loco dicit: *In* Christo Jesu *neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ per charitatem operatur.* Non igitur contraria docent Paulus et Jacobus, cum ille dicit *justificari hominem sine operibus*, et hic dicit, *inanem esse fidem sine operibus*: quoniam ille loquitur de operibus quæ fidem præcedunt, hic autem de operibus quæ fidem sequuntur, quo etiam modo ipse Paulus multis locis loquitur. »

℣. 29. *An Judæorum Deus tantùm? nonne et Gentium? Imo et Gentium).* In antegresso versiculo Apostolus cum dixisset per fidem *hominem justificari*, significanter addiderat χωρις εργων νομου, h. e. *nullâ ratione habitâ operum legis Mosaicæ*, quod ita esse nunc probat ex eo, quòd Deus non Judæorum tantummodo sed etiam Gentilium Deus sit. Hinc enim consequebatur, non posse Justificationem pendere ex operibus legis Mosaicæ; nam quum hæc lex data fuisset solis Judæis, non autem ceteris etiam Gentibus, jam Deus Judæorum tantum Deus videretur ceteræque Gentes omnes dicendæ forent ab illius providentia exclusæ. — Hanc verò argumentationem per interrogationem proponit ita: *Aut num forte* (ἤ) *Deus Judæorum tantummodo Deus est? nonne et Gentilium Deus est? Profectò, etiam Gentilium Deus est.* Ex subjecto ὁ Θεος sumendum est Prædicatum Θεος, ut plena phrasis sit: Ἤ Θεος Ιουδαιων μονον ὁ Θεος scil. εστι. De vocula μονον hic posita non suo loco, vide quæ diximus in commentario ad Philipp. II. 22 (pag. 72 in Edit. 2ª).

℣. 30. *quoniam quidem unus est Deus*, etc.) Confirmat quod dixerat: *Deus etiam Gentilium Deus est.* Sensus est: Profectò Deus etiam Gentilium Deus est *quandoquidem*

(επειπερ) Deus est (εἷς) *unus*, adeòque idem omnium Deus sit necesse est.[1] — Quæ jam sequitur sententia *relativa* ὅς δικαιωσει etc., ea continet *consequentiam* ductam ex præmissis. Puta ita dictum esse : *qui* (quum sit unus omnium Deus) *igitur justificabit* (δικαιωσει) *per fidem tam Judæos quam Gentiles.*

Δικαιωσει, Futurum est *de re quæ ut jam fit ita porrò quoque fiet.* *Περιτομη* et *ακροβυστια* Metonymice *de Judæis et Gentilibus*. Vide supra, Cap. II. 26. Præpositiones *εκ* et *δια* sensu hic non differunt. Articulus ante *πιστεως* ex æquo poterat et scribi et omitti.

℣. 31 ad sequens Caput pertinet.

---

(1) Card. Toletus (ad h. l.) : « Probat, *inquit*, justitiam generalem et communem esse debere; ideò per fidem non autem per legem ; nam Deus unus est omnium, Judæorum et Gentium : non ergo ejus justitia intra Judæos concludi debuit; nec privandæ erant gentes, in quibus multæ sunt nationes copiosiores Judæis ; cum enim justitia sit gratis a Deo, nec Judæis debita, nec Gentibus, omnes enim peccaverunt, non videtur tanta Gentium multitudo excludenda a justitia, quarum etiam Deus est creator, gubernator, et Dominus sicut et Judæorum. »

CAPUT QUARTUM.

Argumentum. *Supra* (*Cap. III.* 21.) *Apostolus obiter significaverat doctrinam de Justificatione* per fidem *et* gratis *obtinenda S. Scripturæ testimoniis comprobari; hic verò nunc, aptâ transitione usus* (*Cap. III.* 31), *dictinctius illud exponit, ex Scripturis docendo* Abrahamum *justificatum fuisse non ex operibus sed* per fidem et gratis (*Cap. IV.* 1—5); *et* gratuitam *esse Justificationem ulterius confirmat adducto loco quopiam ex Psalmo trigesimo primo* (6—8). *Tum*, Abrahæ *iterum exemplo utens, pergit ostendere Justificationem minime pendere a circumcisione carnis; fuisse enim* Abrahamum *justificatum cum esset adhuc præputiatus* (9–10). *Addit verò Apostolus*, Abrahamum *accepisse signum circumcisionis tamquam sigillum confirmatorium justitiæ, quam adeptus fuerat per fidem ab eodem exhibitam cum adhuc esset præputiatus; ideò autem illud signum accepisse ut sic exemplo suæ fidei pater foret omnium credentium tam præputiatorum, quam circumcisorum qui quidem fidem ejus imitarentur.* (11–12). *Patrem autem esse* Abrahamum *non circumcisorum credentium tantùm sed etiam credentium præputiatorum, Apostolus inde probat quòd celebris illius promissionis* Abrahamo *factæ causa exstitisset non* Lex *sed* justitia fidei. (13-17) *Descriptâ porrò* Abrahæ *fide* (18-22), *Apostolus monet, quod scriptum est de* Abrahamo, *nempe* fidem ejus illi reputatam esse ad justitiam, *illud non ipsius tantum causâ scriptum esse, sed etiam nostri causâ, ut in* Abrahamo *haberemus veluti formam nostræ justificationis, et doceremur etiam nobis si credere voluerimus, fidem nostram ad justitiam reputatum iri* (23-25).

Cap. III. ℣. 31. Legem ergo destruimus per fidem? Absit: sed legem statuimus. Cap. IV. ℣. 1—3. QUID ergo dicemus invenisse ABRAHAM patrem nostrum secundum carnem? 2 Si enim ABRAHAM ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum. 3 Quid enim dicit Scriptura? Credidit ABRAHAM Deo: et reputatum est illi ad justitiam.

Cap. III. ℣. 31. Νόμον οὖν καταργοῦμεν διὰ τῆς πίστεως; Μὴ γένοιτο· ἀλλὰ νόμον ἱστῶμεν. Cap. IV. ℣. 1—3. Τί οὖν ἐροῦμεν Ἀβραὰμ τὸν πατέρα ἡμῶν εὑρηκέναι κατὰ σάρκα [a]; 2 Εἰ γὰρ Ἀβραὰμ ἐξ ἔργων ἐδικαιώθη, ἔχει καύχημα, ἀλλ' οὐ πρὸς τὸν Θεόν. 3 Τί γὰρ ἡ γραφὴ λέγει; Ἐπίστευσε δὲ Ἀβραὰμ τῷ Θεῷ, καὶ ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην.

Paraphrasis. Ergò-ne legem subvertimus, quia dicimus *per fidem* haberi justificationem? Absit! e contra legem stabilimus. Igitur, quid-nam meriti quod attinet ad promerendam justificationem dicere possumus ABRAHAMUM patrem nostrum consecutum fuisse secundum carnem? Nihil meriti hac ratione consecutus est, neque hac via fuit justificatus. Nam si ponas ABRAHAMUM justificatum fuisse non gratis sed ex operibus suis, necesse sit ut dicas ABRAHAMUM habere unde glorietur apud Deum; atqui non habet ABRAHAM, Scripturâ teste, unde apud Deum glorietur. Ergo non ex operibus justificatus est. Quid enim dicit Scriptura? Dicit sic: *Credidit* ABRAHAM *Deo, et hæc ejus fides a Deo* IMPUTATA *illi fuit ad justitiam.*

VARIANS LECTIO.

a) In Codd. ACDFG et nonnullis Minusculis voces hujus versiculi leguntur hoc ordine: Τι ουν ερουμεν εὑρηκεναι Ἀβρααμ τον πατερα ἡμων κατα σαρκα. Codices verò BJK et Minusculi quam plurimi cum exhibent verborum ordinem, qui in Complutensi editione cernitur.

(Cap. III. ℣. 31.) *Legem ergo destruimus per fidem?*) Suprà (Cap. III. 21) Apostolus *obiter* significaverat, doctrinam de Justificatione *per fidem et gratis* obtinendâ S. Scripturæ effatis comprobari. Propositum autem illi erat eam rem deinceps deditâ operâ tractare. Hoc igitur nunc (Cap. IV) facturus, sermonem suum illùc flectit, commodâ utens transitione: *Num ex iis quæ de lege et fide hactenùs disputavimus*, inquit, *non consequitur* (οὖν) *nos legem subvertere?* Cui objectationi reponit, tantum abesse ut

legem subvertat *per fidem* (δια της πιστεως), id est, docendo *per fidem* haberi justificationem, — ut contra per ipsam hanc doctrinam legem stabiliat. Sumit autem in hoc responso vocem *lex* ut supra ỳ. 19, eo, inquam, sensu quo *lex* synecdochicè significat universam veteris Testamenti Scripturam. In ipsa verò objectatione vocabulum *lex* ambiguè posuit; certò si non ipse sibi PAULUS sed Judæus quispiam hoc illi objecisset, is quidem *legem* in hac objectatione intellexisset *legem factorum* (νομον των εργων ỳ. 27), i. e. præcepta legis Mosaicæ.

Qui docuerunt ideò PAULUM hic dicere se legem stabilire per fidem, *quia fides impetrat gratiam, qua lex impleatur,* non item docuerunt quonam modo hæc sententia cum præcedentibus et insequentibus cohæreat, neglectâ videlicet serie orationis, re maximi momenti, præsertim in epistolis Paulinis.

Apostolus ergo jam demonstraturus est doctrinam suam de Justificatione *per fidem* habendâ, *legis*, hoc est, S. Scripturæ effatis comprobari, atque ita *legem* est stabiliturus.

De notione vocis καταργειν vide supra ad Cap. III. 3. De Verbi ἱσταω et Compositorum significatione pro variis Temporibus variâ diximus ad Act. Ap. Cap. I. 3.

Cap. IV. 1. *Quid ergo dicemus invenisse Abraham patrem nostrum secundum carnem?)* Particula ουν est hic *transeuntis* ad demonstrandum *stabiliri legem* per doctrinam de fide justificante. Hac potestate ουν legitur quoque 1 Cor. XI. 20. Gallicè hic dixeris : *Donc, que dirons nous qu'Abraham notre Père a obtenu*[1] *selon la chair.* Interrogatio est *negantis*, ut contexta oratio (2—5) demonstrat. Itaque interrogatio illa valet affirmationem hanc : ABRAHAM, quod ad promerendam justificationem attinet, *nihil* consecutus est *secundum carnem.*

Quod dicit τι, id restringi debet ad subjectam materiam. Ergo sensus est : Quid meriti, quod attinet ad promerendam justificationem, ABRAHAM sibi comparavit *secundum carnem* (κατα σαρκα).

Voces κατα σαρκα, sive hanc sive illam lectionem sequaris [2], jungendæ sunt cum εὑρηκεναι. Est autem PAULO hoc loco *secundum carnem* tantumdem ac *per opera,* puta ab ABRAHAMO præstita antequam Deo crederet; quam interpretationem postulat series argumentationis (ỳ. 2) : *si enim* ABRAHAM EX OPERIBUS *justificatus est*, etc.— Si κατα σαρκα sejungas ab εὑρηκεναι, non tantùm *otiosè* ABRAHAM hic dicatur Judæorum pater *carnalis* (κατα σαρκα), verùm etiam *inepta* sit PAULI interrogatio; nam quum interrogatio

---

(1) Hebræis מָצָא *invenit* dicebatur etiam de *consequendo* aliquid; quæ notio ex Hebraismo hoc in Græcitate Novi Testamenti etiam tribuitur verbo εὑρισκειν.

(2) Vide Lect. var.

(3) Ita THEODORETUS (ad h. l.) το *secundum carnem* interpretatur. Cogitat Apostolus *statum* in quo fuit ABRAHAM ante quam fide justificaretur, quem statum hominis κατα σαρκα vocat. Κατα σαρκα = εν σαρκι.

sit *negantis*, Apostolus *absolutè* negasset Abrahamum quidquam esse consecutum. Atqui fide consecutus est justificationem.

℣. 2. *Si enim Abraham ex operibus justificatus est habet gloriam, sed non apud Deum.*) Probat (γαρ) jam Apostolus Abrahamum, quod ad promerendam justificationem attinet, nihil meriti sibi comparasse *secundum carnem*. Probatio autem talis est : Nam, inquit, si Abraham per opera sua consecutus est justificationem (εδικαιωθη), habet unde apud Deum glorietur (εχει καυχημα supple προς Θεον), ut qui suis sibi operibus justificationem comparaverit; sed Abraham non (αλλ' ου supple ειχε καυχημα) habet unde glorietur apud Deum (προς Θεον), teste Scripturâ. Quid enim dicit Scriptura, etc.

Hæc interpretatio si placeat, verba Apostoli ita sumenda sunt ac si scripsisset : *Ει γαρ Αβρααμ εξ εργων εδικαιωθη, εχει καυχημα προς Θεον· αλλ' ουκ εχει καυχημα προς Θεον·* sit igitur hic in apodosi ellipsis verborum εχει καυχημα, quæ conferri possit cum ellipsi vocis εξηλθον in hoc Joannis (1 Joh. II. 19) : *αλλ' ἱνα φανερωθωσιν*, ubi post *αλλα* ex præcedentibns mente supplendum est εξηλθον. Equidem fatemur illam quam modò exposuimus Paulinæ sententiæ interpretationem non sua se simplicitate commendare. Sed, ut mihi quidem videtur, aut sic interpretandum est, aut dicendum Paulum sibi voluisse : *si Abraham ex operibus justificatus est habet quidem unde glorietur apud homines, sed non apud Deum.* At si reapse hoc sibi voluisset Apostolus, scripsisset, opinor, *εχει μεν καυχημα.* Sed potissimum obstat huic interpretationi, quod non videtur esse vera hæc sententia : Abraham *si ex operibus justificatus est, non habet unde glorietur apud Deum;* nam sic habet reapse unde glorietur apud Deum, dicente Apostolo (Ephes. II. 8. 9) : *salvati* (justificati) *estis per fidem, non ex operibus, ut ne quis glorietur.* Itaque in priore illa interpretatione acquiescendum sit.

In dictione *αλλ' ου προς Θεον*, vocula *ου* emphasin habet. Ceterum ad formam orationis quod attinet, usus est Apostolus verbo Temporis Præsentis (*εχει*), quod quidem hic eam habet vim ac si dixisset : si Abraham ex operibus justificatus est, *profecto consequitur eum habere* unde glorietur apud Deum. Pro *εχει* scribere potuisset etiam *ειχεν αν*, quod reddendum sit *haberet*.

℣. 3. *Quid enim dicit Scriptura? Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam.*) Probat jam Apostolus ex Scripturæ testimonio Abraham non ex operibus fuisse justificatum. Probatio autem talis est : Abraham *gratis justificatus est; ergo non ex operibus.* Probatur antecedens : Scriptura dicit : Credidit Abraham *Deo et illud* (credere Deo) imputatum ei fuit (*ελογισθη αυτῳ*) *in justitiam* (*εις δικαιοσυνην*). Vis argumenti in eo est, quod Scriptura non docet justificationem Abrahæ contigisse ob opera ab illo præstita, sed quod docet cum Abraham Deo credidisset hanc ejus fidem ipsi a Deo *imputatam* fuisse ad justitiam. Esse autem *imputari aliquid alicui* tantumdem ac gratuitò illi conferri, Apostolus mox (℣. 4) probat a contrario.

Ελογισθη sumitur *impersonaliter;* confer Nostratium *het werd hem toegerekend.* Ceterum vide quæ sunt notata ad ℣℣. 7. 8.

℣. 4—5. Ei autem, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. 5 Ei vero, qui non operatur, credenti autem in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam secundum propositum gratiæ Dei.[a)]

℣. 4—5. *Τῷ δὲ ἐργαζομένῳ ὁ μισθὸς οὐ λογίζεται κατὰ χάριν, ἀλλὰ κατὰ τὸ ὀφείλημα.* 5 *Τῷ δὲ μὴ ἐργαζομένῳ, πιστεύοντι δὲ ἐπὶ τὸν δικαιοῦντα τὸν ἀσεβῆ, λογίζεται ἡ πίστις αὐτοῦ εἰς δικαιοσύνην.*

Paraphrasis. Jam verò laboranti merces non imputatur ex gratia, sed rependitur ex debito. Illi autem (Abrahæ) non operanti sed tantum credenti in eum qui justificat impium, fides ejus imputatur ad justitiam; is ergò gratis justificatur.

VARIANS LECTIO.

a) Verba ista, *secundum propositum gratiæ Dei*, putaverim pro glossemate esse habenda. Nam ut in nullo græco codice leguntur, ita nec apud ullum ex græcis Patribus occurrunt. Absunt pariter ab Itala ceterisque antiquis versionibus; nec leguntur, teste Estio, in omnibus Vulgatæ codicibus. Jam quod inter lectiones Valesianas hoc loco habetur κατα προθεσιν της χαριτος του Θεου, id quidem nihili faciendum est, sed argumento esse potest, inter sexdecim Græcos illos codices Velesianos fuisse unum et alterum qui, ut textum Vulgatæ editionis referret, ab aliquo fuerit interpolatus.

℣. 4—5. *Ei autem qui operatur*, etc.) Jam verò, inquit, *laboranti* (*τῳ εργαζομενῳ*) merces non *imputatur* ex gratia, sed rependitur ex debito. — Sententia hæc generalis est valetque de quolibet operario. Pergit Apostolus: *at illi* (Abrahæ) *non operanti* (*μη εργαζομενῳ*) *sed tantùm credenti in eum qui justificat impium*, *fides ejus*, *ut modò ex Scriptura vidimus*, *reputatur ad justitiam;* is ergo non ex operibus justificatus fuit, sed gratis per fidem. — Atque ita Apostolus demonstravit, quod volebat, scilicet doctrinam suam de justificatione gratuita per fidem, sacræ Scripturæ testimonio confirmari, seque adeo *non destruere legem sed e contra eam stabilire* (Cf. Cap. III. 31).

In dictione (℣. 5.) *τῳ δε μη εργαζομενῳ*, Articulus *τῳ* mihi videtur vicem supplere Pronominis Demonstrativi, idemque adeò hoc loco valere quod *αυτῳ* vel *εκεινῳ* scilicet Abrahæ, de quo ℣. 3. Eâdem potestate Articulus quoque legitur in illo Matthæi

(Cap. II. 14) *ὁ δε εγερθεις παρελαβε*, et in hoc Lucæ (Cap. VIII. 20): *ὁ δε αποκριθεις ειπε*. Cf. Kühnerum § 480. Etiam Syrus Interpres Articulo vim Demonstrativi hic tribuit; nam præsentem locum in hunc modum reddidit: ܠܗܘ ܕܝܢ ܕܠܐ ܦܠܚ ܐܠܐ ܗܝܡܢ ܒܠܚܘܕ ܒܡܢ ܕܡܙܕܩ ܠܚܛܝܐ. ܡܬܚܫܒܐ ܠܗ ܗܝܡܢܘܬܗ ܠܟܐܢܘܬܐ܀ h. e. *Illi verò qui non operatus est, sed solummodo credidit in eum qui justificat peccatores, imputatur illi fides sua ad justitiam.* Pro verbis Temporis Præsentis, quæ in Græco leguntur, Syrus posuit verba Præteriti Temporis, ܦܠܚ et ܗܝܡܢ, quia nempe ea quæ quinto hoc versiculo dicuntur habuerit non pro sententia generali sed tamquam dicta de Abrahamo[1].

Sunt Interpretes qui dicant, sicut in quarto versiculo ita et in quinto sententiam contineri generalem, et quidem talem ut sensus quinti versiculi sit hic: *contra verò si justitia detur homini non operanti, credenti autem in eum qui justificat impium, tali homini justitia datur non quasi merces debita, sed gratis.* Sed in verbis Pauli non est illa conditionalis loquendi ratio: *si tali homini justitia detur*[2].

Vocat Apostolus Abrahamum *non operantem* (*μη εργαζομενον*), quia ubi S. Scriptura eum justificatum fuisse narrat, ibi eumdem exhibet *non operantem, sed credentem* ob eamque *fidem* justificatum. — De notione vocis *λογιζεσθαι* dicitur infra ad ℣. 8.

secundum propositum gratiæ Dei). Hæc pars, ut diximus (vide Var. Lect.) non videtur esse genuina. Ceterum sensus ejus est: *secundum gratiam, non secundum debitum;* vel pressius: *secundum propositum sive decretum, quo Deus decrevit hominem justificare gratis.* Ipsum hoc est quod legitur in altera ad Timotheum (Cap. I. 9): *non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum et gratiam* (*κατ' ιδιαν προθεσιν και χαριν*).

---

(1) Quæ versiculo quarto dicuntur Syrus pro sententia generali habuit, quare et *τῳ εργαζομενῳ* ibi reddiderit per Participium Præsentis ܦܠܚ et Articulum expresserit per ܠܗܘ non verò per ܠܡܢ ut fecit versiculo quinto.

(2) Cornelius a Lapide ad ℣℣. 4. 5. hæc scribit: « *Hæc est*, inquit, *argumentatio*: Abraham *justificatus est gratis per fidem, quia scilicet credidit Deo qui sua gratia justificat impium; non autem, quia bene suo marte operatus est, aut quia suis bonis operibus meritus est hanc justitiam; ergo et nunc hæc justificatio impiis et peccatoribus obtingit, non ex eorum operibus et meritis, sed gratis ex fide* Christi, *quem Deus proposuit nobis redemptorem et propitiatorem. Nam quod datur per fidem et gratiam, non merces est, sed gratia; quod verò datur operibus sive pro merito operum, merces est, non gratia. Cum ergo justificatio* Abrahæ *et nobis obtingat gratis per fidem, sequitur eam non obtingere ex operibus, ut operum et meritorum nostrorum sit merces.* » Quæ quidem verè dicta sunt omnia, et in universum exprimunt id, quod Apostolus hoc loco docuit; sed nequaquam explicant *quo modo, quâque formâ ratiocinii usus* Apostolus id docuerit; uno verbo, non sunt hæc præsentis loci *interpretatio*.

℣. 6—8. Sicut et David dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert justitiam sine operibus : 7 Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. 8 Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.

℣. 6—8. *Καθάπερ καὶ Δαβὶδ λέγει τὸν μακαρισμὸν τοῦ ἀνθρώπου*,[1] *ᾧ ὁ Θεὸς λογίζεται δικαιοσύνην χωρὶς ἔργων· 7 Μακάριοι, ὧν ἀφέθησαν αἱ ἀνομίαι, καὶ ὧν ἐπεκαλύφθησαν αἱ ἁμαρτίαι. 8 Μακάριος ἀνὴρ ᾧ οὐ μὴ λογίσηται Κύριος ἁμαρτίαν.*

Paraphrasis. Gratuitam esse justificationem David quoque docet, ubi beatum prædicat hominem, cui Deus justitiam imputat gratis nullâque operum ratione habitâ. Ait enim : ***Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, quorumque peccata sunt operta. Beatus ille, cui Deus peccatum non imputat.***

℣. 6. *Sicut et David dicit.* etc.) Superiori Scripturæ testimonio Apostolus firmaverat doctrinam suam de Justificatione *per fidem* obtinendâ *et gratis* ; cui testimonio hic aliud addit, quo pariter docetur, justificationem esse *gratuitam*. Testimonium autem hoc sumtum est ex Psalmo XXXI. (Hebr. XXXII) I. et 2. Apostolus illud interpretatur antequam recitet. David, inquit, ***prædicat beatitudinem hominis***, hoc est, ***beatum prædicat hominem*** (*λεγει τον μακαρισμον του ανθρωπου=μακαριζει τον ανθρωπον*) ***quem Deus gratis justificat, peccata ejus gratuitâ remissione delendo.***

℣. 7—8. *Beati quorum remissæ sunt.* etc.) Recitatur hic locus Psalmi ita prorsus ut is legitur in versione LXX, nec differt, ad sensum quod attinet, contextus Hebraicus, ubi sic habetur : אַשְׁרֵי נְשׂוּי־פֶּשַׁע כְּסוּי חֲטָאָה ׃ אַשְׁרֵי־אָדָם לֹא יַחְשֹׁב יְהוָֹה לוֹ עָוֺן : quæ ita reddiderim : ***Beatus ille, cujus ablatum est delictum, cujus opertum est peccatum! Beatus ille, cui Deus peccatum non imputat.*** Verba sunt Davidis, prolata, ut videtur, postquam illi pœnitenti et culpam suam confitenti Propheta Nathan divinitùs annunciasset, Deum condonasse illi suum peccatum (2. Reg. XII. 13). Vis autem argumenti ex hoc loco ducti in eo est, quod ibi peccatorum remissio prædicatur, nullâ factâ mentione operum sive meritorum. Quod silentium, interprete Apostolo, indicat Justificationem peccatoris esse *gratuitam*. Nam hoc sibi vult Apostolus dum dicit (℣. 6.) : ***sicut et* David *dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert***[1] (*λογιζεται.* i. e. imputat) ***justitiam*** sine operibus.

---

(1) Interpres noster Verbum *λογιζεσθαι*, in hoc capite eodem sensu sæpe obvium, aliter atque aliter reddidit ; quod non facit ad perspicuitatem orationis. Verbum *λογιζεσθαι* ibi redditum est nunc *imputare*, nunc *reputare*, nunc denique *accepto ferre*. Est autem *accepto ferre* tantumdem ac *pro accepto ferre*. Ulpianus dig. 46. 4. 8. : *illud sciamus, si ego aliud accepto tuli, aliud tu rogasti, nihil valere acceptilationem*. Actus *accepto ferendi* est *acceptilatio*. Est autem *acceptilatio*, docente Facciolati (ad h. V.), ficta quædam et imaginaria solutio et liberatio, quæ fit per interrogationem et responsionem, qua utrisque contingit ab eodem nexu absolutio. Dicenti enim, *Quidquid tibi per stipulationem promisi, vel ex stipulato debeo, habesne acceptum?* tu respondes, *Habeo acceptumque fero ;* quasi dicas, *Perinde habeo, ac si accepissem a te per veram solutionem.*

A λογος *computatio* ductum est Verbum Denominativum (Depon. Med.) λογιζεσθαι, quod adeò propriè notat *computare*; mox autem *in rationes referre*, *imputare*, *reputare*, eoque sensu Verbum λογιζεσθαι hoc capite constanter adhibetur [1]. Est autem in illa dictione ελογισθη αυτῳ εις δικαιοσυνην (*reputatum est illi* (a Deo) *ad justitiam*) Præpositio εις sumenda *de effectu* divinæ illius imputationis; quo modo infra (Cap. X. 10) etiam εις adhibetur in hoc effato Apostolico: *Καρδιᾳ γαρ πιστευεται εις δικαιοσυνην· στοματι δε ὁμολογειται εις σωτηριαν.* Vulg. *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Ergo quod sibi vult Apostolus tale est: Abrahæ fides a Deo acceptata fuit eo effectu ut propter illam gratuitò illi largiretur donum justitiæ.—Ideò autem fides ad justitiam dicitur *reputari*, et non dicitur *pro fide* justitiam *rependi*, quia fides justitiam non meretur tamquam opus justitiæ meritorium, sed ex Dei benevolentia omninò gratuitâ habenti fidem justitia donatur. Quam vero Abrahæ fidem Apostolus hic intelligat, infra (℣. 17—23) exponit. Objicientibus autem, Abrahamum non tunc demum justificatum fuisse quando credidit Deo promittenti ipsum fore multarum Gentium patrem sed multo ante tempore, Salmeron sic respondet: *Dici potest*, inquit, *Apostolum non inquirere, quando* Abraham *justificatus sit coram Deo; cum autem ibi* (Gen. XV. 6) *asseratur* justus ex fide, *sequitur quod justificatus fuerit ex fide et non ex operibus præcedentibus.*

℣. 9—10. Beatitudo ergo hæc in circumcisione tantùm manet, an etiam in præputio? Dicimus enim quia reputata est Abrahæ fides ad justitiam. 10 Quomodo ergo reputata est, in circumcisione, an in præputio? Non in circumcisione sed in præputio.

℣. 9—10. Ὁ μακαρισμὸς, οὖν οὗτος ἐπὶ τὴν περιτομὴν [a], ἢ καὶ ἐπὶ τὴν ἀκροβυστίαν; Λέγομεν γὰρ ὅτι ἐλογίσθη τῷ Ἀβραὰμ ἡ πίστις εἰς δικαιοσύνην. 16 Πῶς οὖν ἐλογίσθη; ἐν περιτομῇ ὄντι, ἢ ἐν ἀκροβυστίᾳ; Οὐκ ἐν περιτομῇ, ἀλλ' ἐν ἀκροβυστίᾳ.

Paraphrasis. Illa igitur beatitatis prædicatio sive gratuita justificatio, de qua Propheta loquitur, num ad circumcisos tantùm pertinet, an verò etiam ad præputiatos? Animadvertite, quæso, de Abrahamo nos dicere, quod fides illi reputata fuerit ad justitiam. Qualis ergo erat Abraham, quum justificaretur? Erat-ne tum jam circumcisus, an verò adhuc præputiatus. Non erat jam tum circumcisus, sed adhuc præputiatus. Patet ergo justificationem ut non pendet a ceteris legis operibus, ut probavimus, ita nec pendere a suscepta circumcisione.

---

(1) Notione Metaphorica λογιζεσθαι est *putare*, *censere*, *æstimare*, quo sensu legitur supra, Cap. III. 28.—Λογιζεσθαι verbum est *Deponens Medium*: Aor. 1. ελογισαμην. Aor. 1. Passiv. ελογισθην. Fut. 1. Passiv. λογισθησομαι. Notandum est verbi hujus Præsens (λογιζεται) notione Passivâ adhibitum fuisse Rom. IV. 4. 5. IX. 8. Cf. Matthiä §. 495.

VARIANS LECTIO.

a) Post περιτομην legitur μονον in Codd. DE. Glossema est. Quod verò in Vulgata hoc loco legitur *tantum manet*, pariter interpretamentum aliquod est. Nihil enim tale legitur in ullo Græco Codice, ut nec in Itala aut in alia ulla versione antiqua ; imo nec in omnibus Vulgatæ codicibus voces illæ leguntur. Quare quod inter lectiones Velesianas hic habetur lectio μονον μενει, nihili hoc faciendum est. Cf. quæ notavimus supra (℣. 5) ad variantem lectionem : *secundum propositum gratiæ Dei.*

℣. 9. *Beatitudo ergo hæc in circumcisione tantum manet, an etiam in præputio ?)* Ex voce λεγει (℣. 6) mente addenda hic est post περιτομην vox λεγεται; et quia dicit Apostolus η και επι, sumendum est επι την περιτομην tamquam *exclusivè* dictum esse ideòque suppleri ibi potest μονον. Itaque sententia Apostoli plenis verbis enunciata hæc sit : Ὁ μακαρισμος ουν οὑτος επι την περιτομην μονον λεγεται, η και επι την ακροβυστιαν; Sensus est : *Illa igitur* (ουν) *beatitatis prædicatio* (ὁ μακαρισμος οὑτος) *sive gratuita justificatio, de qua* David *loquitur, num in circumcisos* (επι την περιτομην) *tantum dicitur, an verò etiam in incircumcisos* (επι την ακροβυστιαν)? Apostolus quum hactenus ex Scripturis probasset justificationem non pendere a præstitis operibus, hic *transit* (ουν) ad probandum ex allegato modò Scripturæ effato de Abrahamo, pariter nec a circumcisione pendere justificationem. Rem proponit per interrogationem. *Num igitur* μακαρισμος *ille*, inquit, *ad circumcisos tantùm pertinet, an verò etiam ad præputiatos?* Ἡ περιτομη et ἡ ακροβυστια sumenda sunt ut supra Cap. III. 30.

Dicimus enim quia reputata est Abrahæ fides ad justitiam). Hac observatione viam sibi parat ad reponsionem, quæ danda sit præmissæ interrogationi. Particula γαρ hoc loco valet *nempe, scilicet, videlicet*, ut infrà Cap. XI. 13 et Gal. IV. 24. 25. Sensus est : *Animadvertite quæso, de* Abrahamo *nos dicere quod fides illi reputata fuerit ad justitiam !* Verba Apostoli sic legenda sunt ut emphasis ponatur in τω Αβρααμ non verò in voce πιστις. Patet hoc ex argumentatione insequenti (℣. 10).

℣. 10. *Quomodo ergo reputata est?)* Πως (*quomodo*), quod ex serie orationis patet, hic non refertur ad *modum quo* Abrahæ *reputata sit justitia*, sed interrogat de statu sive conditione, in qua esset Abraham, quum justificaretur. Itaque πως hic fere valet ποιος *qualis*. Ουν hoc loco *ratiocinantis* est. Sensus est : *Qualis ergo erat* Abraham *quum justificaretur? Erat-ne tum jam circumcisus, an verò adhuc præputiatus? Non erat jam tum circumcisus, sed adhuc præputiatus.* Consequitur ergo, justificationem minimè pendere a circumcisione; quod erat probandum. Quam tamen consequentiam Apostolus *verbis* non expressit, quum ea unicuique facile pateret. Græcorum verborum Syntaxin hoc loco perspicue intellexeris, si putaveris Apostolum scripsisse ita : Ποιῳ ουν οντι (Αβρααμ) ελογισ-

θη ἡ πιστις εις δικαιοσυνην; εν περιτομῇ οντι, η εν ακροβυστιᾳ; ουκ εν περιτομῇ οντι, αλλ' εν ακροβυστιᾳ. Præpositio *εν* ubique hic dicitur *de statu sive conditione, in qua quis versatur.*

ỷ. 11—12. Et signum accepit circumcisionis, signaculum justitiæ fidei, quæ est in præputio: ut sit pater omnium credentium per præputium, ut reputetur et illis ad justitiam: 12 et sit pater circumcisionis non iis tantùm, qui sunt ex circumcisione, sed et iis, qui sectantur vestigia fidei, quæ est in præputio patris nostri Abrahæ.

ỷ. 11—12. *Καὶ σημεῖον ἔλαβε περιτομῆς, σφραγῖδα τῆς δικαιοσύνης τῆς πίστεως τῆς ἐν τῇ ἀκροβυστίᾳ, εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν πατέρα πάντων τῶν πιστευόντων δι' ἀκροβυστίας (εἰς τὸ λογισθῆναι καὶ αὐτοῖς*[a] *τὴν δικαιοσύνην·), 12 καὶ πατέρα περιτομης, τοῖς οὐκ ἐκ περιτομῆς μόνον, ἀλλὰ καὶ τοῖς στοιχοῦσι τοῖς ἴχνεσι τῆς ἐν τῇ ἀκροβυστίᾳ πίστεως τοῦ πατρὸς ἡμῶν Ἀβραάμ.*

Paraphrasis. Ad quid ergo fuit circumcisus? Circumcisionis in carne sua suscepit signum, quod erat sigillum testimonale justitiæ quæ ei adhuc præputiato contigerat per fidem, ut, tamquam is qui esset per fidem justificatus adhuc habens præputium et deinde circumcisus, hoc modo foret exemplar ac veluti Pater tam eorum omnium qui præputiati crederent (ut, inquam, sicut Abrahæ, ita et illis quoque si crederent justitia imputaretur), quam circumcisorum, eorum dico, qui non essent circumcisi tantùm verum etiam imitarentur fidem quam ille exhibuerat adhuc præputiatus.

VARIANS LECTIO.

a) Post *αὐτοις* legitur *εις*, sed tantum in Codd. A et nonnullis Minusculis.

b) Pro *τοις ουκ* legitur *ου τοις* sed tantum in duobus Codicibus Minusculis. Hanc lectionem Vulgata quoque refert aliæque nonnullæ antiquæ versiones.

ỷ. 11. *Et signum accepit circumcisionis, signaculum justitiæ fidei, quæ est in præputio; ut sit pater).* Exponit Apostolus (11—12) quisnam finis fuerit susceptæ ab Abrahamo circumcisionis unàque sic respondet Judæo forte quærenti: *Si*

ABRAHAM *justificatus fuit quum adhuc esset præputiatus*, *ad quid ergo deinceps fuit circumcisus*? — Et *signum circumcisionis* hic vocat *signaculum testimoniale* (σφραγιδα) *justitiæ* quam ABRAHAM *adeptus fuerat per fidem* (της δικαιοσυνης της πιστεως) ab eodem *exhibitam quo tempore adhuc erat præputiatus* (της εν τῃ ακροβυστιᾳ). Quo iterum obiter docet ABRAHAMUM nequaquam circumcisum fuisse justitiæ adipiscendæ causâ. Circumcisio non illi contulerat justitiam, sed accepta jam ante per fidem justitia circumcisione carnis veluti sigillo quodam firmata fuerat atque obsignata.

In dictione σημειον περιτομης (*le signe de la circoncision*), vox περιτομης est Genitivus *Appòsitionis* : signum illud, quod circumcisione constat. Ceterum *signum circumcisionis* tantumdum hic est ac *circumcisio*, sed *signum* scripsit Apostolus, quia dicturus erat *circumcisionem* esse *sigillum*. Σφραγιδα est Accusativus *prædicati*. Vox σφραγις de *signaculo testimoniali* legitur etiam 1 Cor. II. 9.— Της πιστεως Genitivus est *originis* : *justitia quæ* ABRAHÆ *ex fide contigit*, ut infrà (Cap. IX. 30) dixit Apostolus δικαιοσυνην δε την εκ πιστεως. In dictione της εν τῃ ακροβυστιᾳ scil. σχεθεισης, *fidei in statu præputii habitæ*, Articulus της referendus est non ad δικαιοσυνης sed ad πιστεως; patet hoc ex contexta oratione : πιστευοντων δι' ακροβυστιας (ỷ. 11), et της εν τῃ ακροβυστιᾳ πιστεως. (ỷ. 12).

ut sit pater omnium credentium per præputium, etc.). His jam verbis (ỷ. 11. 12) exponitur finis ob quem Deus voluerit ut circumcideretur ABRAHAM jam antehac justificatus. Finis autem hic fuit, *ut* ABRAHAM, tamquam is qui esset per fidem justificatus etsi adhuc præputiatus deinde autem circumcisus, hoc modo *foret* (εις το ειναι αυτον) exemplar ac veluti *pater* (πατέρα) tam eorum omnium qui præputiati crederent, quam circumcisorum, qui quidem fidem ejus imitarentur.

Præpositio εις hic dicitur *de consilio quò quid spectat*, ut Act. XXVI. 16. Sed εις το ειναι reddendum erat non *ut sit* (Vulg.), sed *ut esset*, vi consecutionis Temporum; præcessit enim ελαβε (*accepit*). — ABRAHÆ *paternitas* (εις το ειναι πατερα), hic dicitur ratione exempli, quo sicut ipsi præputiato, quum credidisset, imputata fuerat justitia, ita quoque præputiatis omnibus, qui quidem credidissent, ea pariter imputaretur. Atque hoc sibi voluisse Apostolum, id quidem patet ex parenthetica illa sententiâ εις το λογισθηναι και αυτοις δικαιοσυνην, quâ epexegeticè explicat *qualem* paternitatem hoc loco cogitet.—Πιστευοντες δι' ακροβυστιαν sunt *credentes dum sunt habentes præputium*. Itaque δια hic dicitur *de conditione sive statu in quo quis versatur*. ut supra Cap. II. 27. Δι' ακροβυστιας hic nihil differt ab εν ακροβυστιᾳ, quod eodem hoc versiculo legitur. Πιστευοντων habendum est pro Participio *Imperfecti*.

ut reputetur et illis ad justitiam). Græca reddenda sunt : *ut imputaretur etiam ipsis justitia*. Quæ verba habenda sunt pro vera Parenthesi, quum per ea Syntaxis fuerit *abrupta*; nam *continua* Syntaxis postulasset ut uno sermonis tenore scriberetur εις το ειναι πατερα παντων των πιστευοντων δι' ακροβυστιας, και πατερα

περιτομης, κ. τ. λ. Quod in parenthetica illa oratione dicitur και αυτοις, id significat *sicut* Abrahæ ita et (και) *illis*. Sed quum scribatur in Aor. λογισθηναι, vertendum est *ut imputaretur;* et illius Infinitivi (λογισθηναι) Subjectum est την δικαιοσυνην, ubi suppleri potest της πιστεως=εκ πιστεως. Ceterum, sensum hujus partis supra jam exposuimus.

℣. 12. *et sit pater circumcisionis non iis tantum*, etc). Resumitur post Parenthesin abrupta Syntaxis per verba και πατερα περιτομης, quæ adeò pendent a præcedentibus (℣. 11) εις το ειναι αυτον. Sed in verbis quæ insequuntur, τοις ουκ κ. τ. λ. notanda est *oratio variata;* nam quum hæc verba tamquam Appositio pendeant a Genitivo περιτομης, per Genitivos continuanda erat oratio adeòque scribendum των ουκ εκ περιτομην μονον (οντων), αλλα και (των) στοιχουντων τοις ιχνεσι κ. τ. λ. h. e. *illorum, inquam, qui essent non tantum circumcisi, verum etiam ingrederentur vestigiis*, etc. Apostolus, autem variatâ oratione, sermonem suum continuavit per Dativos *relationis*, quos Gallicè expresseris si dicas : *et* (afin qu'il fût) *le père des circoncis, c'est a dire a l'égard de ceux qui*, etc.—

non iis tantum qui sunt ex circumcisione, sed et iis qui sectantur vestigia fidei etc.) Interpres noster legisse videtur ου τοις εκ περιτομης μονον; verùm ex communi Codicum testimonio legendum est τοις ουκ εκ περιτομης μονον, quod et auctor antiquæ Italæ legit; nam vertit : *et pater circumcisionis*, *eis*, *qui non ex circumcisione tantùm*, etc. Suspicor Articulum τοις, qui ante στοιχουσι legitur, causam exstitisse cur unus et alter Librarius τοις ουκ in ου τοις mutaverit. Nam quum usus Articuli eo loco τους στοιχουντας demonstraret tamquam classem personarum distinctam ab iis qui ibi dicuntur esse εκ περιτομης, ut etiam hi tamquam distincta classis personarum Grammaticè exhiberentur, necesse erat ut Particula negativa ου scriberetur ante Articulum; itaque mendum hoc loco suspicatus Librarius pro τοις ουκ scripserit ου τοις, quo et fiebat ut vocula μονον jam propter sequens αλλα non amplius afficeret vocabulum περιτομης, sed jungeretur cum Negativâ ου; atque hinc factum est ut interpres noster verterit *non iis tantum qui sunt ex circumcisione*, quamquam vox μονον ponatur post περιτομης.—Sed non sunt hoc versiculo duæ classes personarum distinguendæ; hoc enim si ponas, oratio Paulina tantologica sit; nam si ii qui (℣. 12) *sunt ex circumcisione* sint Judæi, et *ii qui sectantur vestigia fidei* Abrahæ sint Gentiles intelligendi, jam inanis fiat repetitio, quum versiculo præcedenti (℣. 11) de Gentilibus jam dixerit. Sensus ergo hujus loci is est quem in Paraphrasi exposuimus. Negari tamen nequit, secundum accuratiorem scribendi rationem scribendum fuisse αλλο και στοιχουσι, non repetito Articulo τοις.

Ceterum, dictio ὁ εκ περιτομης sumenda est ut suprà (p. 101) ὁ εκ πιστεως, et mente suppleto ibi Participio ουσι, puta scriptum ibi esse τοις ουκ εκ περιτομης μονον ουσι; hoc verò Participium ουσι quemadmodum et sequens στοιχουσι Participia sunt Imperfecti. Ἡ εν τῃ ακροβυστιᾳ (scil. ουσᾰ) πιστις Αβ-

ραaμ est *fides* quam Deo Abraham habuerat quum adhuc esset præputiatus ; Præpositio *εν* sumta ibi est eo sensu, quo supra ℣. 10. Denique loco Pronominis *αυτου* repetitum ibi fuit, ex Hebraismo, ipsum Nomen *του Αβρααμ*. Cujus quidem repetitionis aliud exemplum supra (pag. 101) indicavimus.

℣. 13—15. Non enim per legem promissio Abrahæ, aut semini ejus ut heres esset mundi, sed per justitiam fidei. 14 Si enim qui ex lege, heredes sunt : exinanita est fides, abolita est promissio. 15 Lex enim iram operatur. Ubi enim non est lex : nec prævaricatio.

℣. 13—15 *Οὐ γὰρ διὰ νόμου ἡ ἐπαγγελία τῷ Ἀβραὰμ, ἢ τῷ σπέρματι αὐτοῦ, τὸ κληρονόμον αὐτὸν εἶναι τοῦ κόσμου, ἀλλὰ διὰ δικαιοσύνης πίστεως.* 14 *Εἰ γὰρ οἱ ἐκ νόμου κληρονόμοι, κεκένωται ἡ πίστις, καὶ κατήργηται ἡ ἐπαγγελία.* 15 *Ὁ γὰρ νόμος ὀργὴν κατεργάζεται· οὗ γὰρ οὐκ ἔστι νόμος, οὐδὲ παράβασις.*

Paraphrasis. Neque enim ratione habitâ Mosaicæ legis sed justitiæ ex fide partæ facta est Abrahæ aut semini ejus promissio illa de spirituali dominatione ejus in omnes gentes extendendâ sive de beandis omnibus Gentibus in ipso ; ergo promissionis illius effectus quum non pendeat a Lege sed a fide, ad omnes pertinet credentes, sive ex lege sint sive non, adeòque credentium omnium, Gentilium æque ac Judæorum, pater est Abraham. Et verò si promissa illa beatitas ad eos pertineat qui ex Lege sunt et quatenùs ex Lege sunt, jam eo ipso consequatur inutilem esse fidem et infructuosam ad eam beatitatem consequendam, atque etiam divinam illam promissionem Abrahæ factam habendam esse pro infecta. Nempe tantum abest ut Lex promissam illam beatitatem possit efficere, ut contra Dei iram afferat et maledictionem ; idque quia Lex occasio est violationis ; nam sicut locum non habet violatio legis ubi nulla est lex, ita e contra ubi lex adest, ibi nec deëst legis violatio.

℣. 13. *Non enim per legem promissio Abrahæ—sed per justitiam fidei*). Supple *εγενετο*, *facta est*. Abrahamum esse patrem omnium credentium, Gentilium æque ac Judæorum, Apostolus hic (℣. 13) *confirmat* (*γαρ*) indè quòd *η επαγγελια* (*la promesse*) Abrahæ facta fuit non *per* Legem (*δια νομου moyennant la loi*) sed *per justitiam ex fide partam* (*δια δικαιοσυνης πιστεως*).

Quam verò promissionem Apostolus hic intelligat, statim exponit per sententiam epexegeticam *το κληρονομον αυτον ειναι κοσμου*, *ut hæres esset mundi*, i. e. ut

dominus[1] esset mundi. *Mundi* autem appellatione hic designantur universæ nationes terræ; nam Apostolus respicit (Cf. ℣. 16-18) promissionem illam, quâ Deus Abrahæ dixerat (Gen. XVII. 4. 5): *Eris pater multarum gentium; nec ultra vocabitur nomen tuum* Abram *sed appellaberis* Abraham: *quia patrem multarum gentium constitui te*; quæ quidem promissio quo sensu sumenda sit, intelligitur ex eo quod Abrahæ in eumdem sensum divinitùs dictum fuit, *fore ut in eo sanctificarentur omnes gentes terræ*[2]. Itaque promissio illa de qua loquitur Apostolus, referenda est ad *dominationem* quamdam quæ sita sit in quodam jure paternitatis spiritualis, quod per *semen suum* Jesum Christum Abraham habiturus erat in gentes universas. Igitur *promissio* Abrahæ facta nihil aliud est, ad rem quod attinet, nisi omnium gentium in Christo benedictio sive justificatio et sanctificatio.

Notandum est, Apostolum argumentationis suæ expressisse *Antecedentem* tantum; *Consequens* erat hæc: Ergo promissa illa beatitas pertinet ad credentes quoscumque, sive tales sint quibus lex data fuerit, sive non sint tales; adeòque parens est Abraham credentium omnium, Gentilium æque ac Judæorum. — Nam quod Pauli argumentatio hoc modo complenda sit, id quidem patet ex versiculo sequenti (℣. 13), ubi pergit argumentari ab illius Consequentis opposito.

Dixit autem Apostolus: Abrahæ *aut semini ejus*; quia sicut promissio illa facta fuerat Abrahæ[3] ita quoque facta fuit *Semini* ejus, quum illi diceretur (Gen. XXII. 18): *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.* Hoc *semen* autem intelligendum esse Jesum Christum Abrahæ filium, novimus docente Apostolo (ad Gal. Cap. III. 16): Abrahæ, inquit, *dictæ sunt promissiones, et semini ejus. Non dicit, et seminibus, quasi in multis sed quasi in uno: et semini tuo, qui est* Christus.

Bene Toletus (Commentar. ad h. l.): « Attende, inquit, hanc mundi hæreditatem esse benedictionem illam, quam omnes gentes in ipso (Abraham) et ejus Semine consecuturas promisit Deus; per hanc enim Abraham est pater effectus omnium nationum mundi credentium in Christum. Semen autem hoc ipse Paulus exposuit (ad Galat. III), dicens: *Semini tuo, qui est* Christus. Huic est promissa omnium gentium hæreditas, quia per ipsum et in ipso salutem et benedictionem assecuturæ erant. Psalm. 2. *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ.* De qua promissione dicitur Gal. III. 19: *donec veniret semen, cui promiserat.* Dicitur autem facta promissio Christo, quia promissio data Abrahæ, in Christo et per Christum implenda erat. »

---

(1) Vox κληρονομος, missâ notione hæreditatis, dicitur etiam de *domino*. Cf. Hebr. I, 2.

(2) Gen. XVIII. 17. 18: *Num celare potero* Abrahæ, *quæ gesturus sum: cum futurus sit in gentem magnam ac robustissimam, et benedicendæ in illo* omnes *nationes terræ.* Utrumque, et carnale et spirituale semen Abrahæ hic significatur.

(3) Gen. XVIII. 17. 18.

Observandum quoque est, Hyperbaton quoddam esse in oratione Apostoli; nam quum illud *το κληρονομον αυτον ειναι κοσμου* sit *appositio*, qua describitur illa, quam dixerat, *επαγγελια*, usitata Syntaxis postulabat ut scriberetur hoc ordine verborum : *Ου γαρ δια νομου τῳ Αβρααμ η τῳ σπερματι αυτου ἡ επαγγελια, το κληρονομον αυτον ειναι κοσμου*. Articulus *το* ibi afficit integram sententiam *κληρονομον αυτον ειναι κοσμου*. Cujusmodi Articuli usus occurrit etiam infra (Cap. VIII. 26) in hoc : *το γαρ τι προσευξωμεθα καθο δει, ουκ οιδαμεν*. Et omnino frequens est hæc Articuli structura in libris Novi Testamenti, præsertim in scriptis Pauli et Lucæ.

℣. 14. *si enim qui ex lege, hæredes sunt, exinanita est fides, abolita est promissio.*) Hic *probat* (*γαρ*) Apostolus illam quam modo dixi Consequentiam, argumentando ex absurdis, quæ sequantur, si verum sit contrarium ejus quod in illa Consequentia affirmatur. Sic ergo ratiocinatur : Et verò, inquit, si promissa illa beatitas ad eos pertineat qui ex Lege sunt et quatenus ex Lege sunt, jam eo ipso consequatur inutilem esse fidem et infructuosam ad eam beatitatem obtinendam, et porrò divinam illam promissionem Abrahæ factam habendam esse pro infectâ; quod utrumque dictu est absurdum.

Mentem Apostoli aliis verbis explico : Si ab observata Lege, inquit, penderet promissa illa beatitas, jam tamquam merces rependeretur non verò gratuitò per fidem contingeret; adeòque fides non foret via ad beatitatem illam obtinendam, et sic *exinanita foret* fides, quam tamen Deus viam esse voluit ad promissam illam beatitatem participandam; deinde sic etiam *abolita foret* Dei promissio; nam quum hæc pertineat ad *semen* Abrahæ spirituale universum, hoc est, ad omnes credentes, sive ex Lege sint, sive non, si promissa beatitas a Lege pendeat, jam non poterit seminis pars illa cui lex Mosaica data non fuit, etsi fidem Abrahæ imitetur, illius beatitatis particeps fieri; irrita ergo sic foret Dei promissio.—Atque hanc esse mentem Apostoli, id quidem colligo ex eo quod statim (℣. 16) ex disputatis infert, promissæ ergo beatitatis participationem pendere non a Lege sed a fide, ut sic obtingeret non tamquam repensa quædam merces sed tamquam donum gratuitum, atque ita communis esset quibuscumque, tam Judæis quam Gentilibus, qui fidem Abrahæ imitarentur.

Card. Toletus[1] paulò aliter mentem Pauli explicat : « Fidem *dicit fore* exinanitam, inquit, *quia inutilis facta esset, si non per fidem justitia et benedictio sed per legem futura esset*; promissionem abolitam, *id est, factam quasi infectam et destructam et irritam; quia quod promissum est ex gratia, non ex gratia sed ex lege detur; pugnant enim quod ex lege est et quod ex promissione et fide est; hoc enim est gratia, illud justitia.* »

---

(1) Commentar. in Ep. ad Rom. ad h. l.

ỳ. 15. *Lex enim iram operatur*). Ob Particulam *causalem* γαρ videri possit, his verbis rationem reddi præcendetis sententiæ qua dicebatur *abolitam esse promissionem si penderet a Lege;* verùm non ita res habet. Neque enim ex eo quod Lex *per accidens*, ratione, inquam, humanæ infirmitatis, non impleatur adeòque *iram operetur*, rectè consequitur promissionem *aboleri*; nam si etiam ponamus adimpleri legem et *benedictionem operari*, etiam sic *abolita* foret promissio, dicente Apostolo (Gal. III. 15) : *Si ex lege hæreditas, jam non ex promissione.* Audiatur Toletus : « Aliqui moderni, inquit, hanc sententiam (*lex enim iram operatur*) causam superioris continere existimant, nempe cur *abolita* sit promissio si pendeat a Lege.... Sed hæc expositio non est ad mentem Pauli; non enim aboleri dicitur promissio, quando id quod promittitur sub conditione non datur eâ de causâ quia conditio non impletur; nam si propter Legem promissio hæreditatis facta esset, eâque de causâ promissio complementum non haberet quia Lex non impleretur, tunc non diceretur abolita promissio. Aboletur enim promissio quando tollitur ita ut quod ex promissione est, jam non sit nec detur ex promissione sed ex Lege.... Promissio gratis et ex dono Dei facta fuit... Sive ergo lex impleatur, sive non; sive iram operetur, sive benedictionem, promissio aboleretur, si ex Lege esset hæreditas. »

Itaque dicendum est, Paulum hic tertiam adducere rationem (γαρ), cur promissa illa beatitas nequeat pendere a Lege. Et petita est tertia illa ratio a Legis effectu, qui talis sit ut maledictionem afferat, adeòque causa esse nequeat consequendæ promissæ beatitatis. Quo modo autem fiat ut Lex *iram operetur*, Apostolus statim explicat (γαρ), dicens :

Ubi enim non est lex, nec prævaricatio). Sententia *negans* est, sed quæ oppositam *affirmantem* continet; alias enim Apostolus nihil hic explicasset aut probasset. Itaque mens ejus est dicere : *ubi adest lex, ibi nec dëest legis violatio;* ubi autem est legis violatio sive *transgressio* (παραβασις), ibi est et sancti Dei ira, adeòque vindicta atque supplicium; non quòd lex per se causa sit transgressionis, sed quòd lex, v. g. Mosaica, qua talis, quum tantùm prohibeat aut jubeat, non autem etiam conferat gratiam cujus auxilio imperata possint adimpleri, peccandi præbet occasionem, atque ita homines obnoxios reddit iræ divinæ. Cogitat Apostolus positivam aliquam Dei legem, qualis, verbi gratiâ, erat lex Mosaica. Confer quæ in hanc rem notavimus supra (pag. 91) ad verba : *per legem cognitio peccati.*

ỳ. 16 — 17. Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini, non ei, qui ex

ỳ. 16—17. *Διὰ τοῦ-το ἐκ πίστεως, ἵνα κατα χάριν, εἰς τὸ εἶ-ναι βεβαίαν τὴν ἐπαγ-γελίαν παντὶ τῷ σπέρ-*

Paraphrasis. Quum ergò promissæ beatitatis participatio non pendeat a Lege, relinquitur ut pendeat a fide; idque Deus ita voluit in eum

lege est solùm, sed et ei qui ex fide est Abrahæ, qui pater est omnium nostrûm 17 (sicut scriptum est: *Quia patrem multarum gentium posui te*) ante Deum, cui credidit, qui vivificat mortuos, et vocat ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt.

ματι, οὐ τῷ ἐκ τοῦ νόμου μόνον, ἀλλὰ καὶ τῷ ἐκ πίστεως Ἀβραὰμ, ὅς ἐστι πατὴρ πάντων ἡμῶν 17 (καθὼς γέγραπται· Ὅτι πατέρα πολλῶν ἐθνῶν τέθεικά σε) κατέναντι οὗ ἐπίστευσε Θεοῦ, τοῦ ζωοποιοῦντος τοὺς νεκροὺς, καὶ καλοῦντος τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα.

finem ut promissa illa beatitas contingeret non tamquam merces sed ex dono prorsus gratuito, atque ut rata firmaque esset universo Abrahæ semini, hoc est, credentibus quibuscumque, non illis tantum, inquam, quibus lex data fuit, verum etiam illis qui imitarentur fidem Abrahæ, qui nostrûm omnium credentium parens est (sicut scriptum est: *constitui te patrem multarum gentium*) coram illo, cui crediderat, Deo, qui mortuos vivificat, et ea quæ non exstant, appellat quasi adsint.

ỷ. 16. *Ideò ex fide*). Δια τουτο concludit ex dictis versiculo decimo quarto; et collectio talis est: Quum promissa illa benedictio sive justificatio obtinenda sit vel ex lege vel ex fide, obtineri autem nequeat ex lege, *idcirco* (δια τουτο) relinquitur ut obtineatur ex fide. Δια τουτο εκ πιστεως scil. ἡ κληρονομια γινεται, quod ex voce κληρονομον (ỷ. 14) sumendum est.

ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini). In nonnullis Codicibus Vulgatæ, teste Estio, Particula *ut* bis hic ponitur, hoc modo: *ut secundum gratiam*, *ut firma sit promissio omni semini*; atque ita ex communi Græcorum Codicum testimonio legendum est. Quæ autem hic dicuntur, non εκβατικῶς sed τελικῶς sumenda sunt. Videlicet indicatur *finis ob quem* Deus vult ut promissa illa benedictio obtineatur non *ex lege*, sed *ex fide*; finis autem hic est, ut ea homini *obtingat secundum gratiam* (ἱνα κατα χαριν scil. γενηται ἡ κληρονομια), quod quidem fit si sit *ex fide* (εκ πιστεως), si donetur credenti. Huic vero fini conjunctus est (εις το ειναι) finis alter hic, scilicet ut ne qua pars sobolis spiritualis Abrahæ a communione promissæ benedictionis excludatur, sed *rata firmaque sit promissio omni spirituali ejus semini* (εις το ειναι βεβαιαν την επαγγελιαν παντι τῳ σπερματι), hoc est, credentibus quibuscumque; id quod non esset, si a lege penderet promissæ benedictionis participatio, quum sic ea pars sobolis, cui lex data non esset, a promissæ benedictionis participatione fuisset exclusa. Opponitur βεβαιαν ειναι την επαγγελιαν præcedenti (ỷ. 14) καταργεισθαι.

non ei qui ex lege est solum sed et ei qui ex fide est Abrahæ). Distinctius hic explicat Apostolus quid intelligat παντι τῳ σπερματι. Græca reddenda erant *non ei solum*, *qui* (quod) *ex lege est*, *sed et ei*, etc., quum vocabulum μονον non refe-

ratur ad vocem *νομου* sed ad Articulum *τῷ*. Sensus est : *non Judæis tantum credentibus ;* nam spirituale semen Abrahæ , de quo hic agitur , constat ex credentibus tantùm , uti patet ex ỳ. 12. Itaque *το εκ του νομου σπερμα Αβρααμ* intelligitur illa pars sobolis Abrahæ spiritualis, ad quam Mosaica lex (*ὁ νομος*) pertinet , gens Israëlitica ; et *το εκ πιστεως Αβρααμ σπερμα Αβρααμ* sunt illi qui credunt in ea conditione qua erat Abraham cum crederet , adeòque legem Mosaicam non habentes , præputiati , uno verbo , Gentiles. Præpositio *εκ* utroque loco dicitur de *conditione ex* (in) *qua* quis sit aut esse cogitetur.

qui pater est omnium nostrûm). Scil. *credentium* , ut patet ex ỳỳ. 12. 13. Relativa hæc sententia rationem continet cur promissæ benedictionis participatio communis esse debeat credentibus quibuscumque , Gentilibus æquè ac Judæis ; et ratio est , quia Abraham constitutus sit pater *omnium* credentium [1] ; id quod statim probat , dicens :

ỳ. 17. *sicut scriptum est ; quia patrem multarum Gentium posui te*). *Ὅτι* (quia) hoc loco non est *recitativum* , sed pars citati testimonii. Est autem sumptum testimonium ex Genes. XVII. 4. 5, ubi Deus ad Patriarcham : *Non ultra* , inquit , *vocabitur nomen tuum* Abram , *sed appellaberis* Abraham , *quia patrem multarum Gentium constitui te.* Quæ verba , interprete Apostolo , ad spiritualem Abrahæ sobolem sunt referenda , non quidem sensu litterali quo illa verba ad carnalem Abrahæ progeniem pertinent , verum sensu typico [2]; idemque dicendum est de altero quod Paulus hic (ỳ. 18) citat Scripturæ testimonio : *Sic* (sicut stellæ cœli innumerabiles) *erit semen tuum* (Gen. XV. 5).

ante Deum, cui credidit etc.) Jungenda sunt hæc verba cum verbis postremis versiculi decimi sexti : *qui pater est omnium nostrûm ;* illa verò verba , *sicut scriptum est* : *quia patrem multarum Gentium posui te* , quum syntaxin interruperint , pro parenthetica sententia sunt habenda. Verba ista , *ante Deum* , *cui credidit* , Græce sonant *κατεναντι οὗ επιστευσε Θεου* , quod per *Attractionem* dictum est pro *κατεναντι του Θεου , ᾧ επιστευσε*. Similis Attractionis exemplum est in hoc Lucæ (Act. Ap. Cap. XXI. 16) : *αγοντες παρ᾽ ᾧ ξενισθωμεν Μνασωνι τινι Κυπριῳ , αρ-*

(1) Operæ pretium fuerit hic recitasse, quæ Theodoretus ad hunc locum epistolæ adnotavit. Ὁ των ὁλων θεος , inquit , προειδως ὡς Θεος , και ὡς ἑνα λαον εξ εθνων και Ιουδαιων αθροισει , και δια πιστεως αυτοις την σωτηριαν παρεξει , εν τῳ πατριαρχῃ Αβρααμ αμφοτερα προδιεγραψε. Δειξας γαρ αυτον και προ της περιτομης την εκ πιστεως δικαιοσυνην κτησαμενον , και μετα την περιτομην ου κατα τον Μωσαϊκον πολιτευσαμενον νομον , αλλ᾽ επιμειναντα τῃ της πιστεως ποδηγιᾳ , πατερα των εθνων αυτον προσηγορευσεν· ἱνα εις εκεινον και Ιουδαιοι και Ἑλληνες αποβλεποντες , μητε οὑτοι την περιτομην , μητε εκεινοι την ακροβυστιαν , αλλ᾽ αμφοτεροι αυτου την πιστιν ζηλωσωσιν. h. e. *Universorum enim Deus , cum prævidisset tamquam Deus , se unum populum ex Judæis et Gentibus congregaturum et eis per fidem salutem præbiturum, utrumque in Patriarcha* Abraham *prius designavit. Cum enim ostendisset ipsum etiam ante circumcisionem justitiam ex fide acquisivisse et post circumcisionem non ex lege Mosaica vitam instituisse, sed in fidei vestigiis hæsisse , cum patrem Gentium appellavit ; ut ad illum et Judæi et Græci respicientes , neque hi circumcisionem , neque illi præputium, sed utrique ejus fidem imitarentur.* »

(2) Vide Ben. Pererii *Disputat. in Gen.* ad Cap. XV. *Disput.* 1.

χαιῳ μαθητῃ. Confer quæ ad hunc Actorum locum in Commentario adnotavimus. Itaque sensus est :... *Qui omnium nostrûm credentium pater est coram illo*[1], *cui credidit, Deo, qui mortuos vivificat* (*του ζωοποιουντος τους νεκρους*), *et vocat ea quæ non sunt ac si essent* (*και καλουντος τα μη οντα ὡς οντα*), h. e. qui ea quæ nulla sunt, solo verbo ut sint, efficit; cujus tanta vis imperii est, ut ea quæ non sunt, imperanti ut sint, obediant.—Quibus verbis Deus describitur tamquam *omnipotens.* Bene Estius (ad h. l.) : *Adjicit hanc partem*, inquit, *non qua significet quid fecerit aut facturus sit Deus, sed ut duobus veluti epithetis* (*του ζωοποιουντος τους νεκρους* et *καλουντος τα μη οντα ὡς οντα*) *declaret Deum omnia posse ; simul innuens etiam hoc ipsum* Abraham *de Deo credidisse. Nam mortuos ad vitam revocare, et ex nihilo res producere, quod est vocare non entia tamquam entia, non nisi infinitæ virtutis, id est, divinæ sunt opera.*

℣. 18—22. qui contra spem in spem credidit, ut fieret pater multarum gentium secundum quod dictum est ei : Sic erit semen tuum. 19 Et non infirmatus est fide, nec consideravit corpus suum emortuum, cum jam ferè centum esset annorum : et emortuam vulvam Saræ. 20 In repromissione etiam Dei non hæsitavit diffidentiâ : sed confortatus est fide, dans gloriam Deo : 21 plenissime sciens quia quæcumque promisit, potens est et facere. 22 Ideo et reputatum est illi ad justitiam.

℣. 18—22. Ὅς παρ' ἐλπίδα ἐπ' ἐλπίδι ἐπίστευσεν εἰς τὸ γενέσθαι αὐτὸν πατέρα πολλῶν ἐθνῶν, κατὰ τὸ εἰρημένον, Οὕτως ἔσται τὸ σπέρμα σου· 19 καὶ μὴ ἀσθενήσας τῇ πίστει, οὐ κατενόησε τὸ ἑαυτοῦ σῶμα ἤδη νενεκρωμένον, ἑκατονταέτης που ὑπάρχων, καὶ τὴν νέκρωσιν τῆς μήτρας Σάῤῥας. 20 Εἰς δὲ τὴν ἐπαγγελίαν τοῦ Θεοῦ οὐ διεκρίθη τῇ ἀπιστίᾳ, ἀλλ' ἐνεδυναμώθη τῇ πίστει, δοὺς δόξαν τῷ Θεῷ, 21 καὶ πληροφορηθεὶς ὅτι ὃ ἐπήγγελται, δυνατός ἐστι καὶ ποιῆσαι. 22 Διὸ καὶ ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην.

Paraphrasis. Qui (Abraham) contra id quod per leges naturæ sperari poterat, sperans credidit fore ut fieret pater multarum Gentium, secundum id quod a Deo dictum illi fuerat : *Sicut stellarum innumerabilis est multitudo, sic progenies tua erit;* et ut erat fide robustissimus, non respiciebat, quamquam fere centenarius, suum ipsius corpus præ senio ad generandum impotens effectum aut emortuam Saræ vulvam. De promissione autem Dei, non dubitavit incredulus, verum firma fuit fide, Dei omnipotentiam veneratus, quum esset ei plenissimè persuasum, Deum quæ promiserit etiam posse præstare. Talis ergo cum esset ejus fides, ideo hæc illi imputata fuit ad justitiam, ut in Scripturis legitur.

(1) Κατεναντι, pro quo alibi est κατενωπιον, refert Hebraicum לִפְנֵי vel בְּעֵינֵי

℣. 18. *qui contra spem in spem credidit ut fieret pater multarum Gentium).* Hac parte (℣. 18—22) Apostolus describit fidei quam ABRAHAM Deo habuit magnitudinem. Credidit *contra spem* (*παρ᾽ ελπιδα*), i. e. contra id quod secundum naturæ leges (cf. ℣. 19) sperari poterat. *Παρα, contra*, ut Act. XVIII. 13. Rom. I. 26. *Επ᾽ ελπιδι* arcte cohæret cum *επιστευσεν*. Est autem *επ᾽ ελπιδι cum spe* (cf. Nostratium *by hoop*), quo sensu *επι* sumitur Luc. XVI. 26. Sensus est : *sperans credidit ;* dicit ergo *qui contra spem cum spe credidit.* Observandum est in dictione illa *παρ᾽ ελπιδα επ᾽ ελπιδι* elegans quoddam Oxumoron[1]. Quæ sequuntur verba, *εις το γενεσθαι αυτον πατερα πολλων εθνων*, exprimunt *id quod* ABRAHAM *credidit ;* puta Gallice dici : *il crût a ce qu'il deviendrait*, etc[2]. Nimirum quemadmodum infra (Cap. X. 14) hebraizans scripsit *πιστευειν εις τινα* (הֶאֱמִין בְּ), ita hic dixit *πιστευειν εις τι.* Deëst quidem, quod sciam, aliud hujus loquendi rationis exemplum ; sed tamen non dubitaverim quin Præpositio *εις* hic eo quo dixi modo sit sumenda ; nequit enim existimari quod dicta sit aut de *causa finali* aut de *eventu*, quum sic incongruè interrupta esset inchoata fidei ABRAHÆ descriptio. Sensum hujus loci recte sic exposuit TOLETUS : « *Credidisse*, inquit, *contra spem dicitur* (ABRAHAM), *quia credidit futurum id quod naturali via sperari non poterat, et quæ jam ipse desperaverat. Sperare enim desperata seu desperanda, et sperare contra spem, et credere futura quorum nulla erat spes, est* credere contra spem. *Spe ergo humana destitutus per fidem spem concepit divinam et Deo innixam. Is ergo qui omni spe privatus erat et omninò desperaverat, audiens Dei promissionem credidit ipsi, et per fidem speravit futurum quod prius desperaverat et naturali ratione desperandum erat.* »

secundum quod dictum est ei : Sic erit semen tuum). Scripturæ testimonium, quod Apostolus hic allegat, ductum est ex Gen. XV. 5 ; quod cum esset notissimum, brevitatis causâ postremam tantum ejus partem recitat. Locus integer sic ibi legitur : *Eduxitque eum* (Deus) *foras, et ait illi : suspice cœlum, et numera stellas, si potes. Et dixit ei : sic erit semen tuum.* Quæ promissio quamquam litterali verborum sensu ad carnalem ABRAHÆ sobolem est referenda, unà tamen typico sensu ad spiritualem ejusdem sobolem pertinere ex PAULI interpretatione intelligitur. Nam is planè docet, ABRAHAMUM ob Dei illam promissionem credidisse se fore patrem *multarum Gentium ;* hoc autem de multitudine credentium, adeoque de spirituali ABRAHÆ sobole sumendum esse,

---

(1) Ὀξύμωρον (ab οξυς *acutus* et μωρος *stultus*) apud Rhetores sententia ejusmodi est quæ primo aspectu *fatuè* dicta videatur, quum tamen sapienter dicta sit, sed *acutè.*

(2) Præivit hac interpretatione jam THEOPHYLACTUS, (ad Cap. IV. 18) qui præsentem locum reddidit hac periphrasi : ὁς παρ ελπιδα την ανθρωπινην επ᾽ ελπιδι τη Θεια επιστευσεν, ὁτι γενησεται πατηρ πολλων εθνων. h. e. *Qui contra spem humanam in spe divina credidit se fore patrem multarum gentium.*

paulò ante (℣. 16. 17) significaverat. Ceterùm animadvertendum est id quod ad præsentem locum notat Estius : *Sumendum est*, inquit, *promissionem paternitatis spiritualis multarum Gentium* Abrahæ *factam*, *ex ordinatione divina non fuisse præstandam nisi interveniente generatione carnali*, *qua futurum erat ut* Christus (*in quo benedicendæ erant omnes Gentes*) *ex eo secundum carnem nasceretur. Itaque generatio carnalis* Abrahæ *promissa*, *subservivit implendæ promissioni paternitatis ac seminis spiritualis.*

℣. 19. *Et non infirmatus est fide, nec consideravit corpus suum emortuum etc).* Græca hoc loco reddenda sint ita : *Cumque non esset infirmus fide* (h. e. cum esset fide firmississimus [1]) *non consideravit corpus suum emortuum.* — *Ἀσϑενεω imbecillis* vel *infirmus sum.* *Τῃ πιστει* est Dativus *relationis ;* quasi dicas : *quod attinet ad fidem.* Similes Dativos videre est in Ep. ad Philipp. Cap. III. 5 et in 1 ad Corinth. Cap. XIV. 20, et alibi. Dicitur hic Abrahæ corpus *νενεκρωμενον* (q. d. *mortificatum*) propter exstinctam vim generandi ; causa rei additur : *quippe qui esset* (*ὑπαρχων* [2]) *fere* (*που* [3]) *centenarius.* Scilicet agebat tunc Abraham annum nonagesimum nonum. Similiter *ἡ νεκρωσις* (q. d. *mortificatio*) *matricis* (*της μητρας*) Saræ significat exstinctam in illa vim concipiendi. Saræ sterilitatem (Gen. XVI. 1. 2) Apostolus hic non memorat, sed tantùm senilem ejus ætatem. Cf. ad Hebr. Cap. XI. 11.

Quo verò sensu Abraham dicatur non *attendisse animum* (*κατανοειν*) nec ad emortuum *sui ipsius corpus* (*το ἑαυτου σωμα*), nec ad emortuam Saræ matricem sive vulvam, Toletus perspicuè explicat, integri hujus loci sensum sic exponens : « Cum senex esset, inquit, et præ senectute corpus haberet emortuum et jam impotens ad generandum effectum ; cum etiam uxor Sara vulvam emortuam jam haberet et ad concipiendum ineptam, ... nihil horum *consideravit* (*κατενοησε*) ut in fide infirmaretur, a fide recedendo aut dubitando, sed fortis et constans permansit, nullo naturali impedimento quominus Deo promittenti crederet remoratus. Dicitur *non considerasse* corpus proprium emortuum aut vulvam Saræ emortuam, quia nihil horum difficultatem credendi ei ingessit ; *consideravit* quidem ea ad magnitudinem promissionis et divinæ virtutis agnoscendam, quia tamen eum dubitare de promissis non fecerunt, propterea dictus est *non considerasse* hæc. »

---

(1) Pertinet hæc loquendi ratio ad eam figuram dictionis quam λιτότητα vocant, quâque negando contrarium, plus significamus quam dicimus. Eâdem figurâ usus Virgilius dixit (Georg. Lib. 2. ℣. 129) : *miscueruntque herbas et non innoxia verba*, h. e. nocentissima.

(2) Participium in Verbum Finitum vertendum est per *quippe qui*, ut Act. Cap. XXIII. ℣. 18. Participium εχοντα.

(3) Particula enclitica που vim *limitandi* hic habet. Legesis de Enclitica illa Zeunium ad Vigeb. Cap. VII, Sect. XI. IV. p. 456.

℣. 20. *In repromissione etiam Dei non hæsitavit diffidentiâ).* Pro vocula *etiam* est in Græco Particula δε, quæ hic videtur simpliciter valere *autem*, et referenda esse ad sententiam versiculo decimo nono contentam hanc : *Emortuum erat corpus* ABRAHÆ *et emortua vulva* SARÆ. Quare et nova a versiculo vigesimo inchoanda sit periodus. Præpositionem εις dixeris hoc loco valere *ob*, quo sensu εις nonnumquam adhibita legitur; verbi gratia in hoc THUCYDIDIS[1] : Βουλομενος αυτον τοις Πελοποννησιοις ες την αυτου και Αθηναιων φιλιαν ὡς μαλιστα διαβαλλειν. h. e. *Quum maximam ei vellet apud Peloponnenses invidiam conflare ob illius tam cum ipso* (Alcibiade). *quam cum Atheniensibus amicitiam.* Itaque verteris : *Ob promissionem autem Dei* (q. d. quum autem promisisset illi Deus sobolem) *non dubitavit* (ου διεκριθη) *per incredulitatem* (τῃ απιστιᾳ). Ego tamen maluerim vertere : *De promissione Dei*, etc. [2]

Διακρινομαι Med. *secum disceptare*, *dubitare*, cum Aor. 1 Pass. διεκριθην notione *reflexivâ*. Cf. WINER §. 39. 5.—Τῃ απιστιᾳ est Dativus *causæ* vel *instrumenti*. Vox απιστια quum notionem habeat, ut vocant, *abstractam*, Articulum quidem recipere nequit; sed hic vitium απιστιας ex toto genere vitiorum veluti desumtum, definitè tamquam *hæc* vitii *species* cogitatur. Eodem modo Apostolus, adhibito Articulo alibi (Philipp. II. 3) scripsit : τῃ ταπεινοφροσυνῃ αλληλους ἡγουμενοι ὑπερεχοντας ἑαυτων.

sed confortatus est fide, dans gloriam Deo). Græca redderim : *sed fide* (τῃ πιστει) in Dativo *relationis* ut ℣. 19) *firmus fuit* (ενεδυναμωθη). Hanc enim interpretationem postulat ratio oppositionis : *non dubitavit incredulus*, *sed firmiter credidit.* Vulgatæ versio, *sed confortatus est fide*, innuere videtur ABRAHÆ *fidem cepisse incrementum*; atqui de hoc Apostolus in præsenti loco non agit. Ενδυναμοῦμαι *Passivè* est *firmus fio*, Aoristus ενεδυναμωθην *firmus factus sum*, adeòque firmus *sum* vel *fui*, firmum me præstiti[3].—Quod sequitur, *dans gloriam Deo*, eo exprimitur *modus quo* ABRAHAM firmum fide se præstiterit. Quocirca notandum est, dictionem διδοναι δοξαν τῳ Θεῳ, quæ refert Hebraicam (Ierem. XIII. 15) נָתַן כָּבוֹד לַיהוָה, adhiberi de eo qui aut facto aliquo suo, aut sua sentiendi ratione Deum, aut ejus attributum aliquod agnoscit atque honorat. Cf. Iosue VII. 19. 1 Reg. (1 Sam) VI. 5. Joh. IX. 24. Act.

---

(1) Apud VIGERUM Cap. IX. sect. II. IX. Confer etiam Thesaurum HENR. STEPHANI ad vocem εις.

(2) Scilicet fieri potest, ut quemadmodum suprà (℣. 18) dictum fuit πιστευειν εις τι, ubi Præpositio εις inserviebat ad *objectum fidei* significandum, ita quoque hic per εις την επαγγελιαν significetur *objectum dubitationis*; tum verò vertendum sit : *de promissione autem Dei non dubitavit per incredulitatem.*

(3) ESTIUS causas quidem suæ interpretationis non explicavit, tamen in eamdem sententiam præsentem locum exposuit; nam ad verba *confortatus est* dicit : *Id est, firma ac robusta fide suscepit Dei promissionem.* (ad h. l.).

Ap. XII. 23. Ex contexta autem cujusque loci oratione colligendum est, quid aut quale sit id quo *detur Deo gloria*. Sic Abraham hic dicitur *gloriam dedisse Deo*, quod Deo promittenti rem quæ secundum naturæ leges fieri non poterat, firmiter crediderit; nam hac fide *omnipotentiam Dei* agnovit honoravitque, atque ita *gloriam dedit Deo*. Cf. ỷ. seq.

ỷ. 21. *plenissimè sciens, quia quæcumque promisit, potens est et facere)*. Hac parte exponitur *ratio ob quam* Abraham Deo promittenti firmiter crediderit; itaque Participium πληροφορηθεις [1], si in verbum Finitum vertatur, reddendum sit *quia plenissime sciebat eum* (Deum) *posse quod promisit* (ὁ επηγγελται) *etiam præstare* (και ποιησαι). — Πληροφορεισθαι est *plenus fieri*, quod eximiè dicitur *de eo qui rem quampiam habet compertissimam*, qui veluti *repletus est* rei cujuspiam persuasione.— Επηγγελται est forma Perfecti Passiva cum notione Media. Istiusmodi Perfecta Passiva vel in solo libro Actuûm Apostolorum plura occurrunt. Vide Cap. XIII. 6. XX. 13. XXIII. 1. XXV. 22. XXVI. 32. Ceterum Cf. Winer §. 40. 3. — Δυνατος εστι construitur cum Infinitivo Aoristi. Qua de re legesis Winerum §. 45. 8.

ỷ. 22. *Ideò et reputatum est illi ad justitiam)*. Sensus est: Quia talis erat Abrahæ fides, *ideò* fides ejus reputata est illi ad justitiam. Ελογισθη grammaticè quidem dictum est impersonaliter (*het werd hem aangerekend*), logicum tamen *subjectum* ejus verbi est Abrahæ fides talis, qualis hic (ỷ. 18—22) fuit descripta. Itaque διο (*ideò*) refertur ad descriptam illam Abrahæ fidem. Particula και hic ferè valet *vicissim*, ut supra Cap. I. 24; non quod Paulus fidei tamquam cuipiam *merito* adscripserit justitiam, sed quod significare voluit non qualemcumque fidem a Deo *imputari ad justitiam*. Confer quæ de dictione ista *reputari ad justitiam* supra (pag. 113) adnotavimus.

ỷ. 23—25. Non est autem scriptum tantum propter ipsum quia reputatum est illi ad justitiam: 24 sed et propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum, qui suscitavit Jesum

ỷ. 23—25. *Οὐκ ἐγράφη δὲ δι' αὐτὸν μόνον, ὅτι ἐλογίσθη αὐτῷ* [a], 24 *ἀλλὰ καὶ δι' ἡμᾶς, οἷς μέλλει λογίζεσθαι, τοῖς πιστεύουσιν ἐπὶ τὸν ἐγείραντα*

Paraphrasis. Non est autem hoc ipsius tantum causâ scriptum, verum etiam nostri causâ, ut sciremus etiam nobis fidem nostram ad justitiam imputatum iri, si credamus in eum qui suscitavit a mortuis Jesum-Chris-

---

(1) In editione Complutensi editum est και πληροθοφορηθεις· sed est illa conjunctio και ante πληροφορηθεις incertæ auctoritatis. Si sit legenda, dicendum quoque sit, sicut per verba *dans gloriam Deo*, ita et per verba *plenissime sciens*, etc. exprimi *modum quo* Abraham sese fide firmum præstiterit (ενεδυναμωθη); atqui ea quæ ỷ. 21 leguntur talia sunt ut non *modum* quempiam sed *causam* quampiam exprimant. Quare putaverim conjunctionem και non pertinere ad textum, et legendum esse hoc loco ut legitur in Vulgata.

CHRISTUM Dominum nostrum a mortuis, [25] qui traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram.

Ἰησοῦν τὸν Κύριον ἡμῶν ἐκ νεκρῶν, [25] ὅς παρεδόθη διὰ τὰ παραπτώματα ἡμῶν, καὶ ἠγέρθη διὰ τὴν δικαίωσιν ἡμῶν.

TUM Dominum nostrum, qui a Deo Patre traditus fuit ut mortis supplicium subiret ad nostra expianda peccata, et revocatus fuit ad vitam ut nos justificaret.

VARIANS LECTIO.

a) Post αὐτῷ additur εἰς δικαιοσύνην in Codd. D**E et nonnullis Minusculis; item in nonnullis versionibus antiquis; atque ita quoque legerunt CYRILLUS, CHRYSOSTOMUS, THEOPHYLACTUS, et Patres Latini multi; videtur tamen illud εἰς δικαιοσύνην olere glossema.

ỳ. 23—25. *Non est autem scriptum tantùm propter ipsum quia reputatum est illi ad justitiam, sed et propter nos,* etc.). Propositum erat Apostolo (vide suprà ad Cap. III. 31) suam de Justificatione *per fidem et gratis* obtinendâ doctrinam effatis sacræ Scripturæ comprobare. Hoc ergo cum effecisset (ỳ. 3—14) ex iis quæ de ABRAHÆ justificatione in sacris litteris dicuntur, jam, ut omninò firma esset ea probatio, declarat, id quod ibi de ABRAHAMO scriptum erat, scilicet *fidem ejus fuisse illi a Deo imputatam ad justitiam* (ὁτι ελογισθη αυτῳ το πιστευειν εις δικαιοσυνην), non esse *ipsius tantum causâ* (δι' αυτον μονον) ibi scriptum, puta, ut sciremus ABRAHAMUM gratis fuisse justificatum per fidem, verùm etiam nostræ doctrinæ causâ, vel *propter nos* (δι' ἡμας), *quibus* pariter, inquit, fides ad justitiam *imputabitur* (οἱς μελλει λογιζεσθαι), si credamus in eum qui e mortuis resuscitavit JESUM CHRISTUM Dominum nostrum, qui *traditus fuit* in mortem (παρεδοθη) ad peccata nostra expianda (δια τα παραπτωματα ἡμων) et revocatus in vitam (ηγερθη) ut nos justificaret (δια την δικαιωσιν ἡμων).

In dictione τοις πιστευουσιν vim Articuli expresseris si Participii loco adhibito Finito verbo dicas: *si tales simus, qui credamus*, etc. — Παρεδοθη *traditus est*, scil. εις θανατον *ut mortis supplicium subiret.* Traditum autem cogitat hic Apostolus JESUM *a Deo Patre*, secundum illud quod infra (Cap. VIII. 32) dicit: *Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Ceterum confer quæ notavimus ad Act. II. 23, III. 18, et X. 38.—Præpositio δια (ỳ. 25) tam primo quam secundo loco posita de *causa finali* dicta est. Δικαιωσις est *Justificatio activa*, ut infra Cap. V. 18.— Sed hic quæritur cur JESUS CHRISTUS a PAULO dicatur morti traditus *propter delicta nostra*, resuscitatus autem *propter justificationem* nostrâm, quasi mors ejus fuerit tantùm

pro *peccatis* nostris satisfactoria, resurgendo autem meruerit nostram *justificationem*, cum tamen certum sit omne meritum Christi in morte ipsius fuisse completum, ac proinde resurrectione sua nihil meruisse, ut nec adscensione aut ceteris quæ post mortem suam egit. Vide S. Thom. ad Rom. Cap. IV. 25. Ad propositam quæstionem alii aliter respondent; quorum varias sententias Toletus, Estius, alii enarrant. Mihi quidem præ ceteris respondendi modis ille placuit quem Corn. a Lapide hic adhibuit. Is Jesu Christi resurrectionem habet pro *causâ quasi meritoriâ*[1]. « Christus *enim*, inquit, *officium suum et meritum passionis in resurrectione quasi in termino suo absolvit; resurrectio enim fuit terminus et complementum passionis, meritorum, et totius œconomiæ* Christi. *Unde resurrectio et passio censentur unum opus redemptionis, et una actio moralis* Christi *completa, qua simul et semel meruit* Christus *tum remissionem peccatorum, tum justificationem nostram. Sed ob similitudinem*[2] *apposite Apostolus tribuit remissionem passioni, quasi satisfactioni; resurrectioni vero justificationem; quia per resurrectionem, quam suis meritis et virtute propriâ adeptus est* Christus, *factus est plenus redemptor et justificator, utpote victor mortis, et consequenter victor regni peccati et injustitiæ quod mortis erat causâ; tuncque simul induxit regnum vitæ, sanctitatis et justitiæ. Unde post resurrectionem misit Spiritum Sanctum justificatorem, misit et Apostolos, qui vi verbi sui et sanctis Sacramentis a se institutis nos justificarent.* »

---

(1) In Ep. ad Rom. ad h. l. Falsò tamen Cornelius Præpositionem διὰ (seq. Accusat.) ibi dictam putat de *causâ instrumentali*, quasi διὰ hic valeat *per*, et non sit referenda ad *causam finalem*. Conferatur locus parallelus (2 Cor. V. 15): *Pro omnibus mortuus est Christus; ut et qui vivant, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est et resurrexit.*

(2) Cornelius in mente habuerit sequentem S. Thomæ locum (in Ep. ad Rom. Cap. IV. 24): « *Quod propter delicta nostra*, inquit, *sit traditus in mortem. manifestum videtur ex hoc quod sua morte meruit nobis deletionem peccatorum; sed resurgendo non meruit, quia in statu resurrectionis non fuit viator, sed comprehensor. Et ideò dicendum est, quod mors Christi fuit nobis salutaris non solum per modum meriti sed etiam per modum cujusdam efficientiæ. Cum enim humanitas Christi esset quodammodo instrumentum divinitatis ejus, ut Damascenus dicit, omnes passiones et actiones humanitatis Christi fuerunt nobis salutiferæ, utpote ex virtute divinitatis provenientes. Sed quia effectus habet aliqualiter similitudinem causæ mortem Christi, qua exstincta est in eo mortalis vita, dicit esse causam exstinctionis peccatorum nostrorum; resurrectionem autem ejus, qua rediit ad novam vitam gloriæ, dicit esse causam justificationis nostræ, per quam redimus ad novitatem justitiæ.* »

CAPUT QUINTUM.

Argumentum. *Descriptâ jam probatâque nostri Justificationis naturâ, quod scilicet* gratuita *sit contingatque* per fidem, *nunc pergit dicere quam felices sint justificati : Haud amplius jam sumus, inquit, iræ Dei obnoxii, sed per* Jesum Christum *cum Deo reconciliati ejusque filii adoptivi effecti, jam læti exsultamus in spe obtinendæ felicitatis æternæ, quam filiis suis Deus destinavit* (1–3); *quin imo, lætamur de ipsis etiam afflictionibus, quas patimur, quum illæ nobis augeant spem consequendæ vitæ illius æternùm beatæ* (3–5); *nec timendum est ne vana deludamur spe suisque promissis defuturus sit Deus; quippe cujus tantus est amor in nos, ut Spiritum sanctum suum in nos effuderit, nosque quum peccatores adhuc essemus per mortem filii sui secum reconciliaverit* (5–12).—*Post hæc Apostolus, quo illustrius appareat eximium hoc reconciliationis beneficium, distinctius illud explicat, institutâ inter* Christum *et* Adamum *comparatione, qua hujus in genus humanum maleficiis, illius in homines beneficia e regione opponuntur, efficiturque multo plus humano generi profuisse* Christi *gratiam quàm obfuerit* Adami *peccatum* (12–21).

ỳ. 1—2. Justificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum JESUM CHRISTUM: 2 per quem et habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus, et gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.

ỳ. 1—2. Δικαιωθέντες οὖν ἐκ πίστεως, εἰρήνην ἔχομεν [a] πρὸς τὸν Θεὸν διὰ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, 2 δι᾽ οὗ καὶ τὴν προσαγωγὴν ἐσχήκαμεν [b] τῇ πίστει [c] εἰς τὴν χάριν ταύτην ἐν ᾗ ἑστήκαμεν, καὶ καυχώμεθα ἐπ᾽ ἐλπίδι τῆς δόξης [d] τοῦ Θεοῦ.

Paraphrasis. Igitur, justificati per fidem ut consequitur ex præmissa doctrina, haud amplius iræ Dei obnoxii sed cum eo reconciliati sumus per Dominum nostrum JESUM CHRISTUM, per quem nempe tamquam nostri reconciliatorem olim, cum Christiani facti sumus, per fidem obtinuimus gratuitum istud justificationis beneficium, quod nunc possidemus. Sed et lætabundi gloriamur de spe quam fovemus consequendi gloriam illam quam nobis filiis suis adoptivis Deus in æterna beatitudine præparavit.

VARIANS LECTIO.

a) Pro εχομεν est εχωμεν in Codd. ACDIK multisque Minusculis; eamdem lectionem referunt etiam Vulgata aliæque nonnullæ versiones antiquæ, et Patres Græci aliquot. Itaque multis testibus ea lectio commendatur; sed contextæ orationi lectio illa non satis convenire videtur; quare præferendam illi putaverim lectionem εχομεν, præsertim quum et ipsa quoque testes habeat non paucos.

b) Pro *habemus*, quod in Vulgata hoc loco legitur, Græce est *habuimus*, εσχηκαμεν, idque nullâ in Codicibus lectionis varietate. Interpres noster, opinor, putaverit, per verbum Præsentis Temporis hoc loco id exprimi posse quod significatur per Præteritum εσχηκαμεν.

c) Voces τῃ πιστει non leguntur in Codd. BDFG; absunt pariter a versionibus Itala et Æthiopica. Omissæ forsitan fuerint, quod viderentur abundare postquam modò dictum jam esset δικαιωθεντες εκ πιστεως.

d) Post της δοξης additur των υἱων, sed non occurrit græca hæc lectio nisi inter Velesianas tantùm; adeòque nihili facienda est.

ỳ. 1. *Justificati ergo ex fide*, etc.). Dicturus jam est Apostolus de felici sorte justificatorum. Particula οὖν hoc loco simul est et *concludentis* et *sermonem continuantis*. Sensus est: Igitur, ut ex præmissa doctrina consequitur, justificati ex fide, non amplius *iræ Dei* (Cf. ỳ. 9) obnoxii sumus, sed *pacem habemus ad Deum* (εἰρη-

νην εχομεν προς τον Θεον), sive *in pace sumus cum Deo*, idque *per Dominum nostrum* Jesum Christum.

Præpositio *προς* in phrasi Apostoli proprie quidem valet *ad*, *erga*, non verò *cum*, sed tamen sensum hujus Præpositionis hoc loco per *cum* recte expresseris. Scilicet locutus est Paulus more Græcorum, qui in similibus dictionibus adhibere solent Præpositionem *προς*. Exempla dat Fritschius ad h. l.: Diod. Sic. XXI. 12: *Αγαθοκλης πολυν χρονον ειρηνευων προς Καρχηδονιους*. Plato de Republ. V. 445.: *πανταχῆ δε εκ των νομων ειρηνην προς αλληλους οἱ ανδρες αξουσιν*. Herodianus. VIII. 7. *Ειρηνην εχοντες προς Θεους, οὓς ομωμοκατε* (*per quos jurastis*).

Lectioni *εχωμεν* (*habeamus*, h. e. *conservemus*, *retineamus*) præferendam duximus [1] lectionem *εχομεν* (*habemus*), tum quod nihil indicat Apostolum orationem suam jam nunc flectere voluisse ad exhortationem, tum etiam quod tota oratio (1-5) heic ita conformata est ut parænesi congruere minime videatur. Ad hæc, si jam nunc exhortari voluisset, pro *εχειν ειρηνην* adhibuisset aut *κατεχειν* aut *φυλαττειν* aut *τηρειν ειρηνην*, aut simili aliqua phrasi usus fuisset, ut Maier observat [2]. Tandem, si parænetica sit præsens oratio adeòque valeat *pacem servemus cum Deo*, jam id quod sequitur, *per Dominum nostrum* Jesum Christum, necesse sit ut referatur ad *auxilium gratiæ*; atqui non solet Apostolus hac formula gratiæ auxilium indicare.

℣. 2. *per quem et habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus*). Arcte hæc cum præcedentibus cohærent. Sensus est: Per quem *nempe* (*και*) Jesum Christum tamquam nostri reconciliatorem, mediatorem et pacificatorem, olim *fide* (*τη πιστει*) *adepti sumus* (*εσχηκαμεν*) *aditum* (*την προσαγωγην den toegang*) sive admissi fuimus ad consequendam istud justificationis gratuitum beneficium (*εις την χαριν ταυτην*), in quo (*εν ᾗ*) nunc *stamus*, i. e. quod nunc possidemus.—Metaphorica est Apostoli oratio; nam gratiam illam de qua loquitur animo informavit tamquam locum quempiam *ad quem* detur *accessus* et *in quo* deinceps *stetur*.

Particula *και* est hic *distinctius explicantis* quod dictum fuerat (℣. 1): *per Dominum nostrum* Jesum Christum. Belgice dixeris: *door wien wy ja den toegang*, etc. Similem vim *και* obtinet in hoc (Ep. ad Hebr. VI. 7) *δι' οὓς και γεωργειται*.—*Προσαγωγη* est *aditus*, *accessus*, ut Ephes. II. 18. III. 12, a *προσαγειν* quod etiam *intransitivè*

---

(1) In eàdem sententià fuère quoque Salmeron (Disput. 36. in Ep. ad Rom), Toletus (ad h. l.), Estius (ad h. l.), alii.

(2) *Commentar über den Brief Pauli an die Römer* von Dr. Adalbert Maier. Freiburg im Breisgau. 1847. — «Die Kritische Zeugen, *inquit*, machen es unsicher, ob wir hier darstellende oder paränetische Rede haben; gegen das recipirte *εχομεν* hat nämlich die Lesart *εχωμεν* viele Auktoritäten für sich. Doch kann sie aus innern Gründen nicht bestehen, denn schon das Verbum *εχειν* würde sich in Verbindung mit *ειρηνην προς Θεον* zur paränetischen Redeform des Conjunctivs nicht wohl eignen, man müszte eher *κατεχειν*, *φυλασσειν*, *τηρειν*, oder ein anderes gleichbedeutendes Wort erwarten.—

adhibetur de *accedendo*, *appropinquando*, exempli gratia Act. XXVII. 27. — *Τη πιστει* est Dativus *Instrumenti*, pro quo alibi est *δια πιστεως*. Voces *εις την χαριν ταυτην* jungendæ sunt cum *την προσαγωγην*; nam *fidem habere gratiæ* (*τη πιστει εις την χαριν*) alienum sit a loquendi ratione Scripturarum. — *Εχειν* de *nanciscendo obtinendo*, ut Matth. XIX. 16 coll. Marc. X. 17; et ibid. ℣. 21.

et gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei). Pendent hæc non a præcedente sententia relativâ *in qua stamus*, sed a sententia principali (℣. 1): *pacem habemus cum Deo;* ut adeo oratio sic cohæreat: *pacem habemus cum Deo* ET *gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.* Vocem illam *filiorum* non videri ad textum pertinere, jam diximus (Vid. Var. Lect.); sed et si legatur, sensus eòdem recidit; nam *gloria*, de qua hic agitur, profectò alia non est quam ea, quâ Deus justificatos adeoque *filios suos adoptivos* (Cf. Gal. III. 25) in æterna beatitudine est glorificaturus. —

Καυχᾶσθαι de *lætando* sive *exultando* hic dicitur, ut in versione Septuaginta virali Ps. XXXI. 14. ClXL. 5. (*καυχησονται ὁσιοι εν δοξη και αγγαλλιασονται*) ubi *καυχᾶσθαι* respondet verbis הִרְנִין et עָלַז, quæ de *jubilando* et *exsultando* adhibentur. Præpositio *επι* indicat *objectum* istius *καυχᾶσθαι*, ut in Ecclesiastico Siracidis Cap. XXX. 2: *επ' αυτῳ καυχησεται.* Pro *επι* alibi est *εν*, ut statim infra (℣. 3): *καυχωμεθα εν ταις θλιψεσιν.* — *Της δοξης* est Genitivus *objecti*, et *του Θεου* Genitivus *auctoris* sive *originis*, ut Cap. I. 17. Itaque sensus est: *et lætabundi gloriamur de spe quam fovemus obtinendi illam gloriam, quam nobis filiis suis adoptivis Deus in æterna beatitudine præparavit.*

℣. 3 — 4. Non solùm autem, sed et gloriamur in tribulationibus: scientes quòd tribulatio patientiam operatur: 4 patientia autem probationem, probatio verò spem.

℣. 3 — 4. Οὐ μόνον δὲ, ἀλλὰ καὶ καυχώμεθα ἐν ταῖς θλίψεσιν, εἰδότες ὅτι ἡ θλίψις ὑπομονὴν κατεργάζεται, 4 ἡ δὲ ὑπομονὴ δοκιμὴν, ἡ δὲ δοκιμὴ ἐλπίδα.

Paraphrasis. Non solum autem de illa spe lætamur verum etiam de afflictionibus, quas identidem patimur, quippe qui scimus quod afflictio patienter tolerata efficiat constantiam; constantiæ autem actus sæpè repetitus probatam ostendat virtutem, probata autem virtus spem nobis adaugeat illius cœlestis gloriæ obtinendæ.

℣. 3. *Non solum autem, sed et gloriamur in tribulationibus).* Sensus est: *Non solùm autem de spe futuræ gloriæ lætamur, verùm etiam lætamur* (*καυχωμεθα* ut ℣. 2) *de afflictionibus, quas identidem patimur.* Formula ista, *ου μονον δε, αλλα*

και, frequenter a Paulo adhibetur ibi ubi novum quid addit cum gradatione quadam, ut infra ℣. 11; et Cap. VIII. 23; IX. 10, 2 Cor. VIII. 19. Quæ loquendi ratio quum elliptica sit, ubicumque occurrit est aliquid ex præcedentibus repetendum. Ellipsin semel ipse supplevit Apostolus in epistola altera ad Corinthios Cap. VII. 6. 7. : *Αλλ' ὁ παρακαλῶν τους ταπεινους*, inquit, *παρεκάλεσεν ἡμας ὁ Θεος εν τη παρουσίᾳ Τιτου· ου μονον δε εν τη παρουσιᾳ αυτου, αλλα και*, etc.

Afflictiones Apostolus hic cogitaverit maximè eas, quas Christiani Evangelii causâ paterentur. Sic Apostoli (Act. Ap. V. 14) *ibant gaudentes a conspectu concilii, quod digni habiti essent pro nomine* Jesu *contumeliam pati.*

scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem). Hic *causam* exponit *cur* in afflictionibus suis gaudeant justificati; et causa est, quia inde confirmetur illa futuræ gloriæ spes, de qua modo (℣. 2) dixerat : *gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.* Dicit ergo : Lætamur de afflictionibus *quippe qui scimus* (*ειδοτες*) quod afflictio efficiat *constantiam* (*ὑπομονην*), constantia autem ostendat *virtutem probatam* (*δοκιμην*), probata autem virtus nobis augeat illam futuræ gloriæ spem, de qua jam nunc lætamur.

Ὑπομονη notione secundariâ de *patientia* sive *tolerantia* dicitur 2 Cor. I. 6; sed hæc notio præsenti loco non convenit; neque enim nunc agitur *de modo quo* afflictus afflictiones subeat, sed de eo quod efficiant afflictiones in illo qui patienter, ut hic sumitur, eas toleret. Itaque *ὑπομονη* hic significat *constantiam*, qui et primarius est illius vocis significatus, sæpè obvius. Cf. Rom. II. 7. XV. 4. 5. — 1 Thess. 1. 3, alibi. — Si quam afflictionem Christi causâ tibi illatam ita fueris perpessus ut immotus permanseris, hoc ipso præstiteris actum *constantiæ*; hujus autem actûs præstandi *occasio* exstiterit illata afflictio; atque hoc sensu *afflictio* (*θλιψις*) hic dicitur *operari* (*κατεργαζεσθαι*) sive efficere *constantiam* (*ὑπομονην*). Quod si iteratis vicibus istiusmodi constantiæ actum exercueris, ipse tu animum tuum exploraveris, atque ita *constantia* (*ὑπομονη*) effecerit ut explorata tibi probataque sit tua tibi virtus. *Probata* autem *virtus* (*δοκιμη*) gignit spem, excitando eam atque augendo. « Nam, ut Estii verbis hic utar, qui jam expertus est se nullis adversis a justitia et veritate fidei dimotum esse etiamsi variè tentatus sit, hic mirum in modum erigitur animo in spem obtinendæ gloriæ cœlestis. »

Vox *δοκιμη* (in Vulg. hic *probatio*, sed Philipp. II. 22 *experimentum*) hoc loco dicitur de *probata virtute*, ut et 2 Cor. II. 9. IX. 13. Philipp. II. 12.—Quod dicit S. Jacobus (Cap. I. 2) *Probatio* (*το δοκιμιον*) *fidei vestræ patientiam* (*ὑπομονην*) *operatur* minimè est *Paulinæ* sententiæ contrarium. Nam *το δοκιμιον* ibi est (non autem 1 Petr. I. 7) *id quo exploratur vel probatur aliquid*; nam *δοκιμιον* vocat *τους πειρασμους tentationes*; quum verò *θλιψεις* sint *πειρασμοι* idem dicit Jacobus quod Paulus : *ἡ θλιψις ὑπομονην κατεργαζεται.*

ỳ. 5 — 6. spes autem non confundit : quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. [6] Ut quid enim CHRISTUS, cùm adhuc infirmi essemus secundùm tempus pro impiis mortuus est.

ỳ. 5—6. Ἡ δὲ ἐλπὶς οὐ καταισχύνει, ὅτι ἡ ἀγάπη τοῦ Θεοῦ ἐκκέχυται ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν διὰ Πνεύματος ἁγίου τοῦ δοθέντος ἡμῖν· [6] ἔτι γὰρ [a]) Χριστὸς ὄντων ἡμῶν ἀσθενῶν κατὰ καιρὸν ὑπὲρ ἀσεβῶν ἀπέθανε.

Paraphrasis. Illa autem futuræ gloriæ spes non fallit; neque enim promissis suis defuturus est Deus, quippe cujus tantus est amor erga nos ut Spiritum sanctum suum in nos effuderit; nec pepercerit proprio suo Filio, qui, quum peccatores adhuc essemus, constituto tempore pro nobis impiis redimendis mortem est perpessus.

VARIANS LECTIO.

a) Pro ετι γαρ, est in Codd. FG lectio εις τι γαρ, quam lectionem Vulgata nostra refert. Codex B habet ει γε, Codex I autem ει δε. Codices ACD* habent ετι γαρ, repetito ετι post ασθενῶν. TISCHENDORFIUS præsentem locum edidit ut legitur in Complutensi, ετι γαρ Χριστος, non repetito ετι post ασθενῶν, eaque lectio reliquis numero et præstantia testium antecellit, atque eo etiam titulo præferenda sit quod ceteris difficilior est. Nimirum lectionis difficultas causa fuisse potuit cur Librarii, mendum suspicati, textum immutaverint.

ỳ. 5. *Spes autem non confundit.*). Loquitur, ut patet, de spe qua gaudent justificati (ỳ. 3. 4); spes illa, inquit, sperantem *non confundit*, hoc est, non fallit; spe sua non frustrabitur qui ita speraverit. *Causam cur* non sit fallax illa spes, statim addit dicens : *quia charitas Dei*, etc.

Spes *quæ fallit* quempiam, per Metonymiam *effectûs pro causâ*, dicitur cum *confundere*, quia nempe pudore afficitur qui spe sua frustratur. Ceterum hæc loquendi ratio Hebræis propria est ; v. g. Psalm. XXII. (Vulg. XXI.) ỳ. 6 : בְּךָ בָטְחוּ וְלֹא בוֹשׁוּ (Vulg : *in et speraverunt*, *et non sunt confusi*); Psalm. CXIX. (Vulgata CXX) ỳ. 116 : וְאַל־תְּבִישֵׁנִי מִשִּׂבְרִי (Vulg. *et non* (ne) *confundas me ab exspectatione mea*).

quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis). Ratio cur spes illa non confundat sumitur ab amore Dei (ἡ αγαπη του Θεου) erga eos qui justificantur. Genitivus Θεου est *Genitivus Subjecti*. Proprie intelligendus hic est non amor quo Deus diligatur a justificatis sed amor quo illos diligit Deus. Et hoc patet ex logico nexu; quo versus quintus cohæret cum

sequentibus (6—9), qui de amore Dei erga homines dicti sunt manifestò. Nec aliter S. Chrysostomus $\tau\eta\nu$ $\alpha\gamma\alpha\pi\eta\nu$ $\tau o\upsilon$ $\Theta\epsilon o\upsilon$ hoc loco (℣. 5) intellexit[1]. Itaque sensus est: Spes autem illa, inquit, quam fovemus obtinendæ gloriæ cœlestis non est ejusmodi spes quæ fallere possit sperantem; cujus rei argumentum est eximius Dei erga nos amor[2], quem quidem nobis exhibuit dando nobis Spiritum Sanctum, et (℣. 6) Christum filium suum pro nobis tradendo in mortem, quo tempore adhuc eramus ejus inimici.— Illatio autem ex hoc argumento ad probandam thesin (scil. spem illam non esse fallacem) non fit statim, sed ℣℣. 9 et 10, postquam (℣℣. 7 et 8) ostensum est quam sit inauditi exempli amor in Christi morte nobis exhibitus.

Verbum εκχέειν, *effundere*, sumtâ Metaphorâ ab aquarum effusione (Cf. Joh. VII. 38. 39.) *abundantiam* connotans, alibi (Act. II. 33) adhibetur de effuso Spiritu sancto, hic verò de amore Dei abundanter effuso in corda justificatorum *per Spiritum Sanctum, qui datus est eis* quum justificarentur. — Amor Dei erga eos qui justificantur in eo est quod illis donat Spiritum Sanctum; atque hoc sensu hic dicitur *Dei amor effusus in cordibus eorum per Spiritum Sanctum qui datus est eis.* Spiritus Sanctus autem eo sensu intelligitur illis *datus*, ut sit in iis per ενοικησιν, idque modo sibi proprio, Patri et Filio *non communi*; quâ *personali* conjunctione ex impiis effecti fuêre justi et adoptivi filii Dei, ipso Spiritu sancto eos sanctificante[3], suâque in illis præsentiâ eos efficiente divinæ consortes naturæ. Cf. Thomassinum *De Incarnatione Verbi*, Lib. VI. Cap. X et sqq. Eam quam dixi Spiritûs Sancti ενοικησιν perspicuis verbis docet Apostolus (I Cor. III. 16):

---

(1) Hom. IX. in Ep. ad Rom., ubi ad verba, ὅτι ἡ αγαπη του Θεου εκκεχυται εν ταις καρδιαις ἡμων, hæc notat: Ουκ ειπε, δεδοται, αλλ' εκκεχυται εν ταις καρδιαις ἡμων, το δαψιλες εμφαινων. Ὁ γαρ μεγιστον ην δωρον, τουτο εδωκεν, ουκ ουρανον και γην και θαλατταν, αλλ' ὃ τουτων ἁπαντων τιμιωτερον ην, και αγγελους εξ ανθρωπων, και υἱους Θεου και αδελφους του Χριστου κατεσκευαζε. Τι δε εστι τουτο; Το Πνευμα το ἁγιον. Ει δε ουκ εβουλετο μεγαλοις ἡμας μετα τους πονους στεφανοις δωρησασθαι, ουκ αν προ των πονων τοσαυτα εδωκεν αγαθα· νυν δε το θερμον αυτου της αγαπης δεικνυται εντευθεν, ὅτι ουκ ηρεμα και κατα μικρον ἡμας ετιμησεν, αλλ' αθροον την πηγην των αγαθων εξεχεε, και ταυτα προ των αγωνων. Hoc est: «*Non dixit*, data est, *sed* effusa est in cordibus nostris, *largitatem indicans. Quod enim maximum erat donum, hoc dedit, non cœlum, terram et mare, sed quod his omnibus pretiosius est, angelos ex hominibus, filios Dei et fratres* Christi *fecit. Quid hoc est? Spiritus sanctus. Nisi autem vellet nos post labores magnis donare coronis, non ante labores tot bona dedisset; nunc verò amoris sui fervorem per hæc indicat, quod non sensim et pedetentim nos honoraverit, sed fontem bonorum simul dederit, et hoc ante certamina.*»

(2) Huic interpretationi non obstat, quod Patres Tridentini Concilii (Sess. VI. Cap. 7) hunc epistolæ locum videantur referre ad *caritatem hominum erga Deum*, non verò, ut nos interpretati sumus, ad *caritatem Dei erga homines.* « Neque enim, quod sapienter observat Ben. Justinianus (ad h. l.), Patres ullo modo affirmant hoc Paulum sentire, sed ipsius tantum verba usurpant ad id probandum, quod ipsius propositum erat ostendere. Qui igitur ad probandos habitus et qualitates infusas hoc præcipuè testimonio nituntur, viderint ipsi quam apposite argumententur. » Hactenus Justinianus. Confer hic quæ notavimus ad Act. Cap. XX. 28. Tom. 2. p. 156 in subjecta ibi nota.

(3) Tit. III. 5—8.: *Non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum salvatorem nostrum, ut justificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ.*

Nescitis, inquit, *quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis*? et in altera ad TIMOTHEUM (Cap. I. 14): *Bonum depositum*, inquit, *custodi per Spiritum Sanctum, qui habitat in nobis.*

ỷ. 6. *Ut quid enim Christus cum adhuc infirmi essemus*, etc.) Qui Vulgatæ lectionem sequuntur, sensum hujus versiculi reddunt hoc modo: *Cur Christus tanta charitate pro nobis mortuus est, si erat nos deserturus et spem nostram frustraturus*? Sed, ut dixi (Vide Var. Lect.), lectio *εις τι γαρ Χριστος*, quam refert Vulgata, quamquam non omni testimonio destituta est, multò tamen testatior est lectio *ετι γαρ Χριστος*, quam exhibet editio Complutensis. Et hanc lectionem sequentes præsentem locum sic interpretamur: *Nam* (*γαρ*) CHRISTUS *cum adhuc* (*ετι*) *peccatores essemus* (*οντων ἡμων ασθενων*) *tempore divinitùs constituto* (*κατα καιρον*) *pro nobis impiis cum Deo reconciliandis mortem subiit.*

Observandum est, per Particulam *γαρ* alteram hic induci rationem ob quam *spes illa non sit fallax* (ỷ. 5.). Prior ratio inducta fuerat per Particulam ὁτι (ỷ. 5). Agnoscenda ergo hic est variata quodam modo oratio; nam tenor orationis continuæ postulasset ut scriberetur: *Spes autem illa non est fallax*, QUIA *amor Dei erga nos abundanti modo nobis ostensus est*, *et* QUIA CHRISTUS *pro nobis mortuus est cum adhuc essemus peccatores*. Sed Apostolus ita scripsit quasi priorem illam rationem non adduxisset, et solam illam in mente haberet quam secundo loco posuit; ex quo etiam intelligitur quî factum sit ut pro causali ὁτι deinde adhibuerit causalem *γαρ*. Perspicua erit mens Apostoli si versiculos quintum et sextum redegeris in periodos distinctos hos: *Spes autem non confundit*, QUIA *caritas Dei*, etc. *Spes autem non confundit*, NAM *Christus, cum adhuc*, etc.

Superest ut notemus Hyperbaton esse in positione voculæ *ετι*, ut quæ proxime ante voces *οντων ασθενῶν* erat collocanda. Patet hoc ex collato ỷ. 8, ubi Apostolus eamdem sententiam repetit hoc ordine verborum: *cum adhuc peccatores essemus secundum tempus*, *Christus pro nobis mortuus est*. Similem voculæ *ετι* translocationem KYPKIUS (observatt. sacræ ad h. l.) reperit apud ACHILLEM TATIUM (Lib. V. p. 325) in hoc: *Εγω δε ετι σοι ταυτα γραφω παρθενος*, *ego verò adhuc virgo tibi hæc scribo*, ubi *ετι* manifestò ad vocem *παρθενος* pertinet. — *Infirmi* qui hic dicuntur (*ασθενεις*) intelligendi sunt laborantes morbo peccati sive *peccatores* (*ἁμαρτωλοι*); patet hoc ex collato versiculo octavo; nec alii sunt *infirmi*, quam qui mox (ỷ. 6) dicuntur *impii* (*ασεβεις*). *Κατα καιρον* jungendum est cum *απεθανε*. Dicitur *κατα καιρον* (*statuto tempore*) de tempore humani generis redimendi divinitùs constituto. Cf. Gal. IV. 4. Hebr. IX. 26. Pro *κατα καιρον* Apostolus alibi (I Tim. II. 6) eodem sensu dixit *καιροις ιδιοις*. Illud *κατα καιρον* Apostolus addiderit ut innueret CHRISTUM mortem oppetivisse non ex necessitate sed ex voluntate Patris; id quod faciebat ad commendandum Dei amorem, unde argumentum ducebat ad probandum, eam quam justificati fovent spem vitæ æternùm beatæ certam esse minimèque fallacem.

℣. 7—9. Vix enim pro justo quis moritur : nam pro bono forsitan quis audeat mori. 8 Commendat autem charitatem suam Deus in nobis : quoniam cùm adhuc peccatores essemus secundum tempus, 9 Christus pro nobis mortuus est : multò igitur magis nunc justificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum.

℣. 7—9. Μόλις γὰρ ὑπὲρ δικαίου [a] τὶς ἀποθανεῖται· ὑπὲρ γὰρ τοῦ ἀγαθοῦ τάχα τὶς καὶ τολμᾷ ἀποθανεῖν. 8 Συνίστησι δὲ τὴν ἑαυτοῦ ἀγάπην εἰς ἡμᾶς ὁ Θεὸς; [b] ὅτι ἔτι ἁμαρτωλῶν ὄντων ἡμῶν [c] Χριστὸς ὑπὲρ ἡμῶν ἀπέθανε· 9 πολλῷ οὖν μᾶλλον, δικαιωθέντες νῦν ἐν τῷ αἵματι αὐτοῦ, σωθησόμεθα δι' αὐτοῦ ἀπὸ τῆς ὀργῆς.

Paraphrasis. Scilicet ægrè fiet ut quisquam pro viro aliquo probo mortem subire velit; nam pro benefactore suo mori forsitan quis denique sustineat. Exhibet autem nobis Deus suum erga nos amorem ut plane singularem per hoc, quòd Christum filium suum pro nobis mori voluit tunc, quum adhuc peccatores et injusti essemus. Igitur multo potius nunc postquam per ejus sanguinem effecti sumus justi, per eum servabimur a vindictâ in peccatores aliquando exercendâ.

VARIANS LECTIO.

a) Pro ὑπερ δικαιου Syrus hic habet ܚܠܦ ܪ̈ܫܝܥܐ *vice improborum;* sed istiusmodi lectionis ne minimum quidem vestigium in ullo Codice apparet; quare conjecerim Syrum Interpretem quum nequiret ex lectione ὑπερ δικαιοὺ sensum eruere præsenti loco satis aptum, temerè existimasse illud ὑπερ δικαιοὺ mendosè scriptum fuisse pro ὑπερ αδικου.

b) Voces ὁ Θεος non leguntur in Codice B, quæ omissio si non tribuenda sit incuriæ Librarii, tribui poterit ejusdem correctioni. Putaverit contextam orationem (℣. 6—7) postulare ut ibi (℣. 8) non ὁ Θεος sed Χριστος diceretur *commendare suam erga nos charitatem*; quare illud ὁ Θεος omiserit.

c) In Vulgatâ additur hic *secundum tempus*, quod glossema esse videtur ex ℣. 6. In nullo Codice heic κατα καιρον legitur.

℣. 7. *Vix enim* (γαρ) *pro justo quis moritur; nam* (γαρ) *pro bono forsitan quis audeat mori).* Hac parte (7—11) Apostolus Dei amorem extollit augetque hominum comparatione. *Inter homines nempe* (γαρ) *vix fiet*, inquit, *ut quisquam pro viro aliquo probo* (ὑπερ δικαιου) *mortem subire velit; nam* (γαρ) *pro benefactore suo mori forsitan quis denique sustineat.*

Prius γαρ est *illustrantis* id quod modò (℣. 6) dictum fuerat : Christus pro impiis *mortuus est ;* et valet Latinum *nempe*, *videlicet*, *scilicet*, ut sæpe alibi, exempli gratiâ Act. XXIV. 5. Posterius autem γαρ est *confirmantis* præcedentem sententiam : μολις ὑπερ δικαιου τις αποθανειται. Quæ confirmatio sita est in eo quod, si sermo sit de τῳ αγαθῳ, concedatur fieri posse ut pro tali mori quispiam sustineat.—Αποθανεῖται forma est Fut. 2. Med.— Ταχα notat contrarium ejus quod per μολις significatur; reddi possit per *fieri potest.*— Particula και, quam Interpres noster non reddidit, non afficit αποθανειν sed vocem τολμᾷ, quod quidem ipsa jam hujus voculæ positio indicat. Itaque vertendum non est *nam fieri potest ut pro suo benefactore* etiam (και) *mori quispiam sustineat.* Και hic valet Nostratium *nog*, ut si dicas : *Want voor zyn weldoener heeft iemand misschien nog wel den moed van te sterven.* Eâdem potestate vocula και legitur in hoc Polybii (apud Raphel. Adnott. ad h. l.) : περι δε των διαδεξαμενων πως και τολμᾶτε μνημονευειν.

Ceterùm ad rectam hujus loci interpretationem instituendam animadvertendum est :

1° Voces δικαιου et του αγαθου habendas esse tamquam positas non in Genere Neutro, quasi sermo sit de eo quod *justum* aut *bonum* abstracto Nomine vocetur, sed in Masculino Genere, nempe de eo qui *justus* sit aut *bonus ;* neque enim sermo hic est *de rebus* sed *de personis*, ut patet ex contexta oratione ; nam præcesserat (℣. 6) ὑπερ ασεβων απεθανε, et statim sequitur (℣. 8) ετι ἁμαρτωλῶν οντων ἡμων, Χριστος ὑπερ ἡμων απεθανε. 2° Inter voces μολις et ταχα gradationem esse eam quæ sit a difficiliori ad facilius. 3° Gradationem quoque esse inter δικαιου et αγαθου, et eam quidem ut res, de qua sermo est, facilius contingere possit si agatur de τῳ αγαθῳ quam si ageretur de aliquo δικαιῳ. 4° Scribi sine Articulo ὑπερ δικαιου, sed cum Articulo, adeoque definitè, ὑπερ του αγαθου. 5° Vocem αγάθος etiam adhiberi posse de viro *benefico*; quo sensu legitur apud Xenoph. *Cyrop.* Lib. III. 3. : Κύρον ανακαλουντες τον ευεργετην, τον ανδρα τον αγαθον. Alia exempla affert Henr. Stephanus (in *Thes.* ad voc. αγαθος. p. 124). Eodem sensu etiam apud Latinos vox *bonus* in usu erat, ut, verbi gratiâ, in hoc Ciceronis (De offic. Lib. III. Cap. 15) : *Si vir bonus est is qui prodest quibus potest, nocet nemini, recte justum virum, bonum non facile reperiemus.* 6° Articulum nonnumquam ita poni ut vim habeat Pronominis Possessivi, quod factum est, exempli causâ, in Ep. ad Philipp. Cap. I. 23.

℣. 8. *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis*). Antegressæ sententiæ, *vix fiet ut quisquam pro viro probo mortem subire velit ; nam pro suo benefactore mori forsitan quis denique sustineat*, Apostolus statim subjicere potuisset : *Deus autem Christum mori voluit pro nobis non probis*, *non justis*, *sed adhuc peccatoribus et inimicis ;* atque ita effecisset quod volebat, scilicet comparatione hominum extulisset amorem Dei. Verùm utitur hic eâ orationis conformatione, quâ et humano amori opponit amorem Dei, et simul significat hunc amorem esse illo amore multò mirabiliorem.

Vox *Συνιστησι* hic notat *commendat* vel *ut præcellentem exhibet* (Vide ad III. 5); et primum in sententia locum occupat, quia emphasin habet præcipuam; nam emphasis quoque est in voce *ἑαυτου*, ut quâ expressius Dei amor amori opponitur humano. — *Εις ἡμας erga nos. Ετι* refertur ad statum in quo erant justificati antequam justificarentur.

℣. 9. *Multo igitur magis nunc justificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum).* Concludit (*ουν*) argumentando *a fortiori.* Sensus est: Si quo tempore adhuc eramus peccatores tanto nos amore prosequutus est Deus, ut per effusum proprii filii sui sanguinem nos secum reconciliare et justificare voluerit, quanto magis a futurâ Dei vindictâ per Filium ejus servabimur immunes potirique nos faciet promissâ felicitate nunc, quando jam sumus cum eo reconciliati et justificati. — Per dictionem *servari ab irâ* exprimitur heic *modo negativo* speratæ (℣. 2. 5) gloriæ cœlestis acquisitio.

Præpositio *εν* hic dicta est de *instrumento quo. Δι' αυτου*, scil. *Χριστου*. — *Την οργην* eam intelligit Apostolus, de qua supra Cap. II. 8. 9.

℣. 10 — 11. Si enim cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus: multò magis reconciliati, salvi erimus in vita ipsius. 11 Non solùm autem: sed et gloriamur in Deo per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus.

℣. 10 — 11. *Εἰ γὰρ ἐχθροὶ ὄντες κατηλλάγημεν τῷ Θεῷ διὰ τοῦ θανάτου τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, πολλῷ μᾶλλον καταλλαγέντες σωθησόμεθα ἐν τῇ ζωῇ αὐτοῦ· 11 οὐ μόνον δὲ, ἀλλὰ καὶ καυχώμενοι [a] ἐν τῷ Θεῷ διὰ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, δι' οὗ νῦν τὴν καταλλαγὴν ἐλάβομεν·*

Paraphrasis. Nam si quo tempore Deo exosi eramus, reconciliati cum eo fuimus per propitiatoriam mortem filii ejus, multo magis per vitam ipsius salvabimur quippe jam cum eo reconciliati, et non solum cum eo reconciliati, verum etiam de eo, ut de Patre nostro, tamquam filii ejus adoptivi gloriantes per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem nempe nunc illam cum Deo reconciliationem obtinuimus.

VARIANS LECTIO.

Pro καυχωμενοι est καυχωμεν in Codd. FG, et καυχωμεθα in Cod. J multisque Minusculis. Lectionem καυχωμεν pro lapsu Librarii habuerim, quum verbum illud Activâ formâ nuspiam occurrat. Lectio autem καυχωμεθα tribuenda sit correctioni Librarii, qui, quum illud καυχωμενοι difficilem haberet intellectum, mendum suspicatus, pro Participio καυχωμενοι reposuerit verbum Finitum καυχωμεθα, quod intellectum illi præberet faciliorem.

ỷ. 10. 11. *Si enim cum inimici essemus*, etc.). Confirmat (γαρ) superiorem (ỷ. 9) argumentationem distinctius eam exponendo et per antithesin inter εχθροι et καταλλαγεντες clariore in luce collocando, imo et novum (ỷ. 2) sperandi momentum addendo: *Si enim*, inquit, *quo tempore Deo eramus exosi* (εχθροι οντες) *reconciliati fuimus* (κατηλλαγημεν Aor. 2. Pass.) *cum eo* (τῳ Θεῳ. Dativus *communionis*) *per mortem Filii ejus*, *multò magis per* (εν *instrumenti*) *vitam ejus salvabimur* (σωθησομεθα) *utpote reconciliati* (καταλλαγεντες) *jam cum Deo*, *et non solum cum eo reconciliati* (ου μονον δε), *verum etiam de eo*, *ut de Patre nostro*, *tamquam filii ejus adoptivi gloriantes* (καυχωμενοι εν τῳ Θεῳ) *per Dominum nostrum Jesum Christum*, *per quem nempe illam cum Deo reconciliationem* (την καταλλαγην) *nunc obtinuimus.*

Vox εχθροι, *inimici*, Passivo sensu sumenda est; postulat hoc appositum καταλλαγεντες *reconciliati*, imo et contexta oratio (ỷ. 9): σωθησομεθα απο της οργης.— Vocem σωθησομεθα hic (ỷ. 10) reddiderim *salutem* (æternam) *consequemur*, quum non (ut ỷ. 9) addatur απο της οργης. Ceterum, etiam per illud σωθησομεθα απο της οργης Apostolus sibi vult salutem illam, quæ sita est in *gloria filiorum Dei* (ỷ. 2), et cujus obtinendæ spem fovent justificati. Nam si per dictionem illam σωθησομεθα απο της οργης significetur tantum divinæ vindictæ liberatio, nulla sit in sententiâ Apostoli gradatio, adeoque nec ulla argumentatio, quandoquidem *justificati* qui sunt, hoc ipso intelliguntur cum Deo *reconciliati* adeòque nec amplius divinæ iræ obnoxii.—

Vita Christi quæ hic dicitur (εν τῇ ζωῇ αυτου) intelligitur non ejusdem resurrectio, sed vita ejus quam resuscitatus inchoavit gloriosa et immortalis. Mentem Apostoli Nat. Alexander (ad h. l.) mihi videtur rectè exposuisse, dum Pauli verba liberius sic reddit: *Si enim nos Christus Dei Filius reconciliavit Patri pro nobis moriendo cum inimici essemus ejusque iræ ob peccatum obnoxii*, *multo magis reconciliatos salvabit vivens vitâ immortali et gloriosa*, *regnans sine fine*, *sedens ad dexteram Patris et interpellans pro nobis ut advocatus noster. Quid potius agat*, *cui omnis potestas data est*, *quam ut plenâ et perfecta animæ corporisque salute donet eos*, *pro quibus in gratiam Patris restituendis tam multa gessit ac passus est?* «Igitur putaverim id quod dicitur εν τῃ ζωῃ αυτου *per vitam ipsius*, tantumdem hic valere ac *per filium ejus gloriosâ jam et immortali vitâ viventem*, *cui tradita fuit omnis potestas in cœlo et in terra*, *quem judicem constituit omnium*, *quique adeò non denegabit admittere amicos suos in consortium vitæ suæ immortalis*, *pro quibus inimicis vitam suam profudit temporalem.*—

Participium καυχωμενοι (ỷ. 11) pendet a σωθησομεθα non alio modo quam καταλλαγεντες. Itaque verborum structura talis est: σωθησομεθα καταλλαγεντες, ου

μονον δε καταλλαγεντες αλλα και καυχωμενοι κ. τ. λ. Vide paraphrasin. Nam structura esse nequit hæc : *ου μονον δε σωθησομεθα , αλλα και καυχωμενοι.* Ratio est, quia si hoc sibi voluisset Apostolus pro Participio *καυχωμενοι* adhibuisset verbum Finitum. Quod si dicas, fieri posse ut Participium hic verbi Finiti locum teneat, nihil profeceris ; nam etiamsi hoc detur, obstabit tamen quod *καυχωμενοι* verbum est Temporis Præsentis, quum tamen præcedens *σωθησομεθα* verbum postulet Temporis Futuri.

℣. 12. Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.

℣. 12. Διὰ τοῦτο ὥσπερ δι' ἑνὸς ἀνθρώπου ἡ ἁμαρτία εἰς τὸν κόσμον εἰσῆλθε, καὶ διὰ τῆς ἁμαρτίας ὁ θάνατος, καὶ οὕτως εἰς πάντας ἀνθρώπους ὁ θάνατος [a]) διῆλθεν, ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον.

Paraphrasis. Quam ob rem sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum introivit, et per peccatum mors.... Atque ita factum est ut mors in omnes homines pertransierit, quia nempe per unum illum omnes peccaverunt.

VARIANS LECTIO

a) Vox *ὁ θανατος* abest a Codd. DEFG et nonnullis Minusculis, item a versionibus Itala et Syriaca. Legitur autem in Codd. ABC multisque Minusculis et nonnullis antiquis versionibus, item apud CHRYS. et THEOD. (post vocem *διηλθεν*), ut et apud THEOPHYL. et OECUMENIUM. Vocem *ὁ θανατος* hoc loco dubiæ auctoritatis esse dixerim. Ceterum, sive legatur, sive non legatur, sensus eòdem recidit, quum verbi *διηλθεν* aliud non possit esse Subjectum quam *ὁ θανατος*.

℣. 12. *Propterea*). Græce *δια τουτο*. Apostolus in antegressis (1—11) docuerat, uni JESU CHRISTO acceptam esse referendam et nostram cum irato Deo reconciliationem et spem certam vivendi aliquando vitâ æternùm felici. Jam quo magis elucescat illud reconciliationis beneficium, lapsum humani generis in ADAMO comparat cum ejusdem restitutione in JESU CHRISTO. Et *transitio* fit per *δια τουτο*, quod respicit antegressa

(1—11) hoc sensu : *Quum ergo meritoria causa nostræ cum Deo reconciliationis posita sit in uno* Jesu Christo , *ideò hanc observare est ibi similitudinem , ut nempe sicut* unus *fuit humano generi causa perditionis , ita* unus *quoque illi fuit causa salutis* [1] . *Δια τουτο* Belgice hic reddiderim *daarom* vel *derhalve* , et Gallicè *c'est pourquoi* vel *ainsi donc.*

sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit , et per peccatum mors). Protasin audivisti [2], Apodosi autem sive *redditione* hæc oratio caret ; id quod Origenes jam adnotavit [3] : « Priusquam , inquit , ad explanationem totius capituli veniamus , pauca de eo , qui videtur in consequentibus ipsius aliquo defectu dicenda sunt. Ubi enim dicitur *propterea sicut ,* necessarium videtur quod addi debeat adimpletio quædam ut et ipse in nonnullis aliis locis scribit , verbi gratiâ , cum dicit [4] *sicut in* Adam *omnes moriuntur , ita et in* Christo *omnes vivificabuntur.* Hic autem cum dixerit *sicut per unum hominem peccatum introivit in mundum et per peccatum mors ,...* non retulit , ut diceret, verbi causâ : *ita et per unum hominem justitia introivit in hunc mundum , et per justitiam vita...* Hoc enim videbatur propositi eloquii sensus expetere , secundum ea quæ in aliis ipse proloquitur. Neque enim multum differt illud quod alibi [5] dicit : *sicut enim in Adam omnes moriuntur ,* et quod hic dicit : *propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum introivit et per peccatum mors ;...* et iterum quod dixit : *ita et in* Christo *omnes vivificabuntur* [6] , nihil differt ab eo sensu , quem supra deesse elocutioni diximus et intellectui legentis relictum. »

Ergo anacoluthica ibi (℣. 12) est Apostoli oratio , quum ipsa res comparata non exprimatur , sed tantum id quocum comparatio instituitur. Similia *ανανταποδοτα* habes Matth. XXV. 14 et 1 Timoth. I. 3. Ut plena esset Pauli oratio absolutaque comparatio , adjiciendum foret : *ita et per unum hominum justitia introivit in hunc mundum , et per justitiam rediit vita.*

Fuêre tamen interpretes [7] qui existimarent orationem Apostoli Apodosi minime carere continerique ipsis verbis proximè insequentibus : *et ita in omnes homines mors pertransiit , in quo omnes peccaverunt.* Sed si hoc Apostolus sibi voluisset , scripsisset , opinor,

---

(1) Simili modo Soto (ad h. l.) seriem orationis hic constituit : « *Sed et nexum verborum*, inquit, *quam sit concinnus , perspice. Cum enim de pace dixisset (℣. 1), qua per fidem Christi potiti sumus , bellum autem nobis prævaricatio Adæ conflaverit , optimè subjungit ,* propterea , *id est , si pacem per Christum , et , quæ filiorum Dei est , spem adepti sumus (℣. 2) , consequens fit , ut sicut per unum hominem ,* etc. »

(2) Quæ ibi insequuntur verba ista , *et ita in omnes homines mors pertransiit , in quo omnes peccaverunt* , ad Protasin non pertinent , ut infra sumus dicturi.

(3) Commentar in Ep. B. Pauli ad Rom. Lib. V. 1.

(4) 1 Cor. XV. 22.

(5) 1 Cor. XV. 22.

(6) ibid.

(7) Stapulensis , Benecke , alii.

non *et ita* (*καὶ οὕτως*), ut fecit, sed *ita et* (*οὕτως καὶ*). Cf. Rom. V. 15. 18. 19. 21 ; VI. 4. 1 Cor. XV. 22. XVI. 1. et 2 Cor. VII. 14. Age verò, absolvamus orationem sicut volunt illi : *sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit et per peccatum mors*, (et) *ita in omnes homines mors pertransiit.* Comparationem, inquiunt, hic instituit Apostolus. Audio. Utique comparationem instituit; atque hoc ipsum est quod obstat vestræ sententiæ; nam si, quod vos vultis, alterum comparationis membrum heic sit illud *ita in omnes homines mors pertransiit*, nulla ibi erit comparatio, nisi forte statuatur in hoc, quod sicut mors *in mundum* intravit, ita et *in omnes homines* pertransierit; in quo ego quidem comparationem aliquam frustrà quæro. Adesset comparatio aliqua, si diceretur *sicut mors introivit in* ADAMUM, *ita et in omnes homines pertransiit*; sed neque dicitur hoc, nec verò omninò potuit ibi hoc sibi velle Apostolus, quippe cujus institutum non erat, conferre ingressum mortis *ad unum* cum ejusdem ingressu *ad omnes*, sed comparare *per opposita* primum hominem cum secundo, ADAMUM cum CHRISTO, quod quidem ex insequentibus patet manifestò. Confer ỷỷ. 15-20. Quâ unâ observatione[1], ut alia argumenta deëssent, jam satis refellitur etiam interpretatio ERASMI, qui statuit Apodosin esse in verbis *et per peccatum mors*, ut sensus sit : *Sicut per unum hominem peccatum in mundum intravit, ita et per unum hominem intravit mors.*

Alii interpretes[2] existimarunt Apodosin versiculi duodecimi haberi demum versiculo decimo octavo; ibi enim *resumi* prius comparationis membrum de ADAMO, et reddi alterum de CHRISTO; quæ vero inde a versiculo decimo tertio usque ad decimum octavum leguntur, ea pro parentheticis sententiis habenda esse omnia.—Verùm hæc sententia stare nequit; nam, ut taceam sic admittendam ibi fore parenthesin inauditæ prolixitatis ipsaque interjecta illa verba indolem parentheseos nequaquam referre, obstat huic sententiæ quod, Vers. decimo quinto dicere pergat Apostolus *sed non sicut delictum, ita et donum*, quo ostendit eam quam volebat instituere comparationem, jam in antegressis fuisse propositam; nam per sententiam istam, *sed non sicut delictum, ita et donum*, ulterius progreditur ad docendum, quamquam ADAMUS cum CHRISTO hactenus comparari possit quod sicut UNUS omnibus nocuisset ita quoque UNUS omnibus profuisset, tamen magis profuisse gratiam CHRISTI quam nocuisset peccatum ADAMI[1]. Præterea obstat etiam huic sententiæ, quod versiculus decimus octavus cum decimo septimo arctissimè cohæret; nam Particula *ἄρα*, quæ ibi legitur, *concludentis* est ex proxime præcedentibus; quod si *resumere* hic voluisset Apostolus prius illud (ỷ. 12) comparationis suæ membrum de CHRISTO, ut volunt pa-

(1) Hac observatione refellitur etiam sententia WINERI (*Grammatik des neutestamentlichen Sprachidioms.* § 64) existimantis per verba versiculi decimi quinti ista, *si enim unius delicto*, etc. resumi prius comparationis membrum de ADAMO.

(2) CAJETANUS (ad h. l.), GROTIUS, FLATT, alii.

troni sententiæ de quâ nunc agimus, non ἄρα scripsisset sed ουν, quæ Particula *resumentis* est qualisque non est Particula ἄρα.

Alii[1] sentiunt versiculo duodecimo contineri non orationis Protasin sive prius comparationis membrum, sed posterius; prius autem contineri putant verbis (ỳ. 11) *per quem nunc reconciliationem accepimus;* ut adeò sensus sit: *per quem nunc reconciliationem accepimus, sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit*, etc.—Sed si hoc, quid fiet voci *propterea* (δια τουτο), quam oblitterare non licet. Sunt verò etiam qui dicant[2] sententiam Apostoli ita esse sumendam, ut post δια τουτο mente ex ỳ. 11 suppleatur ελαβομεν την καταλλαγην δι' αυτου, adeòque plenis verbis legatur sic: δια τουτο ελαβομεν την καταλλαγην δι' αυτου, ὥσπερ δι' ἑνος ανθρωπου ἡ ἁμαρτια εις τον κοσμον εισηλθε. Sed tam est violenta isthæc suppletio, ut nihil magis; imo nec præcessit ελαβομεν την καταλλαγην δι'αυτου, sed præcessit sententia relativa hæc: δι' οὗ την καταλλαγην ελαβομεν. Accedit quod, si post locutionem *demonstrativam* δια τουτο suppleatur ελαβομεν την καταλλαγην δι' αυτου, illa locutio jam nihil amplius habeat quod *demonstret;* cumque in isthac oratione, *propterea reconciliationem accepimus per eum, sicut*, etc., locutio δια τουτο notionem *causalem* habere nequeat, jam prorsus fiet otiosa.

Wettius[3] opinatus est Paulum *posterius* tantum comparationis membrum heic voluisse exprimere, *prius* autem reliquisse ex præcedentibus supplendum a lectore. — Sed si per ea quæ præcedunt verba ista, *per quem nunc reconciliationem accepimus*, Apostolus voluisset inducere lectores ad instituendam comparationem, addidisset certe voculam *unum* dixissetque *per quem* unum *nunc reconciliationem accepimus*, ut hâc voculâ veluti moniti lectores, ad supplendum tacitum illud comparationis membrum animum adverterent. Nam quis tandem sibi persuaserit, Apostolum alterum illud comparationis membrum ne uno quidem verbo voluisse indicare sed supplendum permisisse sagacitati lectoris, quando tantâ verborum ubertate ipsam illam comparationis partem mox (ỳ. 16 — 18) erat explicaturus?

Omnium optima et rectissima, ut ego arbitror, est sententia Toleti, statuentis, comparationem versiculo duodecimo institutam carere altero membro sive Apodosi quæ quidem eâ orationis *formâ* exprimatur qua expressa erat Protasis; attamen, quod attinet *ad rem* in altero illo membro sive Apodosi exprimendam, non omninò deesse alterum

(1) Apud Card. Toletum (ad h. l.), alii.

(2) Koppe, alii.

(3) « Man irrt, inquit (ad h. l.), wenn man meint, es müssten zwei Vergleichungsglieder bestimmt gedacht, wo nicht ausgesprochen seyn. Das erste ist verschwiegen, wie wenn wir sagen werden: *demnach so wie*, und es wird dem Leser überlassen aus dem einen Vergleichungsgliede das ganze Vergleichungsverhältniss zu entnehmen. »

illud comparationis membrum, sed exprimi per adjectam (℣. 14) sententiam, *qui* (Adam) *est typus futuri hominis* Christi.

« *Similitudo est*, inquit Toletus [1], *in modo reparationis et eversionis humanæ in eo, quod sicut* unus *reparavit, ita* unus *evertit humanum genus.* Paulus *autem hanc posteriorem partem similitudinis non expressit; non enim addidit*, ita per unum hominem justitia intravit, *sed tamen aliis verbis eam indicavit*; *nam post expositam partem* Adæ *adjunxit* (℣. 14) qui est forma futuri, *ac si diceret;* ita per unum futurum hominem, qui Christus est, intravit justitia et vita in omnes. *Unde non est necesse supplere*, etc. »

Ergo rem sic habeto : Scripto mandaverat Apostolus instituendæ comparationis membrum prius hâc protasi contentum : *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit et per peccatum mors* [2]. His autem cum statim adderet *causam* ob quam mors in omnes esset diffusa (*et ita in omnes homines mors pertransiit*, in quo omnes peccaverunt), et porrò (℣℣. 13. 14) etiam ostenderet legitimam esse causam quam assignasset, factum est inde, ut ob turbatam sic constructionem Grammaticam jam non posset inchoatæ (℣. 12) comparationis Apodosin (*ita et per unum hominem justitia in mundum intravit et per justitiam vita*) orationi proximè præcedenti recte subjungere. Quare omiserit Apodosin qualem quidem Protasis requirebat; *rem* tamen in illa Apodosi exprimendam non omisit, sed expressit per sententiam illam relativam (℣. 14) : *qui* (Adam) *est typus illius, qu veinturus erat, secundi* Adami, *sive* Christi (ὅς ἐστι τυπος του μελλοντος). Et verò dum Christum dicit Adæ antitypum, hoc ipso Christum exhibet justitiæ et vitæ auctorem sicut peccati et mortis Adamum.

per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit). Quod dicit Apostolus *per unum hominem*, primum genitorem nostrum Adamum significat, ut patet ex versu 14, ubi peccatum, de quo hic agitur, Adamo tribuit; idem inde etiam probatur, quòd in priore epistola ad Corinthios (Cap. XV. 22) aperte dicit : *Sicut* in Adam *omnes moriuntur, ita* et in Christo *omnes vivificabuntur.* Nec contrarium est quod in libro Ecclesiastico (Cap. XXV. 33) legitur : *A muliere initium factum est peccati, et per illam omnes morimur* ; nam rectè dicitur initium peccati factum esse a muliere, *quippe quæ prius peccaverit quam* Adam *eidemque causa exstiterit patrandi peccatum* illud, per quod morti obnoxii nascuntur homines quicumque *secundum seminalem rationem*, ut loquuntur Theologi [3], ab eo descendunt [4]. Hoc autem Adæ peccatum, quod ita

(1) Commentar. in Ep. ad Rom. ad h. l.

(2) His verbis, nec pluribus, Protasis hujus orationis continetur integra; quæ verò ibidem statim insequuntur verba ista, *et ita in omnes homines mors pertransiit in quo omnes peccaverunt*, haberi nequeunt pro parte Protaseos; et ratio est, quia nequeunt efficere partem institutæ comparationis.

(3) Cf. S. Thom. 1. 2. q. 81. Art. IV.

(4) Trident. Synod. Sess. V. Decretum de peccato originali. «*Si quis hoc* Adæ *peccatum, quod origine unum est, et propagatione, non imitatione transfusum omnibus*, etc. *Declarat tamen hæc ipsa sancta Synodus, non esse suæ intentionis, comprehendere in hoc decreto ubi de peccato originali agitur, beatam et immaculatam virginem Mariam, Dei genitricem.*

causa mortis est omnibus, quum propagatione, quæ absque Eva fieri non poterat, omnibus transfundatur, rectè quoque ibidem dicitur: *et per illam* (primam mulierem) *omnes morimur*. Sed tamen Apostolus, quum hoc epistolæ suæ loco *causam* assignaret transfusi omnibus peccati Adami, sicut dixit *per unum hominem*, ita dicere non poterat *per unam mulierem*. Ratio est, quia principium generationis efficiens est vir non mulier, ut cui ibi non competit nisi ratio principii passivi et materialis, ut docet S. Thomas: *Manifestum est*, inquit [1], *quod principium activum in generatione est a patre, materiam autem mater ministrat. Unde peccatum originale non contrahitur a matre, sed a patre; et secundum hoc, si,* Adamo *non peccante,* Eva *peccasset, filii originale peccatum non contraherent; e converso autem esset, si* Adam *peccasset, et* Eva *non.* Et (*ibid.*) in responsione ad primum: *Dicendum est*, inquit, *quod in patre præexistit filius sicut in principio activo, sed in matre sicut in principio materiali et passivo.* In eamdem sententiam loquitur in Commentario suo ad præsentem Pauli locum: *Cum peccatum originale,* inquit, *traducatur simul cum natura, sicut per virtutem activam viri, muliere materiam ministrante, natura traducitur, ita et peccatum originale. Unde et si* Adam *non peccasset,* Eva *peccante, non per hoc fuisset peccatum traductum ad posteros. Illa enim est causa quare* Christus *peccatum originale non traxit, quia ex sola femina sine virili semine carnem accepit.*

Ceterum, illud *per unum hominem* Apostolo tantumdem est ac *unius delicto* (℣. 17), aut *per unius delictum* (℣. 18), aut denique *per inobedientiam unius* (℣. 19).

peccatum). Græcè ἡ ἁμαρτια. Articulus ibi *demonstrat* unicum illud in suo genere peccatum, de quo hic sermo erat futurus. *Peccatum*, quod hic dicitur, peccatum proprie dictum intelligitur, non verò aut pœna peccati, aut obligatio ad pœnam peccati subeundam sive pœnæ reatus. Nam Apostolus mortem tamquam pœnam peccati ab ipso peccato perspicuè distinguit; *Et per peccatum mors*, inquit; et mox, ideò omnes morti obnoxios pronunciat *quia omnes peccaverunt;* et post pauca, docet (℣. 9) per illud peccatum de quo loquitur, *peccatores* esse constitutos omnes. Denique, *peccatum*, quod hic dicitur, hoc sensu sumendum esse Tridentini Patres declararunt: *Si quis asserit*, inquiunt [2], ... *inquinatum illum* (Adamum) *per inobedientiæ peccatum, mortem et pœnas corporis tantùm in omne genus humanum transfudisse, non autem et peccatum, quod mors est animæ, anathema sit: cum contradicit Apostolo dicenti: per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors: et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Idem hoc diserte quoque docent, ubi [3] dicunt: *Si quis per* Jesu Christi *Domini nostri gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet... anathema sit.* Quare firmissime tenendum et principii loco habendum est, peccatum, de

(1) Sum. 1. 2. q. 81. Art. 5.

(2) Sess. V. *Decretum de peccato originali.*

(3) Ibid.

quo agit Apostolus, h. e. peccatum originale, ut statim sumus probaturi, ejusmodi esse ut (priusquam baptismate tollatur) veram et propriè dictam peccati rationem habeat.

Sed jam videndum est *quale* peccatum hic ab Apostolo intelligatur. Ergo intelligitur non Adæ illud inobedientiæ (℣. 19) peccatum *actuale*, qua tale, sed peccatum illud quod, ipso peccante, per ipsum in ipso peccavit natura quam gerebat humana; uno verbo, non intelligitur *peccatum personæ*, sed *peccatum naturæ* [1]; quod quidem naturæ peccatum Theologi *originale* vocant, quia inde a primo sui ortu ipsâque sui origine homo illud contrahit. In Scripturis quidem neutra harum denominationum legitur, sed tamen utraque omninò est ad mentem Pauli, quippe qui docet [2], homines esse naturâ (φυσει) *filios iræ*, h. e. iræ divinæ obnoxios, utique non aliâ de causâ nisi ob peccatum illud *humanæ naturæ*, quam culpæ ream generatione sui sive *origine* quivis homo personaliter participat. Ceterùm, *peccatum* (ἡ ἁμαρτια), quod hic dicitur, non esse *peccatum Adami actuale*, qua tale, id quidem ipsa contexta oratio perspicuè docet; sermo enim est de ejusmodi peccato, quo factum est, *homines ut peccatores constituerentur omnes* (℣. 19). Atqui ejusmodi peccatum esse nequit peccatum *actuale* qua tale; nam actus peccaminosus meus nequit idem esse actus peccaminosus tuus. Relinquitur ergo ut peccatum (ἡ ἁμαρτια) quo *peccatores* constituti sunt omnes, peccatum sit non *personæ* sed *naturæ*.

Hoc ergo naturæ peccatum, quod in primo sui ortu homo contrahit, ideòque *originale* dicitur, hic ab Apostolo vocatur ἡ ἁμαρτια (*peccatum*); qua tamen voce, (ἡ ἁμαρτια), quod notandum est, etiam utitur [3] ad significandam *concupiscentiam* vel *fomitem*, quæ remanet in renatis ad luctam. « *Manere autem in baptizatis concupiscentiam vel fomitem*, *hæc sancta Synodus* [4] *fatetur*, *et sentit*: *quæ cum ad agonem relicta sit*, *nocere*, *non consentientibus sed viriliter per* Christi Jesu *gratiam repugnantibus non valet*: *quinimo*, *qui legitime certaverit*, *coronabitur*. *Hanc concupiscentiam*, *quam aliquando Apostolus peccatum appellat*, *sancta Synodus declarat Ecclesiam Catholicam numquam intellexisse peccatum appellari*, *quod vere et propriè in renatis peccatum sit*, *sed quia ex peccato est*, *et ad peccatum inclinat*. »

in hunc mundum intravit). Sic Interpres noster reddidit Græca εἰς τον κοσμον,

---

(1) Hac denominatione etiam S. Thomas utitur (in Commentario ad h. l.) « *Dicendum est*, inquit, *quod sicut peccatum actuale est* peccatum personæ, *quod per voluntatem personæ peccantis committitur*, *ita peccatum originale est* peccatum naturæ, *quod per voluntatem principii humanæ naturæ commissum est* » Præiverat jam S. Augustinus: *Cum* Adam, inquit, *peccavit*, *natura in illo tota peccavit*. Quæ verba Dominicus soto (in Ep. ad Rom. Cap. V. ℣. 12 sic explicat: *Cum* Adam, inquit, *non solum tota tunc esset natura humana*, *verum sementis seminatioque ipsius*, *ut in cujus lumbis*, *totum genus nostrum virtute latebat*, *transgressione illâ primâ præcepti sub mortis interminatione toti naturæ positi*, *totam secum naturam vitiavit*, *in mortemque ac mortalium miserias adegit*.

(2) Ephes. II. 3. *Eramus naturâ filii iræ*, *sicut et ceteri*.

(3) v. g. infra Cap. VI. 12.

(4) Trident. Sess. V. *Decretum de peccato originali*.

et recte quidem, ut mihi videtur; nam cum audio *in hunc mundum*, cogito *in hunc orbem*, sive *in orbem terrarum*. Neque enim putaverim, quod plerique hic notant[1]), Apostolum per εις τον κοσμον sibi voluisse *omnes mundi homines*; ratio est, quia sic tautologica foret ejus oratio, quum mox dicatur *et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.*

Itaque dixerim esse in oratione Apostoli agnoscendam quamdam veluti gradationem, et quidem talem, ut dicat *per unum hominem peccatum et per peccatum intentata peccato mors intrarunt*[2]) *in orbem terrarum ubi antea non erant*, *et sic*, i. e. propter nexum illum inter peccatum et mortem peccati pœnam, *in omnes homines mors pertransiit*, *quia omnes per illud peccatum constituti fuêre peccatores.*

et per peccatum mors). Scil. *in hunc mundum intravit*, quod ex antegressis hic mente supplendum est. Præpositio δια nexum exprimit *causalem* inter peccatum et mortem. Intelligitur ergo mors qua est pœna peccati. Sed quum vocabulum hoc *mors* in Scripturis adhibeatur et de morte *physicâ*, sive *corporali*, et de morte *spirituali* sive *animæ*[3]), et denique de *morte æterna*[4]), merito quæritur, de quanam morte in præsenti loco agatur. Dicendum autem est, ut mihi quidem videtur, in hisce verbis Apostoli *et per peccatum mors*, indigitari *mortem physicam* tantùm, eamque in pœnam peccati non primo homini qua tali, sed universo humano generi statutam. Nam de physica morte tantùm sermonem hic esse, id quidem certò colligitur ex contexta oratione (ỳ. 14), ubi Apostolus ad ostendendum mortem, de qua loquitur, non esse pœnam peccatorum actualium, argumentatur inde quòd illa mors ne infantibus quidem pepercerit; quæ argumentatio nulla sit, si de *corporali* morte non agatur[5]). Et confirmari potest, quod dicimus, ex loco parallelo qui legitur in priore ad Corinthios (Cap. XV. 21. sq.): *Quoniam quidem*, inquit Apostolus, *per hominem mors*, *et per hominem resurrectio mortuorum.*

---

(1) E. g. Estius (ad h. l.): « *Mundum*, inquit, *exponimus universum genus humanum, id est, omnes homines ex* Adam *carnaliter propagatos.*

(2) *Peccatum* et *mors* (ἡ ἁμαρτια et ὁ θανατος) per prosopopœiam tamquam personæ sistuntur. Cf. ỳ. 17. 21. 21. VI. Sapient. Cap. II. 24: *Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum* (εισηλθεν εις τον κοσμον).

(3) v. g. infra Cap. VII. 10. 11.; 2 Cor. III. 7. Jacob. 1. 15.

(4) 2 Cor. II. 15. 16.

(5) S. Chrys. Hom. X.: Ει γαρ εξ ἁμαρτιας ὁ θανατος την ριζαν εσχε, νομου δε ουκ οντος ἡ ἁμαρτια ουκ ελλογειται, πως ὁ θανατος εκρατει; Ὁθεν δηλον, ὁτι ουχ αὑτη ἡ ἁμαρτια ἡ της του νομου παραβασεως, αλλ' εκεινη ἡ της του Αδαμ παρακοης, αὑτη ην ἡ παντα λυμαινομενη. Και τις ἡ τουτου αποδειξις; Το και προ του νομου παντας αποθνησκειν. Εβασιλευσε γαρ ὁ θανατος, φησιν, απο Αδαμ μεχρι Μωϋσεως, και επι τους μη ἁμαρτησαντας. h. e. *Si enim ex peccato mors radicem habuit, et si non exstante lege peccatum non imputatur, quomodo mors dominabatur? unde palam est, non peccatum illud, quod est legis transgressio, sed illud* Adami *peccatum inobedientiæ, ipsummet fuisse quod omnia perdidit. Et quænam hujus rei probatio est? Quod ante legem omnes morerentur. Regnavit enim mors, inquit, ab* Adam *usque ad* Moysen *etiam in eos, qui non peccaverunt.* »

Et sicut in Adam *omnes moriuntur*, *ita et in* Christo *omnes vivificabuntur*; nam ibi oppositionis ratio perspicuè declarat, mortem quam Adami peccatum omnibus attulisse ibi dicitur, intelligendam esse mortem corporalem.

Operæ pretium fuerit hic recitasse ea quæ S. Thomas de morte physicâ, peccati pœnâ, in Commentario suo ad præsentem Apostoli locum adnotavit: *Videtur autem*, inquit, *quod mors non sit ex peccato, sed magis ex natura, utpote proveniens ex necessitate materiæ. Est enim corpus humanum ex contrariis compositum; unde est naturaliter corruptibile. Dicendum est autem quod natura humana dupliciter potest considerari: uno modo secundum principia intrinseca, et sic mors est ei naturalis: unde* Seneca *dixit quod mors natura est hominis non pœna; alio modo potest considerari natura hominis secundum quod per divinam providentiam fuit ei per justitiam originalem provisum. Quæ quidem justitia erat quædam rectitudo, ut mens hominis esset sub Deo, et inferiores vires essent sub mente, et corpus sub anima, et omnia exteriora sub homine; ita scilicet, quod quamdiu mens hominis Deo subderetur, vires inferiores subderentur rationi, et corpus animæ indeficienter ab ea vitam recipiens, et exteriora homini, ut scilicet omnia* (illi) *servirent, et nullum ex eis nocumentum sentiret. Hoc autem Providentia divina disposuit propter divinitatem animæ rationalis, quæ cum naturaliter sit incorruptibilis debebatur sibi incorruptibile corpus; sed quia corpus quod est ex contrariis compositum, oportebat esse organum sensûs, et tale corpus secundum naturam suam incorruptibile esse non potest, supplevit potentia divina quod deerat naturæ humanæ, dans animæ virtutem continendi corpus incorruptibiliter; sicut faber, si posset, daret ferro ex quo cultellum fabricat, virtutem ut rubiginem nullam contraheret. Sic ergo postquam mens hominis per peccatum est a Deo aversa, amisit virtutem continendi inferiores vires, et etiam corpus et exteriora, et sic incurrit mortem naturalem a causis intrinsecis, et violentiam ab exterioribus nocumentis.* »

et ita in omnes homines mors pertransiit, etc.). Hæc verba, ut suprà jam diximus, non sunt pars Protaseos, neque ad institutam comparationem pertinent. Exponit autem hic Apostolus *quâm ob causam* peccatum (ἡ ἁμαρτια) et mors, quæ per unum hominem in orbem introierant, omnes homines pervaserint; quam quidem causam sitam esse docet in *eo quòd* (ἐφ' ᾧ) *omnes peccavissent.*

Demonstrativa illa locutio και οὑτως (*et ita*) respicit id quod modò dixerat *et per peccatum mors*; quibus verbis docuerat nexum *causalem* inter peccatum illud et mortem; ut adeò Apostolus hic sibi voluerit: *et quia* (ἐφ' ᾧ) *omnes peccaverunt, ideò mors in omnes pertransiit.* Cum autem illud *peccaverunt* referri nequeat ad peccata actualia aut personalia, ut deinceps sumus probaturi, relinquitur ut referatur ad peccatum illud quo in Adamo et per Adamum peccavit natura humana. Unde consequitur, eatenùs hic dici omnes homines peccavisse, quatenus omnes vitiatam per Adamum naturam humanam participant, quod quidem fit per propagationem; adeoque ex his verbis Apostoli

planè id consequitur quod idem alibi manifesto proloquitur ubi dicit (Ephes. II. 3.) *esse nos* NATURÂ (*φυσει*) *filios iræ*. Atque hoc ipsum est quod Patres Tridentini docuerunt, declarantes ADÆ *peccatum quod origine unum est et* PROPAGATIONE *non imitatione transfusum omnibus, inesse unicuique proprium.*

in quo). Græce *ἐφ᾽ ᾧ*, quod jam semel et iterum in præsenti disputatione reddidi per *quia* vel *eo quòd.* Quâ in re cum a vulgari ejus locutionis interpretatione recesserim, quod quidem nonnullis hoc præsertim in loco videri possit factum audacius, duo mihi præstanda esse video: et vulgarem, inquam, interpretationem refellere debeo, et meam stabilire.

Ergo vulgò statuunt interpretes[1]), esse illud *ἐφ᾽ ᾧ* reddendum *in quo*, idque ita capiendum ut Relativum *ᾧ* putetur Masculini esse Generis atque referri ad *ἑνος ανθρωπου*, quod in principio hujus commatis legitur. Argumenta autem quæ solent adferre ad hanc interpretationem defendendam, aut levissima sunt aut etiam nullius ponderis.

Nam *primùm*, quod interpretationem suam commendari dicunt ab auctore Vulgatæ, id quidem cupidius quam verius ab ipsis statuitur. Neque enim certò dici potest, quid Vulgatæ auctor per illud *in quo* (*ἐφ᾽ ᾧ*) sibi voluerit. Scilicet in epistola ad Philippenses (Cap. III. 12) ita lego: *Non quod jam acceperim, aut jam perfectus sim: sequor autem, si quomodo comprehendam*, IN QUO (*ἐφ᾽ ᾧ*) *et comprehensus sum a Christo Jesu;* ibi autem dictioni *in quo* quamnam notionem subjiciant? Quid si auctor Vulgatæ per illud *in quo*, quod in epistola ad Romanos legitur, sibi voluerit *in eo quod*[2]) ?

Quod verò dicunt, dictionem *ἐφ᾽ ᾧ* nuspiam sumi sine relatione ad præcedens aliquod nomen, aut certe non eo sensu ut vim habeat causativæ Particulæ *quia*, hoc si universaliter dictum velint, magnopere falluntur; contrarium enim testantur Grammatici veteres PHAVORINUS[3]) et THOMAS MAGISTER[4]), quibus hac in re profecto fidem non abnegabunt. Si vero illud sentiant de Græcitate Novi Testamenti, iterum falluntur; nam in altera epistola ad Corinthios (Cap. V. 4) sic legimus: *και γαρ οἱ οντες εν τῳ σκηνει στεναζομεν βαρουμενοι, ἐφ᾽ ᾧ ου θελομεν εκδυσασθαι*, quæ in Vulgata sonant: *Nam et qui sumus in hoc tabernaculo ingemiscimus gravati,* EÒ QUOD (*ἐφ᾽ ᾧ*) *nolumus exspoliari.*

---

(1) ESTIUS (ad h. l.): « *In quo*, id est, *in* ADAM, inquit, ut communiter intellexerunt Latini et Græci interpretes.» Falsum hoc esse ex dicendis patebit.

(2) Præpositionem *in* sequente Ablativo, etiam eo sensu dici ut notet *ob* vel *propter*, id quidem dubio caret. Sic CORN. NEPOS (*Timol.* IV) dixit: *se in ea re maximas Diis gratias agere.* Cf. FACCIOLATI ad voc. *in.*

(3) Ἐφ᾽ ᾧ αντι του διοτι λεγουσιν Αττικοι. h. e. *Attici* dicunt ἐφ᾽ ᾧ pro διοτι, *quia, eo quod.*

(4) Ἐφ᾽ ᾧ αντι του διοτι, εις παρῳχημενον h. e. *Dicitur* ἐφ᾽ ᾧ *pro* διοτι, *si referatur ad Tempus præteritum.*

Sed ad Græcos provocant interpretes, ORIGENEM, CHRYSOSTOMUM, THEOPHYLACTUM et OECUMENIUM [1], quos affirmant illud ἐφ' ᾧ habuisse pro ἐν ᾧ. — Mirer equidem, hoc si verum sit. Age vero, singulos illos interpretes lustremus. Et primo quidem loco audiatur ORIGENES. Verba ejus hæc sunt : « *Sed videamus, inquit, quomodo in omnes homines pertransiit mors.* In quo omnes, *inquit*, peccaverunt ; *absolutâ sententiâ pronuntiavit Apostolus, in omnes homines mortem pertransiisse, in eo in quo omnes peccaverunt* [2]. » Ego verò minime perspicio quonam tandem modo ex his verbis concludi possit Paulinum illud ἐφ' ᾧ ORIGENI valuisse ἐν ᾧ *in quo* (ADAMO). Nam ex eo quod ibi legitur, *in quo omnes*, inquit, *peccaverunt*, nihil confici potest, cum sint verba non ORIGENIS sed PAULI ἐφ' ᾧ παντες ἡμαρτον, quæ Latinus ORIGENIS interpres reddidit, ut ea reddenda esse existimavit. Relinquitur ergo ut illud conficiatur ex eo quod ibi addit ORIGENES : *Absolutâ sententiâ pronuntiavit Apostolus in omnes homines mortem pertransiisse in eo in quo omnes peccaverunt.* At verò multum abest ut hæc verba probent, quod volunt adversarii. Nam si illud *in eo in quo* ad ADAMUM retulisset ORIGENES, scripsisset non *in eo in quo*, sed quoniam dixerat *pertransiisse*, scripsisset, opinor, *pronuntiavit Apostolus in omnes mortem pertransiisse* EX EO *in quo omnes peccaverunt.* Meâ quidem sententiâ, ORIGENES ibi scripserit επι τουτῳ ἐφ' ᾧ, quod interpres reddiderit *in eo in quo.* Malè! nam ibi reddendum illud erat *propterea quod.* Nempe in dictione ἐφ' ᾧ continetur Demonstrativum επι τουτῳ, quod ORIGENES suppleverit perspicuitatis causâ.

Secundo loco in patrocinium istius causæ affertur Jo. CHRYSOSTOMUS. *Τι δε εστιν*, inquit, *Εφ' ᾧ παντες ἡμαρτον; Εκεινου πεσοντος, και οἱ μη φαγοντες απο του ξυλου γεγονασιν εξ εκεινου παντες θνητοι.* h. e. *Quid autem sibi vult illud ἐφ' ᾧ omnes peccaverunt? Illo lapso, etiam illi qui de arbore non comederant, effecti sunt ex illo omnes mortales.* — Hincci-ne ergò constabit CHRYSOSTOMUM verba Apostoli ἐφ' ᾧ παντες ἡμαρτον eo sensu interpretatum fuisse ut ipsi valuerint *in quo Adamo omnes peccaverunt*? At ibi CHRYSOSTOMUS ne loquitur quidem *de peccato*, sed de *pœnâ* peccati tantum : *effecti sunt*, inquit, *ex illo mortales;* nec dixit *effecti sunt* IN (*ἐν*) *illo mortales*, sed EX (*ἐξ*) *illo.* Unde patet quonam tandem jure affirment CHRYSOSTOMO ἐφ' ᾧ tantumdem esse ac ἐν ᾧ.

Nec magis THEOPHYLACTUS ἐφ' ᾧ sumsit pro ἐν ᾧ. Nam ἐφ' ᾧ παντες ἡμαρτον interpretatur *επι τῳ Αδαμ παντες ἡμαρτον*, quod non erat vertendum *in* ADAMO *omnes peccaverunt*, ut fecit Latinus THEOPHYLACTI interpres, sed *ob Adamum omnes*

(1) Facit hoc, quod mirèris, etiam LAMINDUS PRITANIUS (MURATORI) (*De ingeniorum moderatione Lib. III. Cap. 1*).

(2) ORIGENIS *Commentar.* in Ep. ad Rom. Lib. V. Notandum est, commentarios hos Græce periisse nec superesse nisi in Versione Latina.

(3) Hom. in Ep. ad Rom.

peccaverunt [1]; atque hoc sibi voluisse THEOPHYLACTUM, certissimum est; nam statim ibi dicere pergit: γεγονασι εξ εκεινου θνητοι, ὡς αν και αυτοι πταισαντες, διοτι εκεινος επταισεν, h. e. *effecti sunt ex ipso mortales, quasi et ipsi lapsi*, PROPTEREAQUOD *lapsus erat ille*. Nequit tamen, quod vult THEOPHYLACTUS, Relativum illud ᾠ sumi Masculinè et ad ἑνος ανθρωπου referri, id quod infra sumus probaturi.

Superest OECUMENIUS. Is ergo verba ista, ἐφ' ᾠ παντες ἡμαρτον, sic interpretatur: ἐφ' ᾠ Αδαμ, ἡ δι' ὀν Αδαμ. Ex quo patet OECUMENIUM Præpositioni επι tribuisse non vim Præpositionis *in*, quod adversarii affirmant ex Latino OECUMENII interprete, sed notionem illam quam habet Præpositio δια ubi struitur cum Accusativo; OECUMENIO, inquam, επι hic tantumdem est ac *propter*. Itaque neque OECUMENIUS adversariorum causam juvat.

Ex iis ergo, quæ adhuc disputavimus, consequitur, nec Vulgatæ interpretationem certò favere iis qui dicant ἐφ' ᾧ valere *in quo uno homine*, nec Græcos qui adducuntur scriptores tres huic causæ patrocinari, nisi tantum quatenus eorum duo Relativum ᾠ Masculinè sumserint et ad præcedens ἑνος ανθρωπου retulerint. Sed hoc quominus fieri possit Grammatica prohibet. Ratio est, quia Relativum referri debet ad Nomen proximè præcedens; secundum istam autem interpretationem referatur non ad Nomen θανατος quod proxime præcessit, neque ad κοσμος quod ante θανατος legitur, sed ad ἑνος ανθρωπου quod ab illo Relativo ᾧ immenso intervallo distat. Monendum præterea est, Præpositionem επι Dativo junctam nuspiam significare *in*, quo sensu interpretes illi *in* sumunt dum volunt ἐφ' ᾠ valere IN *quo Adamo*. Scio huic assertioni opponi ex epistola ad Hebræos (Cap. IX) loca duo: διαθηκη επι νεκροις βεβαια (℣. 17) et επι βρωμασι (℣. 10), sed neuter est ad rem. Nam quod attinet ad priorem locum cujus sensus est, *valere testamentum cum mortui sunt ii qui testamentum fecerunt*, Præpositio επι ibi non significat *in*, sed Nostratium *op* aut Gallicum *sur*, in Gallica dictione *sur cela* aut Nostratium *daarop*, eaque primaria ejus Præpositionis notio est [2]. Ergo επι νεκροις proprie est *op dooden*, i. e. quando mortui sunt. Quod vero spectat ad dictionem επι βρωμασι, ibi Præpositio επι valet Nostratium BY (*apud*, *unà cum*), quæ notio cum primaria illa locali conjuncta est [3]. Sermo ibi est de sacrificiis quæ solummodo usque ad tempus legis Evangelicæ imposita erant *unà cum cibis* (επι βρωμασι), i. e. unà cum præceptis de cibis, etc.

---

(1) Vide quæ notavimus ad Act. XI. 19.

(2) Primaria illa notio *localis* est, sed mox transfertur ad *tempus*. Si qua res alteri rei imponitur, hæc jacet ordine *secunda*, adeoque POST priorem.

(3) Nimirum si qua res alteri rei imposita est, erit hæc *apud* illam, *unà cum* illa.

Itaque interpretatio illa, secundum quam ἐφ' ᾧ sit *in quo* (Adamo), nihil habet quo commendetur. Imo verò, etiamsi concedatur, quod tamen dari nequit, Præpositionem ἐπὶ habere posse notionem Præpositionis ἐν [1], ne sic quidem illa interpretatio probari possit, quia ἑνὸς ἀνθρώπου remotius est quam ut Relativum ᾧ ad illud possit referri, præsertim quum inter ἑνὸς ἀνθρώπου et ᾧ duo alia Substantiva eaque Masculini quoque Generis (θάνατος et κόσμος) interveniant.

Dicimus ergo dictionem ἐφ' ᾧ (h. e. ἐπὶ τούτῳ ὅτι) valere *eo quòd* vel *quia*, sicut Interpres noster 2 Cor. V. 4 ἐφ' ᾧ illud reddidit. Nec aliter Syrus interpres ἐφ' ᾧ hoc loco intellexit; vertit enim ܘܗܟܢܐ ܠܟܠܗܘܢ ܒܢܝ̈ ܐܢܫܐ ܥܒܪ ܡܘܬܐ ܒܗܝ ܕܟܠܗܘܢ ܚܛܘ h. e. *et sic in omnes homines transiit mors*, eo quod (? ܒܗܝ) *omnes peccaverunt*. Et dictionem ἐφ' ᾧ hoc sensu a Græcis adhibitam fuisse, ex Grammaticorum Phavorini et Thomæ M. testimoniis indubitatum est [2]. Addatur Theophilus (ad Autol. 2) : Ἐφ' ᾧ οὐκ ἴσχυσε θανατῶσαι αὐτούς, *quia non poterat eos occidere*; et Plutarchus (de Pyth.) Ἐφ' οἷς ἐγενόμην.... πρόθυμος, *quia promptus fui*.

Non me latet, posse ἐφ' ᾧ etiam valere *ea conditione ut*, sed tum ea dictio construitur aut cum Indicativo Futuri, aut, quod quidem frequentius fit, cum Infinitivo [3]. Ceterum notio hæc quâ ἐφ' ᾧ valeat *ea conditione ut* [3]) præsenti loco convenire nequit; nam *peccatum* de quo hic dicitur ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον, tale est quo peccasse dicuntur etiam ii qui nullum potuerunt committere peccatum actuale, ut conficitur ex ỳ. 14. Ergo per illud ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον non potuit sibi voluisse Paulus, *mors in omnes pertransiit ea conditione ut omnes* (sicut Adam) *peccarent*. Ἐφ' ᾧ etiam dici potest de *causa finali* [4], sed hanc notionem ἐφ' ᾧ præsens locus omninò respuit; di-

---

(1) Vide supra pag. 154.

(2) Thomas M. (Edit. Bernard. p. 408) : Ἐφ' ᾧ, inquit, ἀντὶ τοῦ διότι, εἰς παρῳχημένον. Συνέσιος ἐν ἐπιστολῇ. Ἐφ' ᾧ Γεννάδιον ἐγράψεν. h. e. « *Dicitur* ἐφ' ᾧ *pro* διότι, eo quòd, quia, *si referatur ad Tempus Præteritum. Synesius in epistola : Propterea quod Gennadium accusasset.* Phavorinus (apud Fritschium ad h. l.) : Ἐφ' ᾧ ἀντὶ τοῦ διότι λέγουσιν Ἀττικοί.... οἷον, ἐφ' ᾧ τὴν κλοπὴν εἰργάσω· ἔτι καὶ ἐφ' οἷς τὸν νόμον οὐ τηρεῖς, κολασθήσῃ h. e. *Attici dicunt* ἐφ' ᾧ *pro* διότι, *ut* quia *(ἐφ' ᾧ)* furtum feceras; *atque etiam in Plurali, ut*, quia *(ἐφ' οἷς)* legem non observas, punieris. » Observat Fritschius (ibid.) Græcos ἐφ' οἷς sic magis frequentasse, quam ἐφ' ᾧ, idque mirum non esse, quippe quos etiam ἀνθ' ὧν, δι' ὧν et ἐξ ὧν ita adamasse constet, ut interdum vel de unâ re Pluralem ponerent. — Synesii locum, quem paulò ante recitavimus, Zeunius (ad Viger. Cap. II. X) reddiderat : *hac lege ut Gennadium in jus vocaret.* De quo Hermannus (ad Viger. p. 710. Ed. 3) : « Imperitissime, inquit, Synesii locum vertit *Zeunius*. Hoc dicit Synesius : *Solem videbat homo eam ob causum, quod Gennadium accusasset.* Itaque non Thomas M. temerè ἐφ' ᾧ cum Præterito junctum per διότι explicat, sed Zeunius temerè hanc explicationem improbat. »

(3) Cf. Fischeri *Animadv.* ad Gramm. Welleri Tom. IV. p. 17. Kühner §, 802 5. c. §. 828. 2.

(4) Cf. Matthiä §. 583.

xisset enim Apostolus, *mors in omnes pertransiit in eum finem ut omnes peccarent;* id quod absurdè dictum sit; ut taceam, istiusmodi interpretationem reprobari vel solo verbo ἡμαρτον, verbo, inquam, Præteriti Temporis, quod Paulus hoc loco adhibuit.

Relinquitur ergo ut ἐφ' ᾧ valeat διοτι. Itaque επι ibi dicitur de *causa* reddendumque est *propter* [1], et Relativam ᾧ in Neutro Genere sumendum est, quandoquidem referri nequit nec ad ἑνος ανθρωπου, ut diximus, nec ad θανατος aut ad κοσμος, quia absurda sic nascatur sententia. Denique ἐφ' ᾧ, quod est επι τουτῳ ὁτι, plane est Latinum *propter id quòd*, vel ut Latini loqui amant, *propterea quòd.*

omnes peccaverunt). Ex superiore disputatione concludimus, Apostolum docere, ideò mortem in omnes homines pertransiisse *propterea quod omnes peccavissent.* Hic verò quæritur quodnam intelligatur peccatum illud *quo omnes peccavissent*: Sit-ne intelligendum peccatum illud quod commisit Adamus, quodque omnes in ipso peccante commiserint; an verò intelligantur peccata a posteris Adami ad hujus exemplum commissa, quod volebant Pelagiani. Prius affirmamus (Cf. p. 149), posterius vehementer negamus, quum isthæc interpretatio a mente Apostoli plane sit aliena. Cogitat enim peccatum cujus rei facti sint etiam ii qui minime peccassent ad exemplum Adami. Constat hoc ex versu 14, ubi morti, quæ pœna peccati est (*et per peccatum mors*), obnoxii fuisse dicuntur etiam ii, qui non peccassent sicut peccaverat Adamus, hoc est, peccato actuali et personali. Et confirmatur ex versu 19, ubi *instrumentalis* causa (δια) per quam effectum est ut homines omnes facti sint peccatores, constituitur in unius hominis Adami (του ἑνος ανθρωπου) inobedientiæ peccato [3].

Cum ergo ibi non agatur de peccato quod sua cujusque voluntate posteri Adami ad ejus exemplum commiserint, relinquitur ut verba ista, *omnes peccaverunt*, referantur ad peccatum illud quod humani generis Protoparens sua voluntate commisit Adamus; id quod disertis verbis deinceps docet Apostolus, dum dicit (℣. 19) *per unius hominis* Adami *inobedientiam peccatores constitutos esse omnes.* Quod si quæras ab Apostolo, *quonam modo* id fiat, respondebit fieri *propagatione naturæ.* Neque enim aliud sibi velle potuit, ubi docet (Ephes. II. 3), nos esse natura *filios iræ*, quod profecto significat, nos ratione naturæ quam a primo parente trahimus esse divinæ iræ obnoxios, utique non aliam ob causam nisi ob peccatum. Quin et in præsenti epistolæ suæ loco idem hoc innuit; nam quod dicit, pertransiisse *mortem in omnes*, verbo usus est quo vitiatæ naturæ propagationem non obscurè significavit. Jam verò si

---

(1) Hanc notionem præsenti ἐφ' ᾧ subjicere voluit Rothe (*Versuch über Rom.* V. 12. p. 17. sqq.).

(2) Hanc notionem Præpositioni επι subjecerunt quoque Theophylactus et Oecumenius, ut colligi potest ex iis quæ ad hunc locum adnotarunt.

(3) *Per inobedientiam unius hominis*, inquit Apostolus, *peccatores constituti sunt multi* (οἱ πολλοι). Quibus verbis refellitur alter ille Pelagianorum error, quo dicebant, *mortem quidem in omnes homines transiisse, non verò peccatum.* Cf. S. Aug. Lib. IV. contra duas Ep. Pelag. Cap. IV.

propagatione *pœna mortis* in omnes pertransiit, utique pertransiit et pœnæ hujus meritum, quod quidem est *peccatum.* Atque ita jam Augustinus vocem istam *pertransiit* intellexerat. « *Videte fratres*, inquit [1], *genus humanum a primi illius hominis morte defluxisse : etenim peccatum a primo homine intravit in hunc mundum, et per peccatum mors ; et ita in omnes homines pertransiit. Attendite, fratres, et considerate verbum* pertransiit. *Inde enim est et parvulus reus ; peccatum nondum fecit, sed traxit ; etenim illud peccatum non in fonte mansit sed pertransiit, non in illum aut illum, sed in omnes homines pertransiit. Genuit peccatores morti obnoxios primus peccator et primus prævaricator.* » Denique hoc docet Catholica Ecclesia, dum declarat, Adami *peccatum, quod origine unum est, inesse unicuique proprium, non imitatione sed* propagatione *transfusum omnibus* [2].

Ergo *propagatione* peccatum Adami ad posteros ejus transit omnes. De *modo* autem quo fiat ut *per propagationem* illud Adæ peccatum transfundatur omnibus ejus posteris, non una est Theologorum sententia ; pendet enim hæc quæstio a quæstione de origine animæ humanæ post absolutum sex dierum opus ; de qua origine non omnes idem sentiunt. Sed nec hujus nec illius quæstionis tractatio ad Exegesin propriè pertinet ; quare propositum nobis est deinceps peculiari dissertatione quæstiones illas seorsim tractare, si Deo placuerit.

℣. 13—14. Usque ad legem enim peccatum erat in mundo : peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset. 14 Sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysen etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ, qui est forma futuri.

℣. 13—14. Ἄχρι γὰρ νόμου ἁμαρτία ἦν ἐν τῷ κόσμῳ· ἁμαρτία δὲ οὐκ ἐλλογεῖται [a]) μὴ ὄντος νόμου· 14 ἀλλ' ἐβασίλευσεν ὁ θάνατος ἀπὸ Ἀδὰμ μέχρι Μωϋσέως καὶ ἐπὶ τοὺς μὴ [b]) ἁμαρτήσαντας ἐπὶ τῷ ὁμοιώματι τῆς παραβάσεως Ἀδὰμ, ὅς ἐστι τύπος τοῦ μέλλοντος,

Paraphrasis. Nam illo temporis spatio quod fuit inde ab Adami peccato usque ad legislationem Mosaicam, homines peccata committebant. Jam verò peccatum non imputatur ad pœnam temporalem, quando non exstat lex quæ istiusmodi pœnam in peccantem constituat. Atqui toto illo temporis spatio, ab Adamo usque ad Moysem, mors, quæ pœna peccati est, dominium suum exercuit in homines omnes, etiam in eos qui non peccaverant ad exemplum Adami, qui homo typus est hominis illius qui venturus erat, Jesu Christi.

---

(1) Serm. IV, *De verbis Apostoli.*

(2) Trident. Sess. V. *Decretum de peccato originali.* 3.

VARIANS LECTIO.

a) Pro ἐλλογεῖται occurrunt etiam lectiones ελλογᾶτο (sic), ελλογειτο et λελογισται; sed constans omnium ferè Codicum lectio ελλογεῖται est, eamque, Estio teste, exhibent quoque Vulgatæ Codices non pauci, ut in quibus hic legitur: *peccatum autem non imputatur cum lex non est.* Nec aliter legebatur in antiqua Itala. Vide Sabbat. ad h. l.

b) Vocula μη a nonnullis Minusculis hic abest; ceterum constanter hic legitur in omnibus Græcis Codicibus.

ỳ. 13—14. *Usque ad legem enim peccatum erat in mundo*, etc.). Hic *probat* (γαρ) Apostolus id quod modò (ỳ. 12) dixerat, scilicet, ideò omnes subiisse pœnam mortis, quia per unius illius hominis peccatum omnes peccassent. Probatio autem fit *a posteriori*, et sita est in eo quod quamquam inde a lapsu Adami usque ad Mosaicam legislationem nullâ lege pœna mortis 1) statuta erat peccantibus, eo tamen temporis spatio morti occubuerint non ii tantum qui peccassent, verum etiam illi qui nullum commisissent peccatum. Hinc enim conficitur, mortem, cum pœna sit peccati, quandoquidem non infligebatur hominibus ob peccata actualia, inflictam fuisse ob unius illius hominis peccatum, quo peccatores constituti fuerant omnes.

Sed jam singulas hujus loci partes distinctius explicemus.

usque ad legem). *Mosaicam* legem intelligit, ut contexta docet oratio: *Sed regnavit mors*, inquit, *ab* Adam usque ad Moysen; nec tamen ideo cum Articulo scribendum erat *αχρι του νομου*. Nimirum vox *νομος* de Mosaica lege frequenter[2] legitur absque Articulo, ubi is nulla sermonis ambiguitate omitti poterat. Cf. Win. §. 18.—*Αχρι νομου* notare quidem possit *usque* ad finem *legis*[3], *quamdiu Mosaica lex valebat*, *usque ad Christum*, quo sensu *αχρι* legitur in Ep. ad Hebr. III. 13; hoc vero loco *αχρι νομου* explicandum est *usque ad illud tempus quo lex data fuit;* postulat hanc interpretationem contexta oratio (ỳ. 14 et 20), eoque sensu *αχρι* adhibetur Matth. XXIV. 38. Act. I. 2, et sæpius.

peccatum erat in mundo). Peccatum hic nonnulli intellexêre peccatum illud de quo modò (ỳ. 12) sermo fuerat, *peccatum*, inquam, *originale*. Sed si hoc sibi voluisset Apos-

---

(1) Mortem esse *pœnam* peccati in antegresso versiculo (ỳ. 12) docuerat: *et per peccatum mors*,

(2) Ex. gr. Rom: II. 12. 23. III. 31. IV. 13, alibi.

(3) Cf. Fritschium ad h. l.

tolus, dixisset, addito Articulo, ἡ ἁμαρτια, ut ibi fecerat. Illud quoque quod statim subjicit, ἁμαρτια δε ουκ ελλογειται, omninò prohibet quominus putemus per vocem ἁμαρτια indicari peccatum illud de quo agitur versu 12; nequit enim huic peccato convenire illud ουκ ελλογειται. Restat igitur ut ἁμαρτια heic dicatur de peccatis *actualibus* et propria sua cujusque voluntate a posteris Adami commissis. Sensus ergo est : Inde ab Adamo usque ad tempus Mosaicæ legislationis peccatum erat in mundo (*il y eut des pechés* (ἁμαρτια) *au monde*), non deerant, inquam, qui proprio opere peccarent.

peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset.) Legendum hic est (Vide Var. Lect.) Verbum Temporis Præsentis ελλογειται, adeòque Græca ἁμαρτια δε ουκ ελλογειται reddenda sunt: *Peccatum autem non imputatur;* et jam quod additur μη οντος νομου valebit *cum non existit lex;* nam cum præcesserit Verbum Temporis Præsentis ελλογειται, id quod inde pendet Participium οντος jam pariter reddendum est per verbum Præsentis Temporis. Hæc autem sententia, *peccatum non imputatur cum non est lex*, ad modum axiomatis hic effertur, quare et per Verbum Præsentis Temporis enuntiatur, Cf. Hebr. Cap. VII. 7. Advertendum est, non haberi hoc versiculo illam *oppositionis* rationem, quæ indicari solet per Particulas μεν et δε, itaque non sic verba esse sumenda quasi scriptum sit *peccatum* QUIDEM *erat*. . . *peccatum* AUTEM, etc. Duæ sunt sententiæ, quæ nulla antithetica ratione a se invicem pendent; *una* hæc : *usque ad legem peccatum erat in mundo* : et *altera* hæc : *peccatum non imputatur, cum non existit lex*. Particula δε (ἁμαρτια δε) non vim *adversativam* hic habet, sed est *continuantis* incœptum ratiocinium.

Verba μη οντος νομου Gallice reddenda sint *quand il n'y a point* DE LOI. Hoc ipso enim quod hic enunciatur sententia generalis (*peccatum non imputatur quando non exsistit lex*) vox νομου referri nequit ad certam quamdam legem, ut puta, Mosaicam; hanc legem si Apostolus hic cogitasset, non generalem enunciasset sententiam adeòque nec adhibuisset Verbum Præsentis Temporis ελλογειται, sed Imperfecti ενελογειτο. Porrò vocem νομου nec ad legem *naturæ* hic posse referri vel ex eo patet quòd lex naturæ non potest concipi *non exsistens*. Restat igitur ut illud μη οντος νομου dicatur indefinitè de *positivâ* aliqua lege sive *morali* sive *pœnali*. Sed de lege positiva *morali* illa sententia accipi nequit; ponit enim *commissum* peccatum non existente lege; atqui ubi non existit *positiva* lex nec locum habere potest ejus legis trangressio, adeoque nec cogitari commissum peccatum. Relinquitur ergo ut sermo sit de lege *pœnali*. Atque hanc esse mentem Apostoli, id quidem demonstrat quoque ejus argumentatio, quæ constat imperfecto syllogismo, sive *enthymemate* hoc : *Peccatum non imputatur quando lex non exsistit; atqui fuère pœnâ mortis* (εβασιλευσεν ὁ θανατος) *affecti homines inde ab Adamo usque ad Moysen omnes, etiam ii qui minime peccaverant sicut Adam*. Conclusio quæ supprimitur est : *Ergo ideo homines omnes pœnam mortis subierunt quia per unius illius hominis peccatum omnes peccaverunt;* id quod erat probandum.—In quo ratiocinio

Propositio *minor* hæc : *Atqui affecti fuêre pœna mortis.* etc., logica necessitate postulat ut *lex*, de qua sermo est in Majore, intelligatur lex *pœnalis.* Quod si hoc, etiam necesse est ut *ελλογειται*, *imputatur*, explicetur per *imputatur ad pœnam.*

Ελλογειν, *imputare*, est *in rationes debiti referre*, (*op rekening zetten*, *porter en compte*); quæ significatio probatur ex hoc epistolæ ad Philemonem (℣. 18) : *Ει δε τι ηδικησε σε η οφειλει, τουτο εμοι ελλόγει.* Alibi in libris sacris vox *ελλογειν* non legitur; apud scriptores verò profanos adhuc non occurrit. *Ελλογεισθαι* autem in præsenti loco valere *referre in rationes debitæ pœnæ* sive *pœnæ luendæ*, id quidem postulat contexta oratio (℣. 14) : *αλλ' εβασιλευσεν ὁ θανατος*, *at* (atqui) *regnavit mors.* Mors autem *pœna* peccati est; dixit enim : *et per peccatum mors.*

℣. 14. *Sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysen*). Sensum hujus partis in antegressis exposuimus. Superest ut observemus, Prosopopœiam esse in dictione *regnavit mors*, ut in hoc prioris epistolæ ad Corinthios (Cap. XV. 26) : *Novissima inimica destructur mors.* Voces *αλλ' εβασιλευσε* reddiderim *at* sive *atqui regnavit*; nimirum hanc vim *αλλα* habet, docente Schutzio 1), in syllogismis, ubi post propositionem universè negantem subjungitur assumptio affirmans; ut ex. gr. in hoc Xenophontis (*Cyrop.* l. 5. 11) : *Ου γαρ τοι πω οὑτοι ἱκανοι εισιν αγωνισται, οἱ αν τοξευωσιν, η ἱππευωσιν επιστημονως, ἡν δε που πονησαι δεῃ, τουτῳ λειπωνται· αλλ' οὑτοι ιδιωται εισι κατα τους πονους.* h. e. *Non sunt enim idonei bellatores, qui etiamsi bene sagittis aut jaculis utantur, ferre tamen laborem haud possunt. Atqui hostes nostri laboribus ferendis impares sunt.*

etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ). Græca *και επι τους μη ἁμαρτησαντας* reddenda sunt in Plusquamperfecto : *etiam* (*και*) *in eos qui non peccaverant*; postulat hoc Temporum in Latino sermone consecutio. Ceterum de notione Temporis Plusquamperfecti etiam formæ Aoristi nonnumquam tribuendâ, vide Winer §. 41. 5. *Επι* ibi dicta est *de normâ*, ut Luc. I. 59; itaque vertas secundum sive ad *similitudinem prævaricationis Adami.* Quod autem dicit Apostolus *peccare ad similitudinem prævaricationis* Adæ, eo peccatum illud quod *propagatione* transit in posteros ejus omnes sive peccatum *originale* discernit ab *actuali*, quale fuerat inobedientiæ illud Adami peccatum. Est enim animadvertendum, Apostolum distinguere *duas* classes hominum in quos dominium suum mors exercuerit; nam discernit eos qui *non peccassent in similitudinem prævaricationis* Adæ, h. e. qui non commisissent peccatum *actuale*, ab iis qui tale peccatum commisissent; nec dubium est quin eos, quos dicit *non peccasse in similitudinem prævaricationis* Adæ, intellexerit *infantes*

---

(1) Cf. Schütz ad Hoogevenii *doctrinam Particularum Ling. Græc.* ad voc. *αλλα.* VI.

vel *parvulos* ante ætatem rationis et consilii capacem defunctos. Si scripsisset *etiam in infantes*, minus luculenta fuisset instituta argumentatio.

Theologo Dogmatico ex præsenti loco sic argumentari licebit : Pœna peccati mors est (℣. 12). Grassata autem mors est in omnes (℣. 14). Grassata autem non est propter *actualia* eorum peccata ; non quòd deēssent qui *actualiter* peccarent sicut peccaverat Adam, sed quòd pœna non infligitur nisi delinquenti statuta sit ; atqui pœna mortis non ut Adamo ita et posteris ejus erat statuta, si peccassent sicut ipse. Moriebantur tamen omnes ; moriebantur ergo quia peccaverant per Adamum perque ejus peccatum constituti fuerant peccatores ; id quod luculentius adhuc inde apparet quòd morerentur etiam ii qui minimè sicut Adam actualiter peccassent. Quum ergo pœna illa censeri nequeat *actualis* peccati pœna, restat ut sit *originalis* peccati pœna ; tertium enim non habetur. Exstat ergo *originale* aliquod peccatum.

qui est forma futuri). Pars hæc loco Apodoseos est continetque, variatâ tamen oratione, alterum institutæ comparationis membrum. Vide suprà pag. 146.—Vox Τυπος (a τυπτω) si etymon spectes, notat id quod *percussione* vel *ictu impressum est*, hinc *vestigium* (Joh. XX. 25), et mox *simulacrum*, ut Act. VII. 43 ; hic verò *metaphoricè* dicitur de eo *qui alterius imaginem refert*. Qui autem ὁ μελλων hic dicitur, Jesus Christus est, id quod patet ex instituta comparatione totaque serie orationis. Quum autem Jesum Christum Apostolus alibi (I Cor. XV. 45) vocet *novissimum* Adamum, illumque in præsenti loco cum Adamo protoparente comparet, ambigendum non est quin verba ὁς εστι τυπος του μελλοντος valeant ὁς εστι τυπος του μελλοντος Αδαμ. Est ergo Adam *imago* Christi, puta per similitudinem *a contrario* : Sicut ille in humanum genus induxit peccatum et mortem, ita hic auctor illi exstitit justitiæ et vitæ per resurrectionem destructâ morte recuperandæ.

℣. 15—17. Sed non sicut delictum, ita et donum. si enim unius delicto multi mortui sunt : multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit. 16 Et non sicut per unum peccatum, ita et donum. nam judicium quidem

℣. 15—17. Ἀλλ᾽ οὐχ ὡς τὸ παράπτωμα, οὕτω καὶ τὸ χάρισμα. Εἰ γὰρ τῷ τοῦ ἑνὸς παραπτώματι οἱ πολλοὶ ἀπέθανον, πολλῷ μᾶλλον ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ καὶ ἡ δωρεὰ ἐν χάριτι τῇ τοῦ ἑνὸς ἀνθρώπου Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς τοὺς

Paraphrasis. Verùm non sicut se habet damnum quod humano generi fecit Adamus, ita quoque sese habet divinæ gratiæ donum quod hominibus obtingit per Christum. Non est, inquam, par utriusque ratio. Nam si, quod profitemur, per unius illius hominis lapsum tota hominum multitudo morti occubuit, culpaque illius in omnium nocumentum

ex uno in condemnationem : gratia autem ex multis delictis in justificationem. 17 Si enim unius delicto mors regnavit per unum : multo magis abundantiam gratiæ, et donationis, et justitiæ accipientes, in vita regnabunt per unum JESUM CHRISTUM.

πολλοὺς a) ἐπερίσσευσε. 16 Καὶ οὐχ ὡς δι' ἑνὸς ἁμαρτήσαντος b), τὸ δώρημα· τὸ μὲν γὰρ κρίμα ἐξ ἑνὸς εἰς κατάκριμα· τὸ δὲ χάρισμα ἐκ πολλῶν παραπτωμάτων εἰς δικαίωμα. 17 Εἰ γὰρ τῷ τοῦ ἑνὸς c) παραπτώματι ὁ θάνατος ἐβασίλευσε διὰ τοῦ ἑνὸς, πολλῷ μᾶλλον οἱ τὴν περισσείαν τῆς χάριτος καὶ τῆς δωρεᾶς τῆς δικαιοσύνης d) λαμβάνοντες ἐν ζωῇ βασιλεύσουσι διὰ τοῦ ἑνὸς Ἰησοῦ Χριστοῦ.

exuberavit, at multo abundantius Dei amor indeque profectum gratiæ beneficium erga omnes homines sese effudit per gratiam unius hominis, JESU CHRISTI ; neque eâdem mensurâ nocuit ADAMUS quâ profuit CHRISTUS ; verùm multo magis profuit hic quam nocuit ille ; nam causa condemnationis nostræ exstitit unici peccati reatus ; gratuitum verò illud donum efficax est in justificationem ex multis peccatis. Non est, inquam, par ratio doni et delicti ; nam si, quod profitemur, unius illius hominis lapsu mors per illum unum regnavit, at illi qui in dies participant abundantiam divini amoris indeque profectum justitiæ donum, hi multo magis, destructâ morte, vitâ potiti regnabunt per unum illum JESUM CHRISTUM.

VARIANS LECTIO.

a) Pro τους πολλους est in Vulgata *plures*. Sed hæc lectio ne unius quidem græci Codicis testimonio nititur ; imo si obvio sensu hic sumatur vox *plures*, falsum sequatur ; scilicet, homines *plures* per CHRISTUM esse salvatos quam mortuos in ADAMO ; atqui, docente Apostolo (I Cor. XV. 22), *in* ADAMO *moriuntur* OMNES. Dixeris interpretem nostrum voci *plures* tribuisse notionem vocis *multi*.

b) Pro ἁμαρτησαντος est ἁμαρτηματος in Codd. DEFG et nonnullis Minusculis ; quam lectionem referunt quoque versiones Syriaca (ܘܠܐ ܐܝܟ ܣܟܠܘܬܐ ܕܚܕ ܗܟܢܐ ܡܘܗܒܬܐ h. e. *et non sicut peccatum unius, ita donum*), Itala et Vulgata. Apud AUGUSTINUM legitur utrumque : *sicut per unum peccatum*, et *sicut per unum peccantem;* et apud BEDAM : *sicut per unum peccatorem*. Cf. SABATIER. Lectionem ἁμαρτησαντος alteri prætulerim cum propter majorem numerum testium, tum etiam quòd suspicio sit, mutatum fuisse ἁμαρτησαντος in ἁμαρτηματος ob oppositum δωρημα, nam sic elegantior erat antithesis.

c) Lectionem τῳ του ἑνος παραπτωματι exhibent Codd. BCIK, plurimæ versiones antiquæ; et Patres aliquot. Pro ea est εν ἑνι παραπτωματι in AFG, et εν τῳ ἑνι παραπτωματι in DE. Equidem lectionem τῳ του ἑνος παραπτωματι pro germana habuerim, tum quòd alteri numero testium præstat, tum etiam quòd probabiliter conjicias pro τῳ του ἑνος παραπτωματι repositum fuisse εν (τῳ) ἑνι παραπτωματι propter mutatum (℣. 16) ἁμαρτησαντος in ἁμαρτηματος. Nam illi Codices qui ἁμαρτηματος habent, iidem si A excipias, habent quoque εν (τῳ) ἑνι παραπτωματι.

d) Pro της δωρεας της δικαιοσυνης *doni justitiæ* Vulgata habet *donationis* ET *justitiæ*; sed Conjunctionem ET hoc loco ex Græcis Codicibus ferè nullus agnoscit.



℣. 15. *Sed non sicut delictum, ita et donum.*) Quod modò (℣. 14) dixerat Apostolus, scilicet esse inter ADAMUM et CHRISTUM similitudinem *a contrario*, illud hic ita *corrigit* (αλλα) ut doceat, *inæqualitatem* tamen esse inter id quod effectum est ab ADAMO et illud quod præstitum fuit a CHRISTO, multoque plus humano generi profuisse CHRISTI gratiam quam obfuisset ADAMI peccatum. Quam sententiam mox (℣. 16) iterat, sed negativâ orationis formâ, dicens : *et non sicut per unum peccatum, ita et donum.*

Το παραπτωμα (la chute) est *lapsus ille* ADAMI, quem modò indicaverat per verba *sicut per unum hominem peccatum intravit in mundum.* Το χαρισμα verò intelligitur *donum* gratuitum justitiæ (Cf. ℣. 17). In usu autem vocis παραπτωμα notanda hic est Metonymia *causæ pro effectu;* ergo cogitandum est *malum* illud quod per lapsum proto-parentis in humanum genus fuit inductum; atque ita elucescit oppositio quæ heic est inter το παραπτωμα et το χαρισμα.—Supplendum est εστι vel εχει. Sensus ergo est : *Sed non sicut se habet damnum quod humano generi fecit* ADAMUS, *ita quoque sese habet divinæ gratiæ donum, quod hominibus obtingit per* CHRISTUM. Disparitatem hanc inter ADÆ παραπτωμα et illud χαρισμα Apostolus statim *exponit* (γαρ) addens :

si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis etc.) Sensus est : *Nam* MAJORIS EFFICACIÆ *fuit donum Christi quam noxa* ADAMI.

Particula ει hoc loco rem non dubiam et incertam indicat, sed plane certam, ut in hoc Johannis (XIII. 14) : *Ει ουν εγω ενιψα ὑμων τους ποδας, και ὑμεις οφειλετε αλληλων νιπτειν τους ποδας.* Cf. Act. XI. 17 et I Cor. IX. 11. — *Πολλῳ μαλλον* hic non habendum est pro formulâ *argumentantis a pejori ad melius*, sed formula est affirmantis et disertè pronunciantis *majoris efficaciæ esse* χαρισμα *quam* παραπτωμα. Itaque πολλῳ μαλλον jungendum est cum επερισσευσε, ut sensus sit, *multò abundantior fuit*, hoc est, χαρισμα multo efficacioris effectûs fuit in bonum quam παραπτωμα in malum. — Οἱ πολλοι (*de velen*) utroque loco sunt *omnes*, quod patet cum ex contexta oratione (℣. 12), tum etiam ex collato versiculo decimo octavo,

ubi pro *οἱ πολλοι* eodem sensu scriptum est *παντες*. Nimirum Apostolus *omnes* cogitat tamquam aliquam *multitudinem* quam opponit *uni*.—

Τῷ τοῦ ἑνος παραπτωματι Dativus *Instrumenti* est. Belgicè dixeris : *Door den val van dien éénen.* — Vox *απεθανον* etiam hic, ut supra ỷ. 12. (p. 150) sumenda est de morte *physica* sive *corporali*.—*Ἡ χαρις του Θεου και ἡ δωρεα*, supple *του Θεου*, qui Genitivus *possessoris* sive *auctoris* pertinet ad utramque vocem *χαρις* et *δωρεα*. Inter quas voces eadem hic ratio est, quæ est inter *causam* et *effectum*; puta ad eum modum, quo in dono aliquo *causa* doni est amor donantis, ipsum autem donum illius causæ veluti *effectus*. Nam *χαρις*, *gratia*, hic sumitur primariâ sui notione, qua significat gratuitum Dei favorem, benevolentiam, amorem erga homines; et ab hoc amore veluti *causâ* illa *δωρεα* provenit sive *efficitur* 1).

Quod sequitur *εν χαριτι τῃ του ἑνος ανθρωπου, Ιησου Χριστου*, reddere maluerim PER *gratiam unius hominis*, JESU CHRISTI; nam Præpositio *εν* dicta ibi est de *causâ* mediatrice *του χαρισματος* 2). *Sicut peccatum*, inquit S. THOMAS (ad h. l.) *ex uno homine abundavit in multos ex prima suggestione Diaboli, ita et gratia Dei per unum hominem processit ad multos. Unde signanter addit Apostolus*, in gratia, *id est, per gratiam unius hominis* JESU CHRISTI. *Sic enim a Deo gratia in multos effunditur ut eam per* CHRISTUM *accipiant, in quo omnis plenitudo gratiarum invenitur, secundum illud Joannis* (Cap. I. 16): De plenitudine ejus omnes accepimus.» *Plenitudinem* S. THOMAS hic intelligit plenitudinem quam vocat *efficientiæ et effluentiæ*, *quæ soli homini* CHRISTO *competit*, *ut auctori gratiæ* 3). — Postremò animadvertendum est, Apostolum adhibuisse Præteriti Temporis verba *απεθανον* et *επερισσευσε*, quia utrumque hoc (*απεθανον* et *επερισσευσε*), quamquam continuò fieri pergit, ipse considerat tamquam res jam plenè absolutas.

ỷ. 16. *Et non sicut per unum peccatum, ita et donum*). Voces *ita et* in Græco non leguntur; de suo eas addidit interpres, propositionem habens pro bimembri. Vereor ut rectè. Nam si hoc sibi voluisset Apostolus, quid-ni scripsisset *οὑτω και το δωρημα*, sicut modò (ỷ. 15) fecerat, vel certè, *οὑτω* omisso, *και το δωρημα*. Ceterum elliptica oratio est; plenè sic enuntiari poterit : *και ουκ εχει το δωρημα ὡς εχει δι' ἑνος αμαρτησαντος*, *non se habet donum ut se habet res per unum qui peccaverat.* Sententiam antegresso (ỷ. 15) versiculo expressam Apostolus hic iterat, sed negativâ orationis formâ. Et statim eam probat duplici argumento, quorum alterum

(1) Cf. Commentarium nostrum in Ep. ad Philipp. ad Cap. 1. ỷ. 2.

(2) Præpositio *εν* hoc sensu frequenter legitur in Græcitate Novi Testamenti.

(3) Vide S. THOM. in Evang. S. JOAN. ad Cap. I. 16.

exponitur versiculo 16, alterum præsenti (ŷ. 17); prius argumentum in eo est, quod cum Adam unico peccato infecisset omnes, Christus omnes sanet non ab illo tantum naturæ peccato, sed et ab omnibus iis, quæ proprio actu homines patraverint; alterum verò argumentum ductum est inde quod vitæ illud regnum, quod Christus hominibus promeruit, multo *a contrario* præstet mortis regno, cujus auctor exstitit Adamus.

nam judicium quidem ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in justificationem). Etiam hic elliptica oratio est; plena sit ita: *το μεν γαρ κριμα εξ ένος παραπτωματος εγενετο εις κατακριμα· το δε χαρισμα εκ πολλων παραπτωματων εστι εις δικαιωμα.* Sensus autem est: *Nam causa condemnationis nostræ exstitit* unici *peccati reatus; gratuitum verò illud donum efficax est in justificationem ex* multis *peccatis.* Si Christus nos liberaret dumtaxat ab unico illo peccato quo facti sumus rei per Adamum, par foret ratio gratiæ per Christum partæ, et condemnationis cujus causa exstitit Adamus; nunc verò quum a multis peccatis imo ab omnibus, quæ propria voluntate originali illi peccato addidimus per Christi gratiam absoluti justitiâ donemur, consequitur valentius esse Christi δωρημα ad salvandum quam Adami ἁμάρτημα ad perdendum; id quod erat probandum.

Εξ ἑνος scil. *παραπτωματος*, quod sumendum est ex insequenti *το δε χαρισμα εκ πολλων παραπτωματων.* Itaque antithesis est inter *ἑν παραπτωμα* et *πολλα παραπτωματα.* Sunt qui *εξ ἑνος* explicent *εξ ἑνος ἁμαρτησαντος.* Verùm si hoc ponas, jam periit illa antithesis, et unà cum illa etiam theseos probatio. Quod si dicas, Apostolum scripsisse quidem *ex uno peccante*, attamen unà sibi voluisse *ex uno peccato*, mirer quî factum sit ut antithesin cogitare maluerit quam exprimere, hoc præsertim in loco, ubi tota argumentationis vis ex antithesi pendet.

Præpositionis *εκ* bis hoc versiculo positæ non est omninò eadem utroque loco significatio; nam priore quidem sumitur *causaliter* sive *de causa unde quid provenerit*, valetque *propter*, ut, v. g. in hoc Cæsaris: Propter *frigora frumenta in agris matura non erant.* Hoc sensu *εκ* legitur Act. XIX. 25; 2 Cor. II. 2, alibi. In posteriore verò loco sumitur *de statu ex quo quis transeat in alium statum*, ut in hoc Apocalypseos (Cap. IX. 20.): *Μετενοησαν εκ των εργων των χειρων αὐτων.*—Præpositio *εις* utroque loco dicitur *de effectu*, ut 1 Cor. XI. 17 in illo *ουκ εις το κρειττον, αλλ' εις το ἡττον συνερχεσθε.*

Το κριμα est (Dei) *judicis sententia* illa quæ propter unicum Adæ inobedientiæ peccatum lata est. Atque *hæc sententia* (*κριμα*) cessit (*εις*) hominibus omnibus (Cf. ŷ. 18.) in *κατακριμα*, h. e. *in sententiam condemnatoriam.* Sed quum *εξ ἑνος* ad definitionem Subjecti (*το κριμα*) pertineat, accuratior Syntaxis postulasset ut scriberetur *το κριμα το εξ ἑνος.* Apostolus autem in simili structura nunc ponit Articulum, nunc omittit; quâ de re diximus ad Cap. I. 5 epistolæ ad Philippenses. — Vox

δικαιωμα in Græcitate Novi Testamenti notat : 1° id quod pro justo rectoque declaratum est sive *legem* aut *decretum*, ut v. g. Luc. I. 6 : *πορευομενοι εν ταις εντολαις και δικαιωμασι του κυριου.* 2° Dicitur de eo quod juste recteque factum est, eoque sensu legitur infrà, versu decimo octavo, ubi opponitur voci *παραπτωμα.* 3° Tandem hoc loco (ỳ. 16) *δικαιωμα* tantumdem valet ac *δικαιωσις*, nam opponitur voci *δικαιωμα*, et quo sensu hoc versu dicitur *εις δικαιωμα*, eodem sensu dicitur *εις δικαιωσιν* versu decimo octavo.

ỳ. 17. *si enim unius delicto mors regnavit per unum* etc.). Versus hic *probationem* (*γαρ*) continet non ejus sententiæ quæ proxime (ỳ. 16) præcesserat (*το δε χαρισμα εκ πολλων παραπτωματων εις δικαιωμα*), sed illius quâ fuerat dictum (ỳ. 16) *πολλῳ μαλλον ἡ χαρις.... εις τους πολλους επερισσευσε.*

Particula *ει* sumenda est ut suprà, versu decimo quinto. *Τῳ παραπτωματι* Dativus est *Instrumenti.*— *Του ἑνος* et *δια του ἑνος* scil. *ανθρωπου* (ỳ. 12); hanc interpretationem postulat oppositum *δια του ἑνος Ιησου Χριστου.* Imo vel ideo exponendum non est, *του ἑνος* et *δια του ἑνος* scil. *ἁμαρτησαντος* (ỳ. 16), quia notio *ἁμαρτησαντος* jam continetur in voce *παραπτωματι.* Sed cum satis esset dicere *mors regnavit delicto unius illius hominis* (*του ἑνος*), quid opus erat addere *per unum illum hominem* (*δια του ἑνος*)? Putaverim Apostolum id fecisse, majoris emphaseos causâ; nam statim dicturus erat *δια του ἑνος Ιησου Χριστου.* —*Πολλῳ μαλλον* sumendum est ut versu decimo quinto.—*Οἱ λαμβονοντες* Participium Temporis Præsentis veluti *continui* de iis *qui* in dies *accipiunt την περισσειαν*, etc. Verba ista *την περισσειαν της χαριτος και της δωρεας της δικαιοσυνης* respiciunt superiora illa (ỳ. 15) *ἡ χαρις του Θεου και ἡ δωρεα επερισσευσε.* — Genitivus *της δωρεας* pendet a *περισσειαν.* — Genitivus *δικαιοσυνης Appositionis* est ; intelligitur ergo donum *justitiæ* sive *justificatio.*

Εν ζωῃ βασιλευσουσι δια του ἑνος est antegressi *ὁ θανατος εβασιλευσε δια του ἑνος* Antithesis, quæ magis appareret si Apostolus scripsisset *ἡ ζωη βασιλευσει δια του ἑνος.* Nunc autem *vitæ* illud regnum, relicto tropo, in regnaturos transtulit homines. Porrò ad *rem* ipsam quod attinet, satis fuisset dicere *βασιλευσουσι δια Ιησου Χριστου*, sed antitheseos causâ addendum erat *του ἑνος.* —*Εν ζωῃ* scil. *οντες*, *viventes*, q. d. *vitâ potiti*, *destructâ morte.* Sensum exposuimus in Paraphrasi.

ỳ. 18—19. Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem : sic et per unius

ỳ. 18 — 19. *Ἄρα οὖν ὡς δι' ἑνὸς παραπτώματος* a) *εἰς πάντας ἀνθρώπους εἰς κατά-*

Paraphrasis. Itaque sicut unum peccatum hominibus omnibus cessit in condemnationem mortificam ; ita quoque unum rectè fac-

justitiam in omnes homines in justificationem vitæ.
19 Sicut enim per inobedienciam unius hominis, peccatores constituti sunt multi : ita et per unius obeditionem, justi constituentur multi.

κρίμα· οὕτω καὶ δι' ἑνὸς δικαιώματος[b] εἰς πάντας ἀνθρώπους εἰς δικαίωσιν ζωῆς. 19 Ὥσπερ γὰρ διὰ τῆς παρακοῆς τοῦ ἑνὸς ἀνθρώπου ἁμαρτωλοὶ κατεστάθησαν οἱ πολλοί, οὕτω καὶ διὰ τῆς ὑπακοῆς τοῦ ἑνὸς δίκαιοι κατασταθήσονται οἱ πολλοί.

tum hominibus omnibus cessit in justificationem quæ ad vitam æternam obtinendam perducat. Etenim sicut per unius hominis inobedientiam omnes ex eo nati homines constituti sunt peccatores, ita quoque per unius obedientiam omnes constituentur justi, quotquot ex illo uno per fidem renascantur.

VARIANS LECTIO

a) Pro παραπτωματος est το παραπτωμα in Codd. FG et nonnullis Minusculis. Quæ scripturæ varietas tribuenda videtur correctioni Librarii, qui hic mendum suspicatus fuerit quum syntaxin verborum non intelligeret. Idem dicito de altera hujus versiculi lectionis varietate.

b) Pro δικαιώματος est το δικαιωμα in Codd. DEFG.

℣. 18. *Igitur sicut per unius delictum. . . . sic et per unius justitiam*, etc). Ex illa dissimilitudine *a contrario* inter το χαρισμα et το παραπτωμα quam Apostolus decimo quinto versiculo enuntiaverat probaveratque duobus insequentibus, hic jam *infert* (ἄρα ουν) similitudinem *a contrario* quæ sit inter Christum et Adamum, atque ita redit eò (℣. 12) unde fuerat egressus. Nota, ellipticam esse orationem in utroque membro institutæ comparationis. Supplendum autem est in priore quidem απεβη (*res cessit*, Impersonaliter), in posteriore verò αποβησεται. Postulat insequens versiculus quo præsens versiculus *explicatur* (γαρ), ut Verbum hic supplendum hac varietate Temporum adhibeatur; ibi autem in priore membro est κατεσταθησαν, in posteriore verò κατασταθησονται. Esse autem αποβαινειν vel simile aliquod Verbum supplendum, id quidem docet cum contexta oratio tum etiam repetita ibi Præpositio εις, quæ *de effectu* utriusque Christi et Adami actûs dicta est. Præterea animadvertendum est, repetitum illud δι' ἑνος utroque loco sumendum esse non Masculinè sed Neutraliter, adeòque Apostolum sibi velle non *per unius delictum, per unius justitiam*, sed *per unum delictum, per unam justitiam*; uno verbo, ἑνος sumendum est non Substantivè sed Ad-

jectivè. Ratio est, quia si Apostolus illud ἑνος Substantivè sumsisset, addito Articulo scripsisset του ἑνος, ut modò (℣. 17) bis fecerat, scribens ει γαρ τῳ του ἑνος παραπτωματι ὁ θανατος εβασιλευσε δια του ἑνος. Accedit, si ἑνος versiculi decimi octavi Substantivè accipiatur, tautologiam quamdam fore in versiculo insequenti. Illud ἑν παραπτωμα intelligitur Adami *inobedientia* (παρακοη), et ἑν δικαιωμα est Christi *obedientia* (ὑπακοη); quod utrumque patet ex collato versiculo decimo nono cum præcedente. Itaque vox δικαιωμα; quæ in Græcitate sacra aliam atque aliam notionem obtinet [1], hoc loco notat *recte factum aliquod*, quo sensu δικαιωμα legitur etiam apud Prophetam Baruch (Cap. II. 19): Ουκ επι τα δικαιωματα των πατερων ἡμῶν καταβαλλομεν τον ελεον κατα προσοπον σου, et iterum in Apocalypsi (Cap. XIX. 8.): Το γαρ βυσσινον τα δικαιωματα εστι των ἁγιων (Vulgat.): *Byssinum enim justificationes* (*recte facta*) *sunt sanctorum*. Denique in dictione δικαιωσις ζωης vox ζωης est Genitivus *destinationis*; intelligitur *justificatio* quæ *ad vitam* æternam (Cf. ℣. 21. αιωνιον) obtinendam perducat. Evangelista Joannes (Cap. V. 29) istiusmodi Genitivo usus scripsit εις αναστασιν ζωης et εις αναστασιν κρισεως.

Κατακριμα, *damnatorium judicium*, condemnatio, scil. *ad mortem*; nam hanc interpretationem postulat antitheton εις δικαιωσιν ζωης. *Mortem* autem hic cogitat non physicam tantum sed et spiritualem sive animæ. Nam versiculo insequenti quid intellexerit εις κατακριμα declarans, docet fuisse per illud homines omnes constitutos *peccatores*.

Sensus est: Itaque sicut unum peccatum hominibus omnibus cessit in condemnationem mortificam; ita quoque unum rectè factum hominibus omnibus cessit in vivificam justificationem.

℣. 19. *Sicut enim per inobedientiam unius hominis* etc.). Est hic versiculus præcedentis elucidatio. Scilicet *declarat* (γὰρ) hic Apostolus quid intellexerit illud ἑν παραπτωμα, et quid illud ἑν δικαιωμα, tum etiam quid sibi voluerit per κατακριμα et per oppositam δικαιωσιν. Ergò ἑν παραπτωμα est inobedientia Adami (παρακοη) de qua Genes. Cap. II. 17. III. 11; et ἑν κατακριμα intelligitur illa condemnatio qua factum est ut ex damnatione Adam posteri ejus omnes vitiatam peccato naturam parentis nascendo participantes ob peccatricem hanc naturam *constituantur peccatores*; ἑν δικαιωμα autem est Christi ὑπακοη sive *obedientia*, quæ causa est nostræ *justificationis* (δικαιωσις) meritoria. Intelligitur autem illa Christi *Obedientia*, qua *humiliavit semetipsum factus obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis*. (Philipp.

(1) Vide supra ad ℣. 16.

Cap. II. ℣. 8). *Οἱ πολλοὶ* opponuntur *τῷ ἑνὶ*, ceterum intelliguntur *παντες*, nam sunt *οἱ πολλοι* ipsi illi, qui antegresso versiculo (℣. 18) dicti fuerant *παντες ανθρωποι*. *Ideo autem*, inquit S. Augustinus (Contra Julian. Lib. VI. C. 4), *et ibi omnes et hic omnes, quia nemo ad mortem nisi per illum, nemo ad vitam nisi per istum.*— *Καθισταναι* est *constituere*, *facere aliquem aliquid*, et Passive *fieri aliquid*, idque non externâ nescio quâ *imputatione* aut *denominatione*, sed vera *acquisitione* atque *possessione*. Vox *καθισταναι* sicut frequentissime in Scripturis Novi Testamenti legitur, ita nuspiam non hac significatione adhibetur. Quare præsens locus imprimis valet ad refellendam falsam illam Hæreticorum *de imputatâ justitiâ* opinionem, et ad firmandam Catholicæ Ecclesiæ de *inhærente justitia* doctrinam. Rectissime Stapletonius [1]: « Tota, inquit, Apostoli disputatio et hæc maxime conclusio (℣. 18 et 19) veram et inhærentem nobis justitiam per Christum impertitam luculentissimè probat. Ait enim Apostolus quod *sicut per unius* Adami *delictum et inobedientiam omnes homines condemnati sunt* et peccatores constituti, sic *per unius* Christi *justitiam et obedientiam omnes homines* justificationem vitæ consequuti *et justi constituti sunt*. At vero per Adami delictum omnes homines sic peccatores constituti sunt, ut vere et realiter omnes ex eo propagati nascantur peccatores, nec per imputationem inobedientiæ Adami sed ex vero reatu singulis inhærente *filii iræ* (ut Paulus alibi dicit) et veri peccatores sint. Hanc partem comparationis Beza hoc loco agnoscit, scribens *omnes homines planè reos nasci, contracta inde a primo parente culpa*. Ergo si collatio Apostoli vera est, per justitiam et obedientiam unius Christi omnes in eo renati sic justi constituti sunt, ut inhærentem justitiam habeant vereque et realiter justi sint. Propagationi carnali ex Adam, per quam culpa non imputatur sed verè contrahitur, respondet spiritualis regeneratio in Christo (quam hic ab Apostolo intelligi negat Beza, sed quæ necessario intelligenda est ut vera ac perfecta sit collatio) per quam justi constituuntur qui regenerantur. *Dedit enim eis potestatem filios Dei fieri* (non reputari aut haberi tantùm) *qui ex Deo nati sunt* (Joh. 1.); et rursum: *Videte qualem charitatem dedit nobis Deus, ut filii Dei nominemur et simus* (1 Joh. IV). Quare sicut per inobedientiam Adæ peccatores nominamur et sumus, non nominamur aut reputamur tantum; sic per obedientiam Christi justi nominamur et sumus, non nominamur aut reputamur tantùm. Contractæ igitur per Adamum culpæ, verè singulis ex eo natis inhærenti, respondet data per Christum justitia, omnibus ex eo renatis verè inhærens. Propter hanc verè inhærentem justitiam, Christi beneficio nobis impertitam, dicit Apostolus, *justi constituentur multi*, non dicit, *deputabuntur justi* ». Hactenus Stapleton.

---

(1) Antidota Apostolica in Ep. ad Rom. ad Cap. V. 18. 19.

℣. 20—21 Lex autem subintravit ut abundaret delictum. Ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia. 21 ut sicut regnavit peccatum in mortem : ita et gratia regnet per justitiam in vitam æternam, per JESUM CHRISTUM Dominum nostrum.

℣. 20 — 21. Νόμος δὲ παρεισῆλθεν, ἵνα πλεονάσῃ τὸ παράπτωμα. Οὗ δὲ ἐπλεόνασεν ἡ ἁμαρτία, ὑπερεπερίσσευσεν ἡ χάρις· 21 ἵνα ὥσπερ ἐβασίλευσεν ἡ ἁμαρτία ἐν τῷ θανάτῳ, οὕτω καὶ ἡ χάρις βασιλεύσῃ διὰ δικαιοσύνης εἰς ζωὴν αἰώνιον διὰ Ἰησȣ͂ Χριστȣ͂ τοῦ Κυρίου ἡμῶν.

Paraphrasis. Mosaica autem lex insuper in mundum introiit in eum finem ut illud naturæ peccatum per multiplices transgressiones redundaret. Sed postquam illud redundasset, copiosissime redundavit gratia; idque factum est in eum finem ut, sicut peccatum illud regnasset inferendo mortem tam animæ quam corpori, ita quoque gratia regnaret per collatam hominibus justitiam, qua perducantur ad vitam obtinendam æternam.

℣. 20. *Lex autem subintravit ut abundaret delictum. Ubi autem*, etc.) Obiter docet, id quod instituto suo mox inserviet, quorsùm data fuerit Lex, unà obliquè indicans non potuisse per eam auferri peccatum illud *quo peccatores constituti fuerant homines omnes* (℣. 19). Sensus est : Mosaica *autem* (δε) *lex* (νομος) *insuper introiit* in mundum (παρεισηλθε), cum alios ob fines, tum etiam *ut* (ἵνα) *peccatum illud* (τὸ παραπτωμα), quo homines omnes tenebantur cujusque vi in vetitum propellebantur, occasione legis per multiplices transgressiones veluti *redundaret* (πλεονάσῃ). Ergo, occasione sumptâ ex Lege, peccatum illud per multiplicatas transgressiones redundavit. *Cum autem* (οὗ δε) sic *illud* unius *peccatum* (ἡ ἁμαρτια) *redundasset* (ἐπλεόνασε), *copiosissimè redundavit* (ὑπερεπερισσευσεν) *illa* unius *gratia* (ἡ χαρις).

Νομος, absque Articulo, de *Mosaica* lege. Vide suprà p. 158. Et confirmatur hæc interpretatio ex loco parallelo Ep. ad Gal. III. 19 : *Propter transgressiones posita est*, scil. lex Mosaica. Cf. ibid. ℣. 17. Particula δε respicit illud quod supra (℣. 13) dixerat, *usque ad legem peccatum erat in mundo*, adeòque usum *transitivum* heic habet; *transitur* nempe a tempore quod fluxit ante legem publicatam ad Mosaicam legislationem. *Παρεισερχεσθαι* sæpe quidem notat [1]) *clam intrare* ac veluti *irrepere*, sed hæc notio præsenti loco non convenit. Nam quî tandem *irrepsisse* intelligatur Lex, quum sciamus (Exod. XIX. XX) eam publice fuisse promulgatam, idque non sine multis cæremoniis? Sed παρεισερχεσθαι valet etiam *insuper intrare* [2]), qua notione ea vox hic sumenda

---

(1) Cf. FRITSCHE ad h. l. Ex libris N. T. pertinent huc voces παρεισακτος (Gal. II. 4) *subintroductus*, *irreptitius*, et παρεισαγειν (2 Petr. II. 1) *clam introducere*.

(2) Hoc sensu παρεισερχομαι legitur apud PHILONEM *De mundi opificio*. 1.p.36. ed. MANGEY. Cf. FRITSCHE ad præsentem PAULI locum. Ex libris N. T. pertinet huc vox παρεισφερω. 2 Petr. 1. 5.

est. Scilicet dicitur per Prosopopœiam post ingressum in mundum peccatum (ỳ. 12), *insuper intrasse* in mundum lex.—

Particulam ἵνα plerique Interpretes hoc loco tamquam ἐκβατικῶς sive de *rei eventu* dictam sumunt. Malè. Nam ut taceam adhuc disputari utrum nec-ne Particula ἵνα in libris Novi Testamenti alicubi ἐκβατικῶς dicatur, in præsenti tamen loco ἵνα sumendum esse τελικῶς sive *de fine* aut *scopo rei*, certum est ex loco parallelo isto (ad Gal. III. 19): *Propter transgressiones posita est lex*, h. e. *ad augendas transgressiones* [1]; nam hunc sensum ut jam græca ejus loci verba τῶν παραβάσεων χάριν [2] valde commendant, ita eumdem veluti postulat contexta oratio, nam statim pergit ibi dicere Apostolus: *Lex ergo adversus promissa Dei?* Ad quæ verba Estius: « Ex præcedenti, *inquit*, responsione (ỳ. 19. *Lex propter transgressiones posita est*) emergit hæc quæstio, quasi dicat Apostolus: Si propter transgressiones lex posita est, non impediendas (sic enim quæstio locum non haberet) sed augendas potius: num ergo fatebimur legem adversari promissionibus divinis easque evertere? Quoniam enim (lex) transgressores constituit homines, videtur obstare ne promissiones ipsi Abrahæ factæ ad eos perveniant et in iis impleantur; quandoquidem transgressoribus non benedictio, sed maledictio per ipsam legem denunciatur. » Hactenus Estius ad Gal. III. 19.

Igitur Particula ἵνα in dictione ἵνα πλεονάσῃ τὸ παράπτωμα sumenda est ut dicta de *causa finali*. Dicat quis: At si data fuerit lex in eum finem ut abundaret τὸ παραπτωμα, nonne videatur consequi ipsum Deum legislatorem esse peccati auctorem? Ad hanc quæstionem statim respondebimus; sed prius dicendum est, quid hoc loco intelligendum sit το παραπτωμα, et porrò etiam quid ἡ ἁμαρτια in sententia proximè insequente: οὗ δε επλεονασεν ἡ ἁμαρτια. Nam vulgò haberi solent duæ illæ voces, το παραπτωμα et ἡ ἁμαρτια, pro Singularibus collectivis, ita ut hic, nihil mutato verborum sensu, ex æquo scribi potuisset τα παραπτωματα et αἱ ἁμαρτιαι. Quod ego verum esse non putem; nam ut nuspiam alibi Apostolus addito Articulo το παραπτωμα aut ἡ ἁμαρτια collectivè dixit, sic plura suadent ut existimemus eas voces in præsenti loco dictas esse de Proto-parentis illo peccato, quo, ipso peccante, per ipsum in ipso peccavit natura quam gerebat humana. Ergo dixerim, utrumque, tam το παραπτωμα quam ἡ ἁμαρτια, intelligendum esse peccatum *originale*. Et ratio est, 1° quia dicitur non in Plurali Numero sed in Singulari

---

(1) Plerique interpretantur: *ad coërcendas transgressiones.*

(2) Bene Estius ad Gal. III. 19. «Legem, inquit, ad hoc subintroductam esse ut augerentur trangressiones, Apostolus (Rom. V. 20.) disertè affirmat, dicens: *Legem subintrasse ut abundaret delictum.* Cum quo loco ea quæ hic (ad Gal. III. 19) dicuntur omninò conferenda sunt. Ad eum intellectum invitat quoque Græca lectio præsentis sententiæ, quæ ita sonat quasi dicas, *Transgressionum gratiâ*, vel *ob transgressionum gratiam lex apposita est....* Jam quod alicujus gratiâ fit, non fit ad ejus destructionem, sed profectum».

το παραπτωμα et *ἡ αμαρτια* [1]. 2° Quia Apostolus in contexta oratione (℣. 12-21) ipsis hisce vocibus (*τὸ παραπτωμα* et *ἡ ἁμαρτια*) nec aliis [2] usus est ad *naturæ* illud peccatum designandum. Cf. ℣℣. 12. 15. 17. 18. 21.; ubi verò loquitur de variis posterorum Adæ peccatis, ibi dicit aut *ἁμαρτια* absque Articulo (℣. 13), aut in Plurali *παραπτωματα* (℣. 16). 3° Quia *το παραπτωμα* hic sensu non differt ab *ἡ ἁμαρτια*, et *ἡ ἁμαρτια* pro *antitheto* hic (℣. 21) habet *ἡ χαρις*; atqui *ἡ χαρις* (*το χαρισμα*, *το δωρημα*) in tota hac pericopa (12—21) constanter *opponitur* non posterorum Adæ peccatis *actualibus* sed uni illi peccato quo peccatrix facta est natura humana.

Igitur voces *το παραπτωμα* et *ἡ αμαρτια* significant *originale* peccatum. *Abundare* (*πλεοναζειν*) autem intelligitur illud naturæ peccatum quando in singulis inquinatis exitiale suum virus prodit per multiplices quos committunt actus peccaminosos. Mosaica autem lex divinitùs data fuit cum ob alios fines, quos hic enumerare nihil attinet, tum etiam in eum finem ut peccatum illud eo quem dixi modo *abundaret*. Atque hoc est quod docet Apostolus ubi dicit: *Lex autem subintravit ut abundaret delictum*. Quæ interpretatio eo certior est, quòd Apostolus infra (Cap. VII. 7—25) rem, quam hic obiter significavit, de industria tractans disertis verbis idem docet, ut ibi sumus dicturi.

Ergo-ne Apostolus legis illius latorem Deum tamquam auctorem peccati hic traducat? Absit! verum sic rem habeto: Lex, ipso docente Apostolo (infra Cap. VII. 10), propriè data fuerat ut hominem perduceret *ad vitam* (*εις ζωην*) et salutem. Factum autem est, non ex indole legis, sed ex vitiatæ humanæ naturæ concupiscentiâ, ut, lege datâ, consecuta sit abundantia delictorum [3]. Quam rem ut Deus præviderat, ita et permisit in eum finem ut homines ex illa delictorum abundantia infirmitatem suam edocerentur atque ita implorarent auxilium liberatoris et liberarentur. Igitur lex cum ob alios fines, tum etiam ad hunc finem obtinendum data fuit; atque eo sensu Apostolus docet,

---

(1) Sermonem ibi esse non posse de peccato Adæ quatenus est peccatum hujus personæ *actuale*, vel ex eo patet quòd in præsenti loco agitur de peccato, *quod abundaverit postquam in mundum introiisset Lex Mosaica*.

(2) Ubi Adæ peccatum considerat tamquam *actuale* hujus personæ peccatum, ibi vocem παράβασις adhibet. Vide ℣. 14.

(3) Operæ pretium fuerit hic recitasse quæ hanc in rem notat S. Thomas (ad h. l.): « *Non ad hoc*, inquit, *fuit data lex ut peccatum abundaret; quin potius lex quantum in se fuit, peccatum prohibuit, secundum illud Psalmi* 118: *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi. Sed lege data consecuta est abundantia delictorum Lex enim licet peccatum demonstraret, peccati tamen concupiscentiam non auferebat. Cum autem alicui prohibetur quod concupiscit, vehementius in concupiscentiam illius exardescit, et sicut fluvius opposito obice fortius fluit et obicem frangit. Cujus ratio potest esse triplex. Una quidem, quia illud quod subjacet hominis potestati, non reputat aliquis pro magno, sed illud quod est extra hominis potestatem, apprehenditur ab homine quasi magnum. Prohibitio autem ejus quod concupiscitur ponit illud quod prohibetur quasi extra hominis potestatem; et ideó concupiscentia magis exardescit in rem concupitam, dum prohibetur.*

legem subintrasse ut abundaret delictum. Nempe finis legis ibi intelligitur non quidem ipsa abundantia delicti, verum id quod ex illa delicti abundantia consequitur. « *Intentio Dei legem dantis*, ait S. Thomas (ad h. l.), *non terminatur ad abundantiam peccatorum, sed ad humilitatem hominis, propter quam permisit abundare delicta.* » Quâ sententiâ Thomam præiverat Augustinus : « *Hoc est*, inquit (1), *in lege magnum mysterium, ideò eam datam, ut crescente peccato humiliarentur superbi, humiliati confiterentur, confessi sanarentur.... Non crudeliter hoc fecit Deus, sed consilio medicinæ; aliquando enim videtur sibi homo sanus et ægrotat, et in eo quod ægrotat et non sentit, medicum non quærit; augetur morbus, crescit malitia, quæritur medicus et totum sanatur* ».

ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia). Sensus hujus partis in antegressis fuit expositus. Adverbium οὗ utrum *Loci* sit an *Temporis* ambigi possit, quum utramque notionem habeat. Attamen in libris Novi Testamenti, οὗ, quod ibi legitur frequenter, nuspiam non *localiter* sumitur. Quare in præsenti quoque loco οὗ *localiter* sumendum videatur. Tum verò sensus is sit, quem Natalis Alexander (ad h. l.) his verbis explicat : *In genus humanum, in quo* (οὗ ubi) *abundavit peccatum, misericors Deus superabundantem gratiam effudit.* Fieri tamen potest ut Apostolus Adverbium οὗ hoc loco sumserit notione *temporali*, quâ valet *quando*, *cum*, volueritque dicere quid factum sit *cum*, *occasione legis*, *abundasset delictum.* Interpres quoque Syrus οὗ hoc loco *temporaliter* accepit; nam vertit : ܘܡܐ ܕܣܓܝܬ ܚܛܝܬܐ h. e. *et cum auctum esset peccatum.* Estius hanc interpretationem alteri prætulisset, sed dubitabat utrum οὗ etiam *temporaliter* diceretur. De quo tamen dubitandum non erat, quum certissimum sit. — Verbum ὑπερπερισσεύω ut et reliqua Verba cum Præpositione ὑπέρ composita notionem

---

Secunda ratio est, quia interiores affectiones quando interius retinentur ita quod exterius non deriventur, ex hoc ipso magis interius incenduntur, sicut patet in dolore et ira, quæ dum interius clausa tenentur magis augentur, si autem exterius quoquo modo prodeant, eorum virtus diminuitur. Prohibitio autem propter timorem pœnæ cogit hominem ut concupiscentiam suam ad exteriora non perducat, et ideo ipsa concupiscentia interius retenta, magis inflammatur. Tertia ratio est, quia illud quod non est nobis prohibitum, apprehendimus quasi possibile fieri quandocumque nobis placuerit; et ideo multoties opportunitate existente illud vitamus; sed quando aliquid est prohibitum, apprehenditur a nobis ut non semper a nobis haberi possit; et ideo quando opportunitas datur sine timore pœnæ illud consequendi, promptiores ad hoc sumus. Et inde est quod, data lege, quæ concupiscentiæ usum prohibebat et ipsam concupiscentiam non mitigabat, concupiscentia ipsa magis ferventer homines ad peccata ducebat. »

(1) In Psalm. CII. n. 15. (apud Klee. ad h. l.) *Es scheint dieses* dasz *hier wirklich nicht im Sinne der blosen Folge, sondern des Entzweckes genommen werden zu müssen, in wiefern nämlich Gott durch das Gesetz die Menschheit, welcher es hingegeben war, zum Bewustseyn der Sünde, und durch die Uebertretung, die er freylich nicht wollte aber voraussah und zuliesz, zur Anerkennung ihres groszen innern Elendes zu bringen, die Absicht hatte, damit die immer tiefer Sinkenden so mit volkommener Einbusze ihres Selbstvertrauens endlich zum Herrn aufschreyen, und in ihrer Demuth der Erlösung würdig und fähig seyn möchten.* » Klee ad h. l.

habent non *comparativam* sed *superlativam*. Itaque sensus non est, *Gratia abundantior fuit*, sed *abundantissima* fuit. In his verbis Præpositio ὑπερ *auget* notionem verbi. Sic (2 Thess. I. 3) ὑπεραυξανω est *valde cresco*, et (Rom. VIII. 37.) ὑπερνικαω *egregiè vinco*. Meritò autem *gratia* (ἡ χαρις) *superabundasse* dicitur, dum non tantùm a peccatis liberat, sed et amicos Dei constituit, et hæredes, secundum spem, vitæ æternùm felicis.

ỳ. 21. *ut sicut regnavit peccatum in mortem ita et gratia regnet*, etc.) Pendent hæc a proximè antegressis ὑπερεπερισσευσεν ἡ χαρις. Nam quominus Verba οὐ δε... ἡ χαρις pro parentheticis habeantur, multa prohibent. Itaque postremo hoc Capitis versiculo docetur *quemnam in finem* (ἱνα) *copiosissimè redundaverit gratia* (ὑπερεπερισσευσεν ἡ χαρις). Nota, copiosissimæ redundantis illius gratiæ *effectum* ab Apostolo considerari tamquam ejusdem *finem* et *scopum*. Ergo copiosissimè redundantis illius gratiæ *finis* sive *scopus* is fuit, *ut sicut* Adæ *peccatum* (ἡ αμαρτια) regnasset *inferendo mortem* (εν τῷ θανάτῳ) tam animæ quam corpori, *ita etiam* (και) *gratia* (ἡ χαρις) regnaret *per* collatam hominibus *justitiam* (δια δικαιοσυνης), qua perducantur *ad vitam* obtinendam *æternam* (εις ζωην αιωνιον).

Ἡ ἁμαρτια de peccato *originali*, ut diximus ad ỳ. 20. Dictionem εν τῷ θανατῳ Gallice reddideris *par la mort;* Præpositio εν ibi dicta est de *instrumento quo* peccatum illud *regnum* suum exercuit; Præpositioni εν hic in altero comparationis membro respondet Præpositio δια, ubi dicitur δια δικαιοσυνης. Ceterum *mortem* intelligendam hic esse mortem tam *corporis* quam *animæ*, id quidem satis colligitur ex antitheto: δια δικαιοσυνης εις ζωην αιωνιον. Nam sicut δικαιοσυνη morti spirituali sive *animæ* opponitur, ita quod dicitur εις ζωην αιωιον opponitur morti physicæ sive *corporis*. Δικαιοσυνη *justitia* intelligitur illa quæ supra (Cap. I. 17) ab Apostolo vocata fuit δικαιοσυνη Θεου, illa, inquam, quæ non Dei sed hominis quæpiam qualitas est, quam dum homini impertit Deus, hominem *justum* facit; quâque fit ut homo, qui nascitur filius primi Adami, transferatur in statum gratiæ et adoptionis filiorum Dei per merita secundi Adami, Jesu Christi Salvatoris nostri; ut adeò ex injusto fiat *justus*, et ex inimico amicus, atque, secundum spem, hæres vitæ æternæ [1]. — Δικαιοσυνη εις ζωην αιωνιου ut suprà (ỳ. 18) εις δικαιωσιν ζωῆς.

---

(1) Cf. quæ notavimus ad Cap. I. ỳ. 17.

CAPUT SEXTUM.

Argumentum. *Pergit nunc Apostolus docere ad quem modum justificatos vitam instituere oporteat.* Transit *autem ad eam rem tractandam , occasione captatâ ex modo dictis , undè nonnemini videri poterat innuisse ,* non esse a peccando desistendum ut gratia eo magis abundaret. *Apostolus igitur falsam hanc conclusionem proponit , eamque mox abominatus tamquam insanam rejicit, ducto argumento a contrario effectu gratiæ* (1–3). *Atque hac transitione usus , deinceps pluribus probat , justificatos esse planè mortuos peccato et novam Deoque dicatam inchoasse vitam ; probat autem argumentando a sacramento Baptismatis significantis , esse nos cum* Christo *mortuos et sepultos atque ad novam vitam excitatos* (3–12). *Estque hæc* prior *hujus Capitis pars ; quam partem ejus* doctrinalem *recte vocaveris ; nam quæ porrò sequuntur usque ad finem capitis ,* exhortatoria *sunt ferè omnia. Ergo illatione factâ ex præcedenti doctrinâ Apostolus Romanos adhortatur , ut quandoquidem mortui sunt peccato , deinceps , represso peccati fomite , Deo et justitiæ vivant. Et ad hoc præstandum animos illis addit , rem commendando a facili ; facilè poteritis , inquit , quod dico , facere,* quippe qui non estis sub lege sed sub gratia (12–15). *Hinc verò transiturus erat Apostolus ad novum quid tractandum, ad tractandum , inquam , de Evangelica a dominio legis libertate. Sed quum sentiret , posse id quod modò dixerat* non estis sub lege , *malè a nonnullis explicari de concessa peccandi licentia , prius falsam illam consequentiam cum indignatione rejicit , docetque liberatos a peccato per* Christi *gratiam factos esse servos justitiæ ; quam servitutem ut gnaviter serviant illos vehementer adhortatur , ducto argumento hinc quidem a pernicioso effectu peccati , illinc vero a præclarissimo fructu Christianæ servitutis* (15–23). *De Evangelica autem a dominio legis libertate dicturus est capite sequenti.*

ỳ. 1—3. Quid ergo dicemus, permanebimus in peccato ut gratia abundet? 2 Absit. Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo? 3 An ignoratis quia quicumque baptizati sumus in CHRISTO JESU, in morte ipsius baptizati sumus?

ỳ. 1—3. Τί οὖν ἐροῦμεν; ἐπιμενοῦμεν [a] τῇ ἁμαρτίᾳ, ἵνα ἡ χάρις πλεονάσῃ; 2 Μὴ γένοιτο. Οἵτινες [b] ἀπεθάνομεν τῇ ἁμαρτίᾳ, πῶς ἔτι ζήσομεν ἐν αὐτῇ; 3 Ἢ ἀγνοεῖτε ὅτι ὅσοι ἐβαπτίσθημεν εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν, εἰς τὸν θάνατον αὐτοῦ ἐβαπτίσθημεν;

Paraphrasis. Quæ cum ita sint, quid igitur inde conficiemus? Num maneamus peccato addicti, ut nostri respectu gratia sit abundans? Absit ut hoc fiat! Nam quomodo peccato vivamus nos qui Christiani sumus, tales, inquam, qui jam mortui sunt peccato? Aut num ignoratis, nos, quotquot fuimus per baptismum JESU CHRISTO addicti sacratique, baptizatos fuisse ad moriendum cum ipso?

VARIANS LECTIO.

a) Pro ἐπιμενοῦμεν legitur επιμενωμεν in Codd. ABCDEFG multisque Minusculis. Quæ lectio, quum alteri auctoritate testimoniorum tantopere præstet, indubie præferenda est, eoque magis quòd facile fieri potuerit, ut ob præcedens ἐροῦμεν librarius unus et alter etiam ἐπιμενοῦμεν scribendum esse existimaverit.

b) Post οἵτινες additur γαρ in Codd. FG.; quod pro glossemate habuerim.

ỳ. 1. *Quid ergo dicemus? Permanebimus in peccato, ut gratia abundet?*) Progreditur jam Apostolus ad quem modum justificatos vitam instituere oporteat. *Transit* autem ad hanc materiam tractandam, occasione captatâ ex modò (ỳ. 20) dictis, unde nonnemini videri poterat innuisse *non esse a peccando desistendum ut efficacia gratiæ in nobis eo magis abundaret eoque illustrior appareret.* Confer hujus capitis *Argumentum.*

Τι ουν ερουμεν; quid igitur (ουν h. e. cum res ita sit ut dixi ỳ. 20) *dicemus* indeque colligemus? *Num in peccato* (τῇ ἁμαρτιᾳ) *permaneamus* (επιμενωμεν in Conjunctivo *deliberantis*) *ut gratia abundet*, dum scilicet peccando hoc efficimus ut numquam desit quod nobis condonetur?—Sive legas επιμενουμεν in Futuro, sive επιμενωμεν

in Præsenti Conjunctivi, sensus eòdem recidit; sed posterior hæc lectio, ut diximus (Vide Var. lect.) alteri præstat. Istiusmodi Conjunctivi *deliberantis* exemplum est in hoc Marci (Cap. XII. 14): δῶμεν η μη δῶμεν; ceterum de isthoc Conjunctivi usu apud Græcos videsis Kühnerum §. 464. α.—Dictionem ἐπιμενειν τῇ ἁμαρτιᾳ pressius reddideris *immorari peccato*; sensus autem est: *Num maneamus addicti peccato?* Et nota, dici in Singulari Numero, addito Articulo, τῇ ἁμαρτιᾳ. Quem Singularem Numerum hoc loco pro *collectivo* habent plerique, quasi Paulus sibi voluerit: *Num perseveremus in peccando?* Ego verò putaverim, Apostolum per peccatum, de quo hic dicit επιμενωμεν τῇ ἁμαρτιᾳ, significare pravam illam concupiscentiam, quæ manet etiam in renatis *ad luctam*, quæque passim ab eo vocatur ἡ ἁμαρτια, quum orta sit ex peccato (originali) et ad peccatum committendum hominem inclinet [1]. Cujus interpretationis ratio est, quia ἡ ἁμαρτια, quæ hic dicitur, profectò una eademque est cum ea de qua infra (℣. 12), præsentem sermonem concludendo, Apostolus dicit: *Non ergo regnet peccatum* (ἡ ἁμαρτια) *in vestro mortali corpore, ita ut obediatis concupiscentiis ejus;* quo loco vocem ἡ ἁμαρτια de *habituali concupiscentia* sumendam esse nemo facile negaverit. Igitur ex sententia Apostoli is hic intelligitur ἐπιμενειν τῇ ἁμαρτιᾳ, qui baptismo mundatus ab originali peccato, deinceps peccando obtemperet pravæ concupiscentiæ quæ ex illo peccato remanet etiam in renatis.

℣. 2. *Absit! Qui enim mortui sumus peccato* (τῇ ἁμαρτίᾳ), *quomodo adhuc vivemus in illo?*) Falsam illam quam dixi consequentiam Apostolus tamquam absurdam rejicit; statimque illius absurditatem probat ducto argumento ex repugnantibus; quasi dicat: Insania sit velle eidem rei et mori et vivere; atqui nos Christiani mortui sumus peccato (τῃ ἁμαρτίᾳ), *quomodo* (πως) ergo amplius illi *vivere poterimus* (ζήσομεν)?

Futurum ζήσομεν adhibitum hic est de *ethica*, ut vocant, *possibilitate*. Qualia Futura Latine expresseris *Modo Conjunctivo Potentiali;* ut hic: *Quomodo illi amplius vivamus?* Interrogatio πως est *Negantis*; itaque sensus est: *Non possumus* (ethicè loquendo) *amplius illi vivere.* Ἡ ἁμαρτια sumenda est eodem sensu, quo modò (℣. 1.); postulat hoc contexta oratio. Dativus autem ille τῃ ἁμαρτιᾳ *peccato* (*mori*) notat *non obtemperare pravæ naturæ concupiscentiis;* ex quo unà intelligitur quid sit ζῆν ἐν τῃ ἁμαρτιᾳ *vivere in peccato*, pro quo Apostolus ex æquo scribere potuisset ζῆν τῇ ἁμαρτιᾳ *vivere peccato*, quo modo infra (Cap. XIV. 8) dixit τῳ Κυρίῳ ζῶμεν. Cf. etiam Gal. II. 8). Ceterum Præpositio ἐν ibi dicitur veluti *de spatio*, in quo quis positus versatur. Conferatur illud Luc. I. 6: πορευόμενοι ἐν πασαις ταις εντολαις του κυριου. Logicè ergo ἐν τῇ ἁμαρτιᾳ valet *secundum* sive *ad normam, dictamen peccati*. Non tamen rectè dixeris Præpositionem εν Grammaticè etiam valere *secun-*

---

(1) Vide supra, p. 149.

dum. — Οἵτινες, quod in principio hujus versiculi legitur, proprie reddendum sit: *ut* (tales) *qui* mortui sumus peccato, quomodo, etc.

℣. 3. *An ignoratis quia quicumque baptizati sumus*, etc.) Illud quod modo dixerat, *Christianos esse mortuos peccato*, deinceps probat, ducto argumento ex eo quod in Sacramento Baptismatis significatur simul et efficitur. Sensus est: Aut num ignoratis, nos, quotquot fuimus per baptismum Jesu Christo addicti sacratique, baptizatos fuisse ad moriendum cum ipso? — Eâ scilicet morte quæ sicut per Baptismum significatur, ita quoque per eumdem efficitur.

De locutione βαπτιζεσθαι εις Χριστον vide quæ notavimus ad Act. VIII. 16 et XX. 2. 3. Dictionem βαπτιζεσθαι εις τον θανατον αυτου reddiderim *baptizari* AD *mortem ejus*; quod explicaverim *ad moriendum cum ipso*. Atque hanc interpretationem omninò suadet id quod statim sequitur (℣. 4): συνεταφημεν συν αὐτῷ *consepulti igitur sumus cum illo*. Docet ergo Apostolus, ad hoc baptizari quotquot baptizantur, ut per baptismum moriantur cum Christo. Quânam verò morte? *Symbolicâ* simul et *reali*; nam qui baptizantur, h. e. aquis *immerguntur*, hoc signo Christum mortuum sepultumque repræsentant; sed quemadmodum Christus per mortem suam *mortuus est peccato* (τῇ ἁμαρτιᾳ), ut infra (℣. 10) Apostolus dicit, ita quoque illi qui baptizantur verè moriuntur *peccato* (τῇ ἁμαρτιᾳ), vel, quod idem est, moriuntur *secundum veterem hominem*. Confer ℣. 6.

℣. 4—7. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem: ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus. 5 Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus: simul et resurrectionis erimus. 6 Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus pec-

℣. 4—7. Συνετάφημεν οὖν [a]) αὐτῷ διὰ τοῦ βαπτίσματος εἰς τὸν θάνατον, ἵνα ὥσπερ ἠγέρθη Χριστὸς ἐκ νεκρῶν διὰ τῆς δόξης τοῦ πατρὸς, οὕτω καὶ ἡμεῖς ἐν καινότητι ζωῆς περιπατήσωμεν. 5 Εἰ γὰρ σύμφυτοι γεγόναμεν τῷ ὁμοιώματι τοῦ θανάτου αὐτοῦ, ἀλλὰ [b]) καὶ τῆς ἀναστάσεως ἐσόμεθα, 6 τοῦτο γινώσκοντες, ὅτι ὁ παλαιὸς ἡμῶν ἄνθρωπος συνεσταυρώθη, ἵνα καταργηθῇ τὸ σῶ-

Paraphrasis. Itaque per baptismum illum mortificantem sepulti sumus cum illo, idque in eum finem ut sicut Christus e mortuis suscitatus est per gloriosam potentiam Patris et Deo vivit, ita quoque nos e baptismi sepulcro ad novam vitam excitati in ea vitæ novitate vivere pergamus. Nam si Christo conformes facti sumus per similitudinem mortis ejus, profectò etiam per similitudinem resurrectionis et novæ vitæ ejus conformes illi esse volemus, quippe qui scimus hoc, scilicet veterem nostrum hominem unà cum Christo affixum fuisse cruci ut destruc-

cati, et ultra non servi-
amus peccato. 7 Qui enim
mortuus est, justificatus
est à peccato.

μα τῆς ἁμαρτίας τοῦ
μηκέτι δουλεύειν ἡμᾶς
τῇ ἁμαρτίᾳ. 7 Ὁ γὰρ
ἀποθανὼν δεδικαίωται
ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας.

retur vetus illud corpus peccati in eum finem ut non ultra, sicut antea faciebamus, serviremus peccato. Et verò post mortem nemo peccat, liberatusque est a dominatu peccati.

VARIANS LECTIO.

a) Pro *enim*, quod Latina Vulgata hoc loco exhibet, constanter legitur οὖν *igitur* in Græcis Codicibus.

b) Pro αλλα legitur ἅμα in Codd. FG, quam lectionem etiam Vulgata refert.

℣. 4. *Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem.*) Græcè est *consepulti igitur* (οὖν), quæ particula οὖν est hic *inferentis* ex *concomitanti*. Scilicet qui baptizantur, hi per baptismum sicut cum Christo moriuntur ita et cum illo sepeliuntur. Vetus ille *homo noster* peccator (Cf. ℣. 6) per Baptismi sacramentum, quod efficit id quod significat, cum Christo et moritur et sepelitur.

Verba εις τον θανατον jungenda sunt non cum συνεταφημεν sed cum βαπτισματος, ut adeò sensus sit: *Itaque per baptismum illum mortificantem* (δια του βαπτισματος εις τον θανατον [1]) *sepulti sumus cum illo*, *ut*, etc.

ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et, etc). Exponit *quem in finem* ii qui baptizantur, per baptismum cum Christo moriantur et sepeliantur. Et finis est, inquit, ut sicut Christus per *omnipotentiam* (δια της δοξης) Patris e mortuis *suscitatus est* (ηγερθη) Deoque vivit (℣. 10), ita quoque nos (*e baptismi sepulcro ad novam vitam excitati* [2])) novæ huic, quam acquisivimus, vitæ convenienter, id est, Deo (Cf. ℣. 11) viveremus.

---

(1) Accuratius, opinor, scripsisset, repetito Articulo, *δια του βαπτισματος του εις τον θανατον.*

(2) Theophyl. ad Coloss. Cap. III. 1.: Το βαπτισμα ὥσπερ δια της καταδυσεως, θανατον, οὕτω δια της αναδυσεως την αναστασιν τυποῖ. h. e. *Baptisma, ut per immersionem, mortem, sic per emersionem, resurrectionem significat.* Chrys. in Cap. 3 Joh. ad ℣. 5: Ἡμων καθαπερ ἐν τινι ταφῳ, τῳ ὑδατι καταδυοντων τας κεφαλας, ὁ παλαιος ανθρωπος θαπτεται· ειτα ανανευοντων ἡμων, ὁ καινος ανεισι παλιν. h. e. *In aqua, tamquam in sepulcro quopiam, caput immergentibus nobis, vetus homo sepelitur ,.... deinde nobis emergentibus, novus inde exsurgit.*

Pro δοξα alibi (2 Cor. XIII. 4. Eph. I. 10) Apostolus in simili sententia adhibuit voces δυναμις, et κρατος της ισχυος αυτου. Igitur δοξα hic intelligitur Dei *gloria vel majestas* quatenus conspicua fuit in potentia quam exseruit in Christo e mortuis resuscitando. Cf. Joh. XI. 40.

℣. 5. *si enim complantati facti sumus similitudimi mortis ejus, etc.*). Apostolus hic *confirmat* (γαρ) superiorem sententiam qua innuerat, baptizatos vivere oportere convenienter novæ vitæ quam per baptismum acquisiverint. Sed interpres noster, ut mihi quidem videtur, in hoc versiculo reddendo mentem Apostoli non satis assecutus est. Ego certe mentem Apostoli hanc esse putaverim: *Nam si Christo conformes facti sumus per similitudinem mortis ejus, profectò etiam per similitudinem resurrectionis et novæ vitæ ejus conformes illi erimus* (h. e. esse volemus). Quod quidem fiet, si quemadmodum Christus a mortuis resuscitatus *vivit Deo* (℣. 10), ita quoque baptizati ad novam vitam excitati, in ea vitæ novitate vivere pergant, *Deo viventes* (℣. 11).

Nota 1°, Post συμφυτοι supplendum esse αυτῳ ex (℣. 4.) συνεταφημεν αυτῳ. 2° Ante ἐσομεθα mente repetendam esse vocem συμφυτοι ex antegresso συμφυτοι γεγοναμεν. 3° Dativum τῳ ὁμοιωματι non pendere a συμφυτοι, sed esse Dativum *Instrumenti*, ut adeo τῳ ὁμοιωματι valeat *per similitudinem*. 4° Secundum accuratiorem syntaxin scribendum fuisse τῳ (scil. ὁμοιωματι) της αναστασεως. 5° Adeòque plenam Apostoli orationem fore hanc: *Ει γαρ συμφυτοι αυτῳ γὲγοναμεν τῳ ὁμοιωματι του θανατου αυτου, αλλα και τῳ ὁμοιωματι της αναστασεως αυτου συμφυτοι αυτῳ εσομεθα.* 6° Si τῳ ὁμοιωματι penderet a συμφυτοι, Apostolus in altera parte sententiæ scripsisset non αλλα και της αναστασεως sed αλλα και τῃ αναστασει. 7° Particulam αλλα [1] hoc loco eam notionem habere, quam in Latino sermone habet Particula *at* post *si*. Vim ejus Particulæ in præsenti loco per *certè* recte reddideris. 8° Futurum εσομεθα hic adhiberi de consilio animique proposito. 9° Vocem συμφυτος etiam valere συγγενης *cognatus*, et *improprie* etiam *conformis*, *similis* [2]. 10° Resurrectionem (αναστασις) quæ hic dicitur, referri non posse ad resurrectionem carnis. Patet hoc ex contexta oratione; nam sermo ibi est non de morte *corporali*, sed de morte qua vetus homo noster per Baptismum moritur peccato; quia ergo agitur de morte *spirituali*, consequitur de *spirituali* quoque resurrectione sermonem ibi institui.

℣. 6. *hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, etc.*).

---

(1) De αλλα in fronte Apodoseos post Protasin hypotheticam, videsis Kühnerum §. 758. 1. a.; Hartung. Tom. II. p. 40. 8., et Klotz ad Devarium, Vol. 2. p. 93 sq.

(2) Vide Homberg *Parerg.* p. 222.

Nexus orationis hic est : Conformes illi esse volemus , *quum sciamus hoc* , *scilicet veterem nostrum hominem* , etc. Itaque versiculus hic *rationem* continet *parœneticam* , ob quam baptizati velle debeant *ambulare in novitate vitæ* (℣. 4) , atque ita Christo sese conformare , exprimendo in se per novam vitam , quam continuò agunt , *similitudinem resurrectionis ejus* (℣. 5).

Duos Paulus homines distinguit , veterem et novum. Et *veterem* quidem appellat eum qui peccato ab Adamo contaminatam vitiatamque naturam nascendo participavit corruptæque hujus naturæ concupiscentiis obsequitur. Cf. Ephes. IV. 22—25. Coloss. III. 9. 10. Itaque *veterem nostrum hominem* Apostolus dicit per Metonymiam *Subjecti pro Accidente*.[1] Is autem *vetus homo noster unà cum* Christo *cruci affixus fuit* (ὁ παλαιος ἡμων ανθρωπος συνεσταυρωθη) , quia nempe in persona Christi , *qui factus est pro nobis maledictum* (Gal. III. 13. Rom. VIII. 3. , 2 Cor. V. 21) , *quippe qui semetipsum dedit αντιλυτρον pro omnibus* (1 Tim. 6) , lapsum humanum genus universum cruci affixum fuit. Et factum hoc est *ut* (ἱνα) *destrueretur* (καταργηθη) vetus ille homo peccator , idque *in eum finem ut* (του μηκέτι δουλευειν ἡμας) non ultra , sicut antea faciebamus , serviremus peccato (τῇ ἁμαρτιᾳ).

Το σωμα της ἁμαρτιας intelligitur corpus quod gerit homo ut in Adamo lapsus antequam restituatur in Christo , quodque illi pro instrumento est ad obediendum corruptæ naturæ concupiscentiis. Cf. ℣. 12. 13. — *Του μηκετι δουλευειν ἡμας* est Infinitivus *finis* ; de quo videsis quæ notavimus in Commentario in Ep. ad Philipp. ad Cap. III. 10. Quod dicit Apostolus *ut ne ultra* (*του μηκέτι*) *serviamus τη ἁμαρτιᾳ* , *peccatum* intelligit quo sensu illud sumendum esse diximus supra ℣. 2 , nec aliter vox ἁμαρτια capienda est in dictione το σωμα της ἁμαρτιας. Ceterum ἡ ἁμαρτια hic per Prosopopœiam sistitur tamquam *domina* , cui qui peccant , *servitutem* exhibeant.

℣. 7. *Qui enim mortuus est , justificatus est a peccato*). Quod in antegressa sententia docuerat , scilicet , oportere eos qui secundum veterem hominem cum Christo sunt crucifixi mortuique peccato (τη ἁμαρτιᾳ) , non amplius *servire peccato* (δουλευειν τη ἁμαρτιᾳ) , illud hic *confirmat* (γαρ) per sententiam e vita communi depromptam hanc : *Post mortem nemo peccat.* Itaque confirmatio fit superioris sententiæ per comparationem *a simili*. Quare id quod dicit Apostolus ὁ αποθανων *is qui mor-*

(1) S. Thomas (ad h. l.) : «*Hæc* vetustas *hominis per peccatum inducta est , in quantum per peccatum bonum naturæ corrumpitur ; quæ quidem vetustas in homine principatur , quamdiu peccato homo subjacet ; et quia id , quod est principale in homine , dicitur esse ipse homo , inde est quod in eo qui peccato subjicitur , ipsa* vetustas *peccati dicitur esse* vetus homo. »

tuus est, illud de morte *physica* sumendum est; nam si ad mortem *ethicam* illud retuleris, nulla erit comparatio, adeòque nec ulla confirmatio. Inde verò consequitur, non esse *theologico* sensu sumendum id quod ibi additur *δεδικαιωται απο της ἁμαρτιας*, sed sensu *forensi*; eo, inquam, sensu quo *δικαιουσθαι απο* valet *ελευθερουσθαι liberari:* Qui mortuus est, *declaratus est liber* (*δεδικαιωται*) *a peccato*, puta hic, veluti a *Domino servitutem exigente*. Similem notionem hoc loco verbo *δικαιουσθαι* subjiciunt quoque Chrysostomus [1] et Theodoretus [2].

ỳ. 8—11. Si autem mortui sumus cum Christo: credimus quia simul etiam vivemus cum Christo: 9 scientes quòd Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. 10 Quòd enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quòd autem vivit: vivit Deo. 11 Ita et vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo, in Christo Jesu Domino nostro.

ỳ. 8—11. *Εἰ δὲ ἀπεθάνομεν σὺν Χριστῷ, πιστεύομεν ὅτι καὶ συζήσομεν αὐτῷ,* 9 *εἰδότες ὅτι Χριστὸς ἐγερθεὶς ἐκ νεκρῶν, οὐκέτι ἀποθνήσκει, θάνατος αὐτοῦ οὐκ ἔτι κυριεύει.* 10 *Ὃ γὰρ ἀπέθανε τῇ ἁμαρτίᾳ ἀπέθανεν ἐφάπαξ· ὃ δὲ ζῇ, ζῇ τῷ Θεῷ.* 11 *Οὕτω καὶ ὑμεῖς λογίζεσθε, ἑαυτοὺς νεκροὺς μὲν εἶναι τῇ ἁμαρτίᾳ, ζῶντας δὲ τῷ Θεῷ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ Κυρίῳ ἡμῶν.*

Paraphrasis. Quod si per baptismum peccato mortui sumus cum Christo, ut sumus reverâ, confidimus fore ut sicut Christus e mortuis resuscitatus, novam vivit vitam, ita et nos haud amplius peccato servientes novam cum Christo etiam vitam agamus, quippe qui scimus, Christum, quem vita nostra exprimere debemus, postquam e mortuis resuscitatus est, haud amplius mori, haud amplius mortem illi dominari; nam quam mortem mortuus est, peccato eam mortuus est semel, quam verò vivit vitam, Deo eam vivit. Atque ita vos quoque reputate vos tales esse qui mortui sint peccato, vivant autem in honorem et gloriam Dei.

---

(1) S. Chrys. Hom. XI. in ep. ad Rom. ad verba Apostoli *ὁ γαρ αποθανὼν δεδικαιωται απο της ἁμαρτιας*, hæc notat: *Περι παντος ανθρωπου*, inquit, *τουτο φησιν, ὁτι ὡσπερ ὁ αποθανων απηλλακται το λοιπον του ἁμαρτανειν, νεκρος κειμενος, οὑτω και ὁ αναβας απο του βαπτισματος· επειδη γαρ ἁπαξ απεθανεν εκει, νεκρον δει μενειν διαπαντος τῃ ἁμαρτιᾳ. Ει τοινυν απεθανες εν τῳ βαπτισμῳ, μενε νεκρος· και γαρ ἑκαστος αποθανων, ουκετι ἁμαρτανειν δυναιτ'αν· ει δε ἁμαρτανεις, λυμαινῃ του Θεου την δωρεαν.* h. e. « *De omni homine hoc dicit, quod, quemadmodum qui mortuus est, deinceps liberatus est a peccando, mortuus quum jaceat; sic qui adscendit a baptismo. Quia enim illic semel mortuus est, oportet ut omnino mortuus peccato maneat. Si ergo mortuus es in baptismo, mane mortuus; etenim quisquis mortuus est, non ultra peccare potest; si autem pecces, Dei donum labefactas.*

(2) Theodoretus (ad h. l.): *Τις γαρ εθεασατο πωποτε νεκρον, η γαμον αλλοτριον διορυττοντα, η μιαιφονιᾳ τας χειρας φοινιττοντα, η αλλο τι των ατοπων διαπραττομενον.* h. e. « *Quis enim umquam mortuum vidit vel alienum cubile construpantem, vel homicidio manus suas cruentantem, vel aliquid aliud turpe et flagitiosum patrantem?*

℣. 8. *si autem mortui sumus cum Christo, credimus* etc.). Series orationis hæc est: quinto versiculo duo dixerat Apostolus: *unum*, baptizatos esse mortuos cum CHRISTO; *alterum*, eos oportere etiam vivere cum illo; horum verò *prius* elucidavit versiculis sexto et septimo; posterius autem elucidat hic, versiculis octavo, nono, et decimo.[1] Undecimus versiculus conclusio est antegressæ (5-10) doctrinæ.

Particula *δε* est hic *transeuntis* ad elucidandam posteriorem partem sententiæ quinto versiculo propositæ. *Eἰ* de re *certa* hic dicitur, ut supra p. 163; reddi per *quandoquidem* hic possit. *Mortui sumus* scil. peccato per acceptum baptismum. Vide supra ad ℣. 3. *Πιστευομεν* hoc loco referendum est non ad intellectum sed ad voluntatem, ut adeo hic valeat *confidimus*. Quod autem ibi dicitur *συζησομεν αυτῳ*, pertinet hoc non ad gloriosam illam cum CHRISTO vitam post carnis resurrectionem, sed ad vitam gratiæ. Bene ESTIUS (ad h. l.): « CHRYSOSTOMUS aliique multi, *inquit*, dictum hoc accipiunt de *vita gloriæ*, quam exspectamus per resurrectionem, ut simile sit illi quod ait (2 Tom. II): *si commortui sumus, et convivemus; si sustinebimus, et conregnabimus.* At certe contextus hic exigit, ut intelligatur de vita per novitatem CHRISTO resurgenti conformatâ, quæ est vita gratiæ; ut sit sensus: Si mortui sumus peccato..., confidimus, sicut CHRISTUS resuscitatus a morte vivit novam vitam, ita nos quoque novam, id est a vetustate peccati repurgatam vitam deinceps acturos.... Sensum hunc, præter alia tam superiora quam sequentia, manifeste vult illa conclusio quam paulo post (℣. 11) infert: *Ita et vos existimate vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo in* CHRISTO JESU. » Hactenus ESTIUS. Addo, etiam S. BASILIUM [2] et THEOPHYLACTUM [3] præsentem locum retulisse ad spiritualem vitam gratiæ, quæ posita sit in hoc, quod justificati vitam gratiæ beneficio partam conservent novæque illius vitæ actiones edant continuò, hac ratione vitam illam imitantes quâ CHRISTUS e mortuis revocatus continuò vivit Deo (Cf. ℣. 10). Ceterum, quod dicit *πιστευομεν* communicativè lo-

---

(1) THEOPHYLACTUS (ad h. l.): *Δοκει*, inquit, *παλιλλογειν, αλλ' ουκ εστι. Και γαρ ανωτερω μεν περι του αει δεῖν νεκρους μενεῖν ἡμας τῃ ἁμαρτιᾳ ελεγε· νυν δε, περι του αει εχειν εν ἑαυτοις την αναστασιν της κατα Θεον πολιθειας* h. e. « *Reïterare idem videtur, at secus se res habet. Supra enim dicebat, quod oporteret nos peccato semper manere mortuos; nunc autem verba facit de resurrectione novæ vitæ, quam secundum Deum habere nos semper convenit.* »

(2) Apud BEN. JUSTINIANUM (ad h. l.): *Non dubito*, inquit, *hæc de spiritali vita gratiæ accipienda esse....; quæ est interpretatio* BASILII (Lib. de Baptismo); *quamquam* ORIGENES, CHRYSOSTOMUS, THEODORETUS, ANSELMUS (Hervæus?) *de immortali vita corporis explicant, quam justi aliquando assequentur... Sed hoc ab instituta disputatione videtur alienum.*

(3) THEOPHYLACTUS (ad h. l.): *Περι παντος ανθρωπου τουτο φησιν, ὁτι ὡσπερ ὁ αποθανων δεδικαιωται απο της ἁμαρτιας, τουτεστι, απολελυται, ηλευθερωται, οὑτω και συ ὁ βαπτισθεις και νεκρωθεις τῃ ἁμαρτιᾳ, μενε νεκρος.* h. e. *De quolibet homine hoc ait: quemadmodum qui vita functus est, justificatus est a peccato*, h. e. *absolutus est, liberatus est; ita et tu qui baptizatus et mortuus es peccato, mortuus ei persevera.* »

quitur; et cum dicere potuisset simpliciter *και συζησομεν etiam vivemus*, maluit dicere modestius *πιστευομεν ὁτι συζησομεν*, *confidimus fore ut etiam vivamus*; sed tamen sibi vult Apostolus: *Vivendum nobis est*, h. e. in nova vita gratiæ continuò perseverandum.

℣. 9. *scientes quod Christus resurgens* etc.). Pro *resurgens* Græce est Particip. Aor. Pass. *εγερθεις*, *suscitatus*, ut supra ℣. 4. *Ratio* hic exponitur superioris sententiæ: *πιστευομεν ὁτι και συζησομεν αυτῳ*. Quæ quidem ratio sumpta est ab exemplo CHRISTI, ut qui a mortuis excitatus vitam vivit perpetuam, numquam denuò moriturus. Et docere vult Apostolus, quod hic ex ℣. 22 anticipamus, talem quoque esse debere vitam *ethicam* eorum qui per baptismum mortui peccato resuscitati sunt ad novam vitam gratiæ; et talis erit vita illa, si Deo continuo vivant nec umquam post hæc incidant in mortem peccati.

Ειδοτες ut suprà (℣. 6) *τουτο γινωσκοντες*, nam etiam hic Participium vertendum est in Verbum Finitum per *quippe qui* (scimus). Quod dicit Apostolus *ουκετι αποθνησκει* sensu non differt ab eo quod subjungit *θανατος αυτῳ ουκ ετι κυριευει*, sed est ibi emphatica ejusdem sententiæ repetitio; id quod inde etiam patet quòd oratio hac parte *asyndetica* est.

Apposité hic TOLETUS (ad h. l.): *Dominationem mortis*, inquit, *sustinuit Dominus*, *sed voluntate propter nos*; *sicut etiam suscepit servi formam. Nos quidem neccessitate dominationem mortis sustinemus*, *quia nascimur filii iræ;* CHRISTUS *verò voluntate*, *quia voluit propter nostram salutem mortis corporalis in se sustinere virtutem. Non ergo est contraria hæc sententia illi* (Joh. VI.)*: Potestatem habeo ponendi animam meam*, *et potestatem habeo iterum sumendi eam.*

℣. 10. *Quod enim mortuus est, peccato mortuus est semel, quod autem vivit, vivit Deo*). His verbis Apostolus *explicat* (*γαρ*) antegressam sententiam: *ουκετι αποθνησκει κ. τ. λ.*—Relativum ὁ quod ibi in uno et altero versiculi membro legitur, neutro loco reddendum est *quod attinet ad id quod*, sed habendum est ὁ pro Accusativo *objecti*, ut in hoc epistolæ ad Galatas (Cap. II. 20): *ὁ δε νυν ζῶ εν σαρκι.* Nempe *αποθνησκειν τι* et *ζῆν τι* valent *aliquam mortem mori*, *aliquam vitam vivere*. Exempla dat FRITSCHIUS (ad h. l.) hæc: LUCIAN. *Tim.* c. 33: *ανδρος βιον ζῆν*; CHARITO p. 12 (ed. D'ORVILLE): *αποθνησκειν θανατον μακρον.* Confer etiam BERNHARDY, p. 106. sqq. Nec aliter THEOPHYLACTUS rem intellexit; nam præsentem locum sic interpretatur: *Και εκεῖνο γαρ ὁ απεθανε τῇ ἁμαρτιᾳ απεθανε.* Itaque sensus est: *Nam quam mortem mortuus est*, *peccato eam mortuus est: quam verò vivit vitam*, *Deo eam vivit.* Belgice hic similiter dixeris: *Want wat hy stierf*, *dat stierf hy aan de zonde*, *eens voor al; doch wat hy leeft*, *dat leeft hy voor God.*

Verba hujus versiculi, quod interpretatione nostra jam innuimus, ita legenda sunt ut *comma* ponatur ante vocem τῇ ἁμαρτίᾳ, quam interpungendi rationem heic postulat Antithesis: *quod autem vivit, vivit Deo.* Dicitur autem Christus *mortuus* esse *peccato* τῇ ἁμαρτίᾳ (Dativ. *Incommodi*), quatenùs se suâ *obedientiâ*[1] *liberavit a peccato mundi*[2] quod illi innocenti divinitùs fuerat *impositum*[3]; quare et in secundo suo adventu *sine peccato apparebit*, ut docet Apostolus in Ep. ad Hebræos Cap. IX. 28. Denique *vivere Deo* (τῷ Θεῷ in Dativo *Commodi*) Christus dicitur, ut qui, a morte resuscitatus, vivit immortalis *ad laudem et gloriam Dei.* Cf. Coloss. III. 1—3. Recte Majerus (ad h. l.): « *Es ist hier*, inquit, *die Reflexion ferne zu halten, dasz ja* Christus *auch auf der Erde dem Willen Gottes ganz ergeben war und göttlichen Zwecken diente; auch darf man nicht in Frage stellen, ob etwa der Apostel sich das Willensverhältnisz bei* Christus *zu Gott nach dessen Erhebung als ein innigeres denke; es kommt hier den Apostel nur darauf an, in dem Herrn ein Vorbild zu zeichnen, und zu diesem Zwecke hebt er ohne Beziehung auf ein früheres verhältnisz die Richtung des auf die Auferweckung erfolgten Lebens* Jesu *hervor.* » Dr. Adalbert Maier. Commentar über den Brief Pauli an die Römer.

Vox ἐφάπαξ, *semel*, a fine sententiæ posita est, idque non sine emphasi, ut et Hebr. X. 10; itaque valet Gallicum *une fois pour toutes*, aut Nostratium *eens voor al.* Exempla locutionis ζῆν τινι plura collegit Wetsteinius ad Rom. VI. 10.

ỷ. 11. *Ita et vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo*, etc.) Fit superioris sententiæ parænetica applicatio[4], quâ unâ *transitur* ad insequentem (ỷ. 12—23) exhortationem. Sensus patet: Sicut Christus peccato semel mortuus vivit Deo, ita quoque et vos existimate vos esse mortuos, etc. Quod verò additur ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ referendum hoc est ad mysticam illam baptizatorum cum Christo unionem[5], de qua videsis quæ notavimus ad Philipp. Cap. 1. 1. pag. 17.

---

(1) Rom. V. 18: *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi: ita et per unius obeditionem justi constituentur multi.* Cf. etiam Philipp. II. 8.

(2) Joh. I. 29: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi* (τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου).

(3) Isaiæ LIII. 6: *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrûm.* 2 Cor. V. 21: *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit.*

(4) Theophylactus (ad h. l.): Ἐπειδὴ δε δευτερον ουκ αποθνησκει Χριστος, ουδε ἡμεις δευτερον θανατον δια ἑτερου βαπτισματος εχομεν. Μένωμεν τοινυν επι των προτερων, τουτεστι, του θανατου μεν της ἁμαρτιας, αναστασεως δε του κατα Θεον βιου. h. e. *Quia Christus secundò non moritur, neque nos secundam mortem per alterum baptisma habemus. Maneamus igitur in prioribus, hoc est, in morte quidem peccati, in resurrectione autem vitæ quæ est secundum Deum.*

(5) S. Thomas ad h. l.: *in Christo Jesu*, id est, *inquit*, tamquam incorporati Christo Jesu.

Vox εἰναι post νεκρους a plerisque Codicibus Uncialibus abest ; glossema sapit. Quidquid sit, vox εἰναι ibi necessaria non est, quum λογιζεσθαι construatur etiam cum gemino Accusativo, ut Sap, XV, 15.

ỷ. 12-14. Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore ut obediatis concupiscentiis ejus. 13 Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato : sed exhibete vos Deo, tamquam ex mortuis viventes et membra vestra arma justitiæ Deo. 14 Peccatum enim vobis non dominabitur : non enim sub lege estis, sed sub gratia.

ỷ. 12-14. *Μὴ οὖν βασιλευέτω ἡ ἁμαρτία ἐν τῷ θνητῷ ὑμῶν σώματι εἰς τὸ ὑπακούειν αὐτῇ ἐν* [a] *ταῖς ἐπιθυμίαις αὐτοῦ·* 13 *μηδὲ παριστάνετε τὰ μέλη ὑμῶν ὅπλα ἀδικίας τῇ ἁμαρτίᾳ· ἀλλὰ παραστήσατε ἑαυτοὺς τῷ Θεῷ ὡς ἐκ νεκρῶν ζῶντας, καὶ τὰ μέλη ὑμῶν ὅπλα δικαιοσύνης τῷ Θεῷ.* 14 *Ἁμαρτία γὰρ ὑμῶν οὐ κυριεύσει· οὐ γάρ ἐστε ὑπὸ νόμον, ἀλλ' ὑπὸ χάριν.*

Paraphrasis. Cavete ergo ne Peccatum dominium exerceat in mortali vestro corpore ita ut pravis hujus cupiditatibus obediatis ; neque committatis ut membra vestra in ministerium exhibeatis Peccato tamquam instrumenta ad patrandam iniquitatem, sed contrà totos Deo vos exhibete sicut facere decet homines qui mortui cum essent, divinitùs resuscitati sunt ad novam vitam ; et membra vestra Deo exhibeantur tamquam totidem instrumenta ad præstanda opera justitiæ. Neque enim metuendum est ne Peccatum in vos dominium suum exerceat ; non enim sub lege jam estis sed sub gratia.

VARIANS LECTIO.

[a]) Voces αὐτῇ ἐν non leguntur in Codd. ABC* ut nec in nonnullis Minusculis ; absunt pariter a Vulgata et plerisque antiquis versionibus. Tischendorfius voces illas in textum non recepit ; idque rectè fecit, ut ego quidem arbitror.

ỷ. 12. *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore*, etc.) Flexâ ad exhortationem oratione, Apostolus ex præmissa doctrina (ỷ. 3—10) *infert* (οὖν), baptizatis deinceps, represso peccati fomite, studendum esse pietati morumque sanctitati ; nec interius corde (ỷ. 12), nec exterius corpore (ỷ. 13) Peccato (τῇ ἁμαρτίᾳ) esse obediendum, sed utroque modo Deo serviendum (ỷ. 13). *Peccatum* autem (ἡ ἁμαρτια) quod

hic dicitur, improprio nomine, vel, si placet, καταχρηστικως ita appellatur; intelligitur autem *fomes peccati*, ut suprà ad ℣. 1. jam diximus [1]. Ceterum in præsenti oratione ut personæ sistuntur tam ἡ ἁμαρτια (℣℣. 12. 13. 16. 17. 19. 20. 22. 23.) quam ἡ δικαιωσυνη (℣℣. 18. 19. 20). Bene Estius: « Observanda est, *inquit*, personarum fictio quædam in *peccato* et *justitia*. Fingit enim eas ut reginas seu dominas (nam utrumque in Græco femininum est), singulas suum habentes regnum ac dominium, alterum alteri contrarium; humanum verò genus regno peccati subditum, per Christi gratiam paulatim ex ea servitute liberari ac transferri in regnum justitiæ. Sic autem liberatos hortatur, ne sese rursùs per spontaneam obedientiam in priorem Peccati servitutem redigi sinant. »

Mortale (θνητον) autem Apostolus vocat *corpus*, quippe moriendi necessitati subjectum ob peccatum (Cap. V. 12), vel fortasse etiam ut significet, vitiositatem illam quam quam *peccatum* appellat, nobis inesse quamdiu *mortale* est corpus nostrum; quo sensu infra (Cap. VII. 17) dicturus est *peccatum* (την ἁμαρτιαν) in nobis *habitare* (οικεῖν). Animadverte Apostolum non dicere *ne sit peccatum illud in vestro mortali corpore*, sed μὴ βασιλευετο *ne regnum exerceat, ne regnet*, quo innuit, eos, qui peccent, peccare non vi aut necessitate sed liberæ voluntatis electione; quod tamen distinctius declarat dum addit εἰς τὸ ὑπακούειν ταῖς ἐπιθυμιαις αὐτοῦ scil. σώματος, h. e. *ita ut obediatis concupiscentiis ejus*, scil. *corporis*; ubi Præpositio εις dicta est de *eventu* vel *effectu*; ut supra Cap. I. 20.

℣. 13. *Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato*) Græce non legitur *sed neque*, sed simpliciter *neque*. Id quod modo dixerat Apostolus *ita ut obediatis concupiscentiis ejus*, ad consensum mentis pertinebat; quod nunc addit, *neque exhibeatis membra vestra* etc., ad peccaminosi operis executionem pertinet. Sensus est: *Nolite corporis vestri membris abuti ad patranda peccata*. Sed Apostolus loquitur metaphorice: oculos, manus, cetera corporis membra negat Peccato (τῇ ἁμαρτιᾳ) veluti Domino exhibenda esse tamquam totidem instrumenta exercendæ iniquitatis.

Παριστανακ τινι τι *est exhibere alicui aliquid*, et hic quidem *in ministerium*, ut patet ex contexta oratione ℣. 16. 19. Confer etiam Matth. XXVI. 53. De verbi ἵστημι et Compositorum notione pro variis Temporibus variâ, diximus ad Act. I. 3.—Τῇ ἁμαρτίᾳ de *fomite* peccati, ut supra, ℣. 12. Ὅπλα et *arma* sunt, et simpliciter *instrumenta* quibus aliquid efficitur; at posteriorem quidem ejus vocis significationem hic prætulerim, quum addatur αδικιας: agitur enim non de iniquitate defendenda, sed exercenda. Ὥπλα αδικιας est Accusativus *Prædicati*, αδικιας Genitivus *Objecti*.

sed exhibete vos Deo, tamquam ex mortuis viventes, et membra vestra arma justitiæ Deo). Excitat eos Apostolus ad præstanda duobus superioribus contra-

(1) Confer hic etiam quæ pag. 151 recitavimus ex S. Thoma.

ria (*ἀλλὰ*) ; et quidem, ad *interiorem* quod attinet hominem, hortatur ut Deo sese exhibeant *velut tales* (*ὡς*), h. e. ut facere decet homines *qui ex mortuis* (*ἐκ νεκρῶν*), quales olim erant antequam baptizarentur, nunc sunt *viventes* (*ζῶντας*) novâ vitâ gratiæ. Ad *exteriorem* verò hominem quod spectat, eos hortatur ut corporis sui membra Deo (*τῷ Θεῷ*) offerant tamquam totidem instrumenta ad justitiæ opera præstanda. — *Νεκροὺς* sumas non ut ℣. 11, sed ut Ephes. II. 5. Vox *τῷ Θεῷ*, quæ a fine hujus versiculi legitur, ab antegresso Aoristo *παραστήσατε* pendet. Porro notandum est, Imperativum Aoristi eam quoque habere indolem ut præcipiat cum majore quadam vi quam Aoristus Præsentis; quare mirum videri non debeat sicubi in eadem oratione, ut in præsenti loco Apostoli et Cap. XV. 11, post Imperativum Præsentis sequatur Imperativus Aoristi. De his Imperativis Schoemann ad Isæum (apud Win. §. 44. 6) hæc notat: *Tenuissimum, inquit, discrimen esse apparet, ut sæpenumero pro lubitu aut affectu loquentis variari oratio possit. Nam quid mirum qui modo lenius jusserat: σκοπεῖτε* (Demosth. *Lept.* 542), *cumdem statim cum majore quadam vi et quasi intentius flagitantem addere: λογίσασθε. Et plerumque, si non semper, apud pedestres quidem scriptores, in tali diversorum Temporum conjunctione Præsens Imperativus antecedit, sequitur Aoristus.*

℣. 14. *Peccatum enim vobis non dominabitur: non enim sub lege estis, sed sub gratia*). Subjicit *rationem* (*γὰρ*) cur facile possint re præstare id ad quod præstandum illos adhortatur, atque ita animos illis addit. Sensus est: Nam *Peccatum* (*ἁμαρτία*), inquit, quamquam vos oppugnabit, non tamen *poterit* in vos *dominari* (*κυριεύσει*) suamque exercere tyrannidem; ratio est, quia non estis sub *lege Mosaica* (*ὑπὸ νόμον*), sed *sub gratiâ* (*ὑπὸ χάριν*). Quod vero dicit Apostolus *non estis sub lege sed sub gratia*, statum statui opponit, œconomiam legis œconomiæ gratiæ; quasi dicat; non estis *subditi* (*ὑπὸ* cum Acc.) legis Mosaicæ, sed legis Christianæ sive Evangelicæ. Mentem Apostoli recte explicavit Toletus (ad h. l.) « *Esse sub lege, inquit, significat esse in statu legis; lex autem subintravit ut abundaret peccatum* (Cap. V. 20. 21); *non enim id tulit, sed potius occasionaliter auxit. Nam lex præcipiens quædam, quædam autem prohibens, nec virtutem, qua ejus mandata et prohibitiones implerentur, exhibens, potius erat occasio peccandi; idcirco in eo statu peccatum dominabatur. Dices: nonne in illo statu erant justi et remissio peccatorum, et gratia per quam lex implebatur? Respondeo, ita esse; tamen hæc dabantur non vigore legis, sed fidei futuri tunc Christi; status autem legis, quantum ex se erat, peccatum non auferebat, nec virtutem, ut impleretur, dabat, ideo dicitur tunc dominari peccatum; atque hoc est esse sub lege.* Esse vero sub gratia *significat esse in statu Evangelico, in quo prædicatur et confertur gratia, qua lex impleri possit, et qua peccatum vetus auferatur et robur ad non peccandum detur. Ideô in eo statu peccatum non dominatur, quia vires amisit per gratiam, quæ confertur in Evangelio, per quam peccatum vincitur et destruitur.* Esse ergo sub gratia, *non est, non teneri ad implenda legis præcepta, sed esse in statu, in quo datur gratia, per quam impleri possunt præcepta, et per quam destruitur peccatum. Multum*

ergo errant Hæretici nostri temporis, non assequentes quid sit esse sub lege. *Non enim est, non teneri lege, sed esse sub statu legis, quæ ex se non habet gratiam remissionis peccatorum, nec robur implendi mandata. Hæc enim facit fides viva in* Christum, *per quam gratia confertur, quæ ad statum Evangelii pertinet. Et propterea in eo dicitur peccatum non dominari; non quod non sit, sed quod non dominetur. Attende, per legem intelligi etiam moralem, sub qua in Evangelio non sumus, quamvis eam servare teneamur, quia status Evangelii non est status legis, propter causam dictam.* » Hactenus Card. Toletus. Confer hic quæ notavimus supra ad Cap. III. 20. pag. 90, sq. Item Petav. *de Prædestinatione*, Lib. X. Cap. XXI. n. 14, et Cajetan. ad Rom. VI. 14.

Peccatum quamquam hic dicitur absque Articulo (*ἁμαρτία*), tamen intelligendum est idem illud peccatum, de quo modo (℣. 12) dixerat: *Μὴ οὖν βασιλευέτω ἡ ἁμαρτία ἐν τῷ θνητῷ ὑμῶν σωματι.* Vide supra ad ℣. 12. Abesse poterat Articulus ob eamdem rationem ob quam hic pariter abest a vocibus *νομον* et *χαριν*; abesse poterat, inquam, quia ejusmodi sunt hæc Nomina, ut, in præsenti doctrina si adhibeantur, Propriorum Nominum naturam induant.— Futurum *κυριευσει* est *excitantis* et *animos addentis.*

℣. 15—16. Quid ergo? peccabimus, quoniam non sumus sub lege, sed sub gratia? Absit. 16 Nescitis quoniam qui[b] exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis ejus, cui obeditis, sive peccati ad mortem, sive obeditionis ad justitiam?

℣. 15—16. *Τί οὖν; ἁμαρτήσομεν*[a] *ὅτι οὐκ ἐσμὲν ὑπὸ νομον ἀλλ' ὑπὸ χάριν; μὴ γένοιτο.* 16 *Οὐκ οἴδατε ὅτι ᾧ παριστάνετε ἑαυτοὺς δούλους εἰς ὑπακοὴν, δοῦλοί ἐστε ᾧ ὑπακούετε, ἤτοι ἁμαρτίας εἰς θὰνατον, ἢ ὑπακοῆς εἰς δικαιοσύνην;*

Paraphrasis. Quid inde? ergo-ne peccemus quandoquidem non sumus sub lege sed sub gratia? Absit ut quis vestrûm ita sentiat! Mutata servitus est, non ablata. Aut num forte ignoratis, cui servos ad obediendum adstrictos vos præbeatis, illius cui obeditis revera vos esse servos, servos, inquam, aut Peccati, cujus servitus ducit ad mortem, aut Obedientiæ, cujus servitus ducit ad justitiam?

VARIANS LECTIO.

a) Pro ἁμαρτησομεν est ἁμαρτησωμεν in Codd. ABCDEIK multisque Minusculis; quæ lectio priori præferenda est, cum quòd testes habet et plures et præstantiores, tum etiam quòd fieri potuit ut librarius unus et alter ἁμαρτησωμεν pro mendosa scriptione habuerit ideoque pro ea reposuerit, ἁμαρτησομεν. Vide Commentarium ad h. l.

b) *Qui* legitur non *cui* in Vulg. ed. Vatican. 1592. Mendosè.

℣. 15. *Quid ergo? peccabimus, quoniam non sumus sub lege, sed sub gratiâ?*) Illud quod modo dixerat Apostolus *non estis sub lege*, cum ambigue dictum esset, male a nonnullis sumi poterat de concessâ ab illo peccandi licentiâ. Hunc ergo falsum intellectum ut refellat, eumdem proponit, ut statim cum abominatione (*μη γενοιτο*) rejiciat. Falsus ille intellectus his verbis enunciari possit: Quandoquidem non sumus *sub lege*, profectò nec præceptis ejus tenemur, adeoque libera nobis facta est quidvis faciendi potestas.

Τί οὖν formula est *præoccupantis* objectionem sumptam ex *antegressis* (*οὖν*). Vide suprà ad III. 9. Forma *ἁμαρτησωμεν* videatur esse Futurum Conjunctivi, sed non est; nam Græca lingua Futurum Conjunctivi non habet [1]. Est autem forma *ἁμαρτησωμεν* habenda pro Aoristo Conjunctivi [2], et hìc quidem *deliberantis*, ut adcò ea vox reddenda sit *num peccemus*.

℣. 16. *Nescitis quoniam cui exhibetis vos servos ad obediendum*, etc.). Falsum verborum suorum intellectum illum quem cum indignatione (*μη γενοιτο*) rejecerat, nunc etiam confutat argumentatione. Et argumentum quidem ducitur a natura servitutis: *Cui se quis devovet ad obediendum*, inquit, *illius est servus*. Hactenus generalis erat sententia, quare et per verba Præsentis (*παριστανετε* et *ὑπακουετε*) enuntiatur; sed per ea quæ continuâ oratione subdit, *sive peccati ad mortem*, *sive obeditionis ad justitiam*, per hæc, inquam, generalem illam sententiam ad propositum suum applicat, ut adcò argumentatio huc redeat: An nescitis, quod nemo ignorare solet, cui servos *ad obediendum adstrictos* (*εις ὑπακοὴν*) vos præbetis, illius cui obedientiam præstatis vos reverâ esse servos, servos, inquam, aut peccati, cujus servitus ducit ad mortem, aut obedientiæ, cujus servitus ducit ad justitiam?

Εἰς ὑπακοην ad obedientiam præstandam. Pertinet hoc ad *totam* dictionem *παριστανετε ἑαυτους δουλους*. Rationem cur adhibita hic fuerint Verba Temporis Præsentis, supra jam dedimus. — *Δουλοι εστε ᾧ ὑπακουέτε* dictum est ellipticè pro *δουλοι εστε τουτου ᾧ ὑπακουετε*. — Genitivi *ἁμαρτιας* et *ὑπακοῆς* pendent ab antegressa voce *δουλοι*, quæ hic mente supplenda est. — Dictio disjunctiva *ἤτοι—ἤ* valet Nostratium *of wel—of*, ubi duo ponunt ad modum Dilemmatis [3]. Atque ita hic: *aut peccati servos vos esse*, *aut obeditionis*; nam utrique servire non poterant. Potuisset hoc loco scribere Apostolus *aut* (servos) *peccati ad mortem*, *aut* (servos) *justitiæ ad*

---

(1) De Futuris Conjunctivis, quæ esse videantur in libris Novi Testamenti, pluribus ago in *Grammatica Græcitatis librorum N. T.*, quam nunc prælo subjeci.

(2) Hoc non animadverterit librarius, qui ideò pro *ἁμαρτησωμεν* reposuerit Futurum Indicativi *ἁμαρτησομεν*.

(3) Cf. Hartung *Lehre von den Partikeln der Gr. Sprache* Th. 2. p. 356 sqq.

vitam. Nam statim infra (ỳ. 18) *peccato* opponit *justitiam*, et (ỳ. 23) *mortem vitæ*. Quod si etiam hìc fecisset concinnior fuisset oratio, et antithesis elegantior; cur vero non fecerit, me quidem latet. Ceterum *obeditio* ὑπακοη, quæ hic *peccato* ἁμαρτίᾳ opponitur, intelligenda est obedientia *Deo* præstanda; colligitur hoc ex collato versiculo vigesimo secundo: *Nunc vero liberati a peccato, servi autem facti Deo*. Hoc loco ὑπακοη per Prosopopœiam sistitur tamquam domina, cui opponitur domina ἁμαρτία.—Præpositio εἰς in dictionibus εις θανατον et εις δικαιοσυνην dicta est *de effectu* utriusque servitutis; et δικαιοσυνη quidem intelligenda ibi est *vitæ sanctimonia*, quâcum Apostolus unà cogitat *vitam æternam*, quæ vitæ sanctitatem consequitur; atque hoc sensu vocem δικαιοσυνη hoc loco sumendam esse satis constat ex collato versu vigesimo secundo, ubi *fructus* exhibitæ Deo servitutis vocatur ἁγιασμός (Vulg. *sanctificatio*), cujus merces sit *vitæ æterna*; θανατος autem ibi intelligitur *mors æterna*, quam interpretationem postulat collatio versûs vigesimi tertii, ubi *morti*, quæ stipendium sit peccati, opponitur *vita æterna*; ait enim: *Stipendia peccati, mors; gratia autem Dei, vita æterna*.

ỳ. 17—18. Gratias autem Deo quòd fuistis servi peccati, obedistis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in quam traditi estis. 18 Liberati autem a peccato, servi facti estis justitiæ.

ỳ. 17–18. Χάρις δὲ τῷ Θεῷ, ὅτι ἦτε δοῦλοι τῆς ἁμαρτίας, ὑπηκούσατε δὲ ἐκ καρδίας εἰς ὃν παρεδόθητε τυπον διδαχῆς, 18 ἐλευθερωθέντες δὲ ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας, ἐδουλώθητε τῇ δικαιοσύνῃ.

Paraphrasis. At verò, gratiæ habeantur Deo, quòd cum essetis servi Peccati, sincere et ex animo obedientiam præstiteritis doctrinæ evangelicæ in quam traditi estis, liberati autem à servitute Peccati, redacti fuistis in servitutem Justitiæ.

ỳ. 17. *Gratias autem Deo, quod fuistis servi peccati, obedistis autem* etc.) Versiculus antegressus continebat propositionem generalem hanc: *Cui se quis devovet ad obediendum, illius est servus*. Postulabat jam instituta argumentatio ut adderetur, *atqui a servitute peccati liberati ad obediendum Deo vos mancipastis*; *Ergo non est ulterius serviendum Peccato*; verùm non ita hic Apostolus, sed Minorem illam effert sub formâ gratiarum actionis: *At* (δε), inquit, *gratiæ habeantur Deo* (χαρις τῷ Θεῷ scil. εἴη), *quòd cum essetis servi Peccati, sincerè et ex animo obedientiam præstiteritis illi doctrinæ formæ*, i. e. *disciplinæ evangelicæ, in quam traditi fuistis*.

Verba ista, ὅτι ἦτε δουλοι της ἁμαρτιας, ὑπηκουσατε δε verbotenùs reddita valent *quod eratis servi peccati, obedistis autem* etc., sed profectò noluit dicere Apostolus, *gratias agendas esse Deo, quòd Romani aliquando fuissent servi peccati*. Imò,

omninò hoc dicere voluisset, additâ Particulâ *μεν* scripsisset: *ὅτι ἦτε μεν δουλοι κ. τ. λ.* Quid igitur? scilicet Apostolus Participii loco [1] Verbum Finitum adhibuit, et sententiam *unam* (*ὅτι οντες ποτέ δουλοι της ἁμαρτιας ὑπηκουσατε*) Grammatice expressit per *duas* (*ὅτι ἦτε δουλοι της ἁμαρτιας* et *ὑπηκουσατε δε*); quo modo Lucas XXIV. 18 pro *σὺ μόνος παροικῶν Ἱερουσαλὴμ οὐκ εγνως* dixit *σὺ μονος παροικεις Ἰερουσαλημ, καὶ ουκ εγνως*, et Joh. III. 19: *Αὐτη εστιν ἡ κρισις, ὅτι τὸ φως εληλυθεν εις τον κοσμον, και ηγαπησαν οἱ ανθρωποι μᾶλλον το σκοτος*, pro *ὅτι του φωτος ελθοντος εις τον κοσμον οἱ ανθρωποι ηγαπησαν μᾶλλον το σκοτος*, et Matth. XI. 25: *Ἐξομολογουμαι σοι, πατερ, ... ὅτι απεκρυψας ταυτα απο σοφων και συνετων, και απεκαλυψας αυτα νηπιοις* pro *ὅτι αποκρυψας ταυτα απο σοφων απεκαλυψας νηπιοις*; neque enim, quod ad hunc Matthæi locum observat S. Chrysostomus (apud Maldonatum ad h. l.), gratias Deo Patri agebat Christus, quòd hæc sapientibus abscondisset, sed quòd cum abscondisset sapientibus, parvulis ea revelasset [2]. Nec obstat quod in citatis ex Evangelio locis membrum orationis unum alteri conjungitur per *καὶ*, in loco Paulino autem per *δε* (*ὑπηκουσατε δε*); ratio est, quia Particula *δε* ibi non habet vim *adversativam* sed *conjunctivam*, ut adeò idem ibi valeat quod *καὶ* [3].

Verba ista, *ὑπηκουσατε εις ὃν παρεδοθητε τυπον διδαχης*, per *Attractionem* posita sunt pro *ὑπηκουσατε τῳ τυπῳ διδαχης, εις ὁν παρεδοθητε*. Quod autem ibi dicit Apostolus *ὑπηκουσατε*, *obedivistis*, actum significat quo Romani Evangelicam fidei et morum doctrinam liberè amplexi atque ita per fidem et baptismum justificati, *liberati fuerant a dominio Peccati* (℣. 18. *ελευθερωθεντες απο της ἁμαρτιας*) *mancipati verò Justitiæ in servos* (*εδουλωθητε τη δικαιοσυνῃ*). — *Τυπος διδαχης forma doctrinæ* (Vide supra pag. 161) intelligitur *ipsa doctrina Evangelica* ut distincta ab alia forma doctrinæ, ut puta Judaicæ. Ceterum, ad rem dogmaticam quod attinet, rectissime ex hoc loco probantur tum humani arbitrii in obediendo Evangelio libertas, tum etiam divinæ gratiæ auxilium ad ipsum hoc præstandum. Nam quod dicit Apostolus *ex corde obedistis*, humanæ voluntatis libertatem declarat; quod verò ob eam obedientiam ipse *gratias Deo agit* (*χαρις τῳ Θεῳ*), monetque eos *fuisse traditos* (*παρεδοθητε* Passivè) doctrinæ Evangelicæ, divinæ gratiæ auxilium ostendit.

---

(1) Puta *ὅτι οντες ποτέ δουλοι της ἁμαρτιας ὑπηκουσατε, κ. τ. λ.*

(2) Verba Chrysostomi (Hom. 38) hæc sunt: *Οὐ τοινυν δια τουτο* (scil. *το αποκρυψηναι απο σοφων*), *χαιρει, αλλ᾽ ὅτι ἁ σοφοι ουκ εγνωσαν εγνωσαν οὗτοι.*

(3) De vi *conjunctivâ* Particulæ *δε* videsis Kühner §. 738. *b.*

℣. 19. Humanum dico, propter infirmitatem carnis vestræ : sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem.

℣. 19. (Ἀνθρώπινον λέγω διὰ τὴν ἀσθένειαν τῆς σαρκὸς ὑμῶν). Ὥσπερ γὰρ παρεστήσατε τὰ μέλη ὑμῶν δοῦλα a) τῇ ἀκαθαρσίᾳ καὶ τῇ ἀνομίᾳ εἰς τὴν ἀνομίαν, οὕτω νῦν παραστήσατε τὰ μέλη ὑμῶν δοῦλα τῇ δικαιοσύνῃ εἰς ἁγιασμόν.

Paraphrasis. (Quod dico *redacti fuistis in servitutem justitiæ*, similitudine e rebus humanis ductâ utor propter imbecillitatem vestram). Sicut olim, inquam, membra vestra fecistis servire impuritati ad improba quævis perpetranda, ita nunc membra vestra facite servire Justitiæ ad sanctificationem vestram.

VARIANS LECTIO.

Pro δοῦλα, quod hic et mox iterum hoc versiculo legitur, est utroque loco δουλευειν in Codd. FG, quam lectionem pariter exhibent versiones Itala et Vulgata. Syrus circumlocutione usus scripsit ܠܫܘܥܒܕܐ *ad servitutem*.

℣. 19. *Humanum dico, propter infirmitatem carnis vestræ).* Referendum hoc est ad antegressa. Scilicet dixerat modò (℣. 18) *redacti fuistis in servitutem justitiæ* (εδουλωθητε); atqui facere quæ vult Deus, proprie non est *jugum* aliquod *subire*, sed verâ demùm frui libertate [1])! Itaque excusat Apostolus quod dixerat εδουλωθητε, monendo se per similitudinem rei humanæ ita loqui ut ad captum eorum sese demittat. Accommodate ad vestrum captum, inquit, obedientiam Deo præstandam servituti humanæ assimilo, idque facio quia (δια) adhuc *carnales* estis et tamquam tales inepti ad intelligendum quod Deo servire revera sit regnare.

Dictionem ανθρωπινον λεγω Adalb. Maier [2]) interpretatur *rem cum rebus humanis comparo*; recte, ut ego quidem arbitror. Eodem sensu Philo (De somn. pag. 1147. c)

---

(1) Ου γαρ εστι τουτο κατα αληθειαν δουλεια το κατα δικαιοσυνην πολιτευεσθαι, αλλα τουτο ἡ αληθης ελευθερια και ευδαιμονια. h. e. *Neque enim id juxta rei veritatem servitus est, secundum justitiam videlicet conversari, sed hoc vera libertas est ac felicitas.* Oecumen. ad h. l. ex Photio.

(2) Commentar über den Brief Pauli an die Römer. ad h. l.

scripserat *και τι δει τ᾽ανθρωπινα λεγεσθαι*[1]. Alibi (Gal. III. 15) pro *ανθρώπινον λεγω* Apostolus sensu non dissimili dixit *κατ᾽ανθρωπον λεγω*. Syrus quoque rem sic intellexit; nam *ἀνθρωπινον λεγω* reddidit ܐܝܟ ܕܒܝܬ ܒܢܝ̈ܢܫܐ ܐܡܪ ܐܢܐ h. e. *sicut inter homines loquens ego;* iisdemque verbis vertit *κατ᾽ ανθρωπον λεγω*, quod Gal III. 15 occurrit. Toletus (ad h. l.) aliique interpretes bene multi, prææunte S. Chrysostomo[2], dictionem *ανθρωπινον λεγω* in eum sensum capiunt ut illis valeat *non difficile aut molestum, sed facile aut leve quid postulo.* Verùm Apostolus scripsit *λεγω*, non scripsit *απαιτῶ* aut simili aliquo verbo usus est; nec contextæ orationi convenit isthæc interpretatio; nam quod ibi dicit Apostolus *sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ et iniquitati, ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ*, hoc profectò præceptum, quum sit universale et latissime pateat, non appellaverit *facile* aut *leve* quid. Denique si hoc dicere voluisset Apostolus, scripsisset, opinor, non simpliciter *ανθρωπινον* sed *ανθρωπινον τι*.

Ασθενεια defectus virium corporis, *imbecillitas*, translatè hic dicitur de *defectu intellectûs* in re religiosa; puta eos, quos hic cogitat Apostolus, tales esse qui nondum intelligant quod servire Deo re verâ sit regnare. Simili notione voces *ασθενῶν* et *ασθενης* leguntur infra, Cap. XIV. 1, 2, et 1 Cor. VIII. 9, 10. *Της σαρκος* est Genitivus *originis*: *ασθενεια* illa provenit *a carne;* Deo servire revera esse regnare, satis intelligerent si essent *πνευματικοτεροι*, si minus *σαρκικοι*, si non *νηπιοι εν Χριστῳ*. Cf. 1 Cor. III. 1.

sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete, etc.). Jam, post illam excusationem, redit ad ℣. 18 et distinctius explicat (*γαρ*) quod ibi dixerat *εδουλωθητε τῇ δικαιοσυνῃ;* ita verò hoc facit ut in explicationis illius posteriore parte formâ orationis utatur exhortatoriâ. Particula *γαρ* ibi *explicantis* est valetque latinum *videlicet*, *scilicet*, ut infra Cap. VII. 2 et 2 Cor. IV. 11. — Græca habent: *Sicut exhibuistis membra vestra serva immunditiæ* (*τα μελη ὑμων δουλα τῃ ακαθαρσιᾳ*). . . . *ita nunc exhibete membra vestra serva justitiæ* (*δουλα τῃ δικαιοσυνῃ*), ubi *μελη* Accusativus *Subjecti*, *δουλα* vero Accusativus *Prædicati* est. *Ἡ ακαθαρσια impuritas*, refertur ad peccata carnalia quibus in seipsum peccat homo, *ἡ ανομια* verò ibi intelligitur iniquitas qua peccatur aut in Deum aut in proximum; sed ibidem, in dictione *εις ανομιαν*, vox *ανομια* generalius sumta est et peccata quævis, etiam *carnalia* significat. *Τῃ ακαθαρσιᾳ και τῃ ανομιᾳ* et *τῃ δικαιοσυνῃ* per Prosopopœiam dicuntur[3], et Dativi *commodi* sunt omnes.

---

(1) Apud Loesner. observv. ad h. l.

(2) Hom. XII. in Ep. ad Rom.

(3) Vide suprà ad ℣. 12.

Ἁγιασμὸς intelligitur vitæ morumque *sanctificatio*, quæ continuò augeatur; nam, utpote baptizati, *sanctificati* (*ἡγιασμένοι*) jam erant. Cf. 1 Cor. VI. 11. Præpositio *εἰς* utroque loco de *proposito* sive *fine* dicitur. Interpretatio ferè communis heic talis est: *Adhibete nunc in colendis virtutibus* TANTUM *diligentiæ* QUANTUM *olim adhibuistis studii ad peccandum*; sed par illud studium per verba *ὥσπερ*..... *οὕτω* non exprimitur; nam *ὥσπερ*....... *οὕτω* similitudinem quidem significant, non verò æqualitatem.

Præceptum Apostoli Origenes eleganter hisce verbis explicat (ad h. l.): *Dudum*, inquit, *currebant pedes vestri ad dæmonum templa, nunc autem currant ad ecclesiam Dei. Currebant prius ad effundendum, nunc ad liberandum sanguinem currant. Protendebantur manus prius ut aliena diriperent, nunc protendantur ut et propria largiantur. Circumspiciebant prius oculi mulierem aut alienum quid ad concupiscendum, nunc circumspiciant pauperes, debiles, egenos ad miserandum. Aures delectabantur auditu vano vel bonorum derogationibus, nunc convertantur ad audiendum verbum Dei, ad explanationem legis et ad capiendam sapientiam et disciplinam. Lingua, quæ conviciis, maledictis, turpiloquiis assueta erat, nunc convertatur*, etc.

℣. 20—23. Cum enim servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ. 21 Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est. 22 Nunc vero liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam. 23 Stipendia enim peccati, mors. Gratia autem Dei, vita æterna, in Christo Jesu Domino nostro.

℣. 28—23. Ὅτε γὰρ δοῦλοι ἦτε τῆς ἁμαρτίας, ἐλεύθεροι ἦτε τῇ δικαιοσύνῃ. 21 Τίνα οὖν καρπὸν εἴχετε τότε ἐφ' οἷς νῦν ἐπαισχύνεσθε; τὸ γὰρ τέλος ἐκείνων, θάνατος. 22 Νυνὶ δὲ ἐλευθερωθέντες ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας, δουλωθέντες δὲ τῷ Θεῷ, ἔχετε τὸν καρπὸν ὑμῶν εἰς ἁγιασμὸν, τὸ δὲ τέλος, ζωὴν αἰώνιον. 23 Τὰ γὰρ ὀψώνια τῆς ἁμαρτίας, θάνατος· τὸ δὲ χάρισμα τοῦ Θεοῦ, ζωὴ αἰώνιος, ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ Κυρίῳ ἡμῶν.

Paraphrasis. Nam quo tempore servi eratis Peccati, Justitiæ jugum non subibatis; quare vicissim neque nunc cum servi Justitiæ facti sitis, Peccati jugum vobis subeundum est. Quemnam igitur fructum habebatis tunc ex iis rebus de quibus si cogitetis, nunc erubescitis? Nullum sane; nam istæ res tandem perducunt ad mortem æternam. Nunc verò cum liberati estis a jugo Peccati, Deo autem in servitutem mancipati, habetis fructum, vestram, inquam, sanctificationem, quæ tandem perducit ad vitam æternam. Nam stipendium quod Peccatum servis suis solvit, mors est æterna; donum verò quod servis suis largitur Deus, æterna vita est, in Christo Jesu Domino nostro.

ỷ. 20. *Cum enim servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ).* Rationem dat (γαρ) cur æquum sit ut faciant id ad quod antegresso versiculo eos adhortabatur. Sed Græca malim reddere *cum enim servi essetis* (ἦτε) *Peccati* (τῆς ἁμαρτίας), *liberi eratis* (ἦτε) *quod attinet ad Justitiam* (τῃ δικαιοσυνῃ), hoc est, *non eratis subditi Justitiæ.* Τῇ δικαιοσυνῃ Dativus *relationis* est. Cujusmodi Dativos habes quoque Act. XVI. 5. Rom. VI. 19. 20. Philipp. III. 5, alibi. Sententia Apostoli absoluta non est; ut sit, addas hæc: *Quare vicissim neque nunc, cum servi justitiæ facti estis, Peccati jugum vobis subeundum est.*

ỷ. 21. *Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis?*) Adhortationem suam (ỷỷ. 19. 20) Apostolus corroborat argumento ducto ab effectu utriusque servitutis (ỷ. 21-23). Particula ουν est *colligentis* ex antegresso ελευθεροι ἦτε τῃ δικαιοσυνῃ. Græca Latine sic reddere maluerim: *Quemnam igitur fructum tunc habebatis illarum rerum, de quibus nunc erubescitis?* Itaque ante ἐφ᾽ ὁις suppleverim εκεινων (in neutro Gen.), qui Genitivus a voce καρπον pendeat. *Res* autem illas (εκεινα) intelligo actus peccaminosos. Καρπός *fructus*, ut Philipp. I. 11. IV. 17. Τότε, *tunc*, id est, quo tempore servi eratis Peccati.


nam finis illorum mors est). Præcedens interrogatio *quem-nam igitur fructum*, etc, interrogatio est *negantis.* Itaque mens Pauli est dicere: *fructum omninò nullum habebatis illarum rerum, de quibus nunc erubescitis;* idque probat adjiciendo *nam* (γαρ) *finis illorum* (εκεινων, illarum rerum, illarum actionum) *mors est.* Τελος *finis, exitus rei.* Θανατος *mors æterna*, ut patet ex antitheto (ỷ. 22), ζωη αιωνιος *vita æterna.*

Sunt interpretes non pauci qui dicant, priora hujus commatis verba ita legenda esse ut signum interrogationis esse putetur post vocem τοτε, adeòque sensus sit hic: *quem-nam igitur fructum tunc habebatis?* istiusmodi *de quibus nunc erubescitis.* Sed si hoc dicere voluisset Apostolus pro εφ᾽ οἷς, opinor, scripsisset in Singulari εφ᾽ ῷ quum præcessisset καρπον, Nomen, inquam, Singularis Numeri, ad quod Relativum ῷ referatur. Ad hæc, *erubescere de actionibus* quid sit, facile intelligitur, *erubescere* autem *de fructibus* obscurum habet intellectum.

ỷ. 22. *Nunc verò liberati a peccato*, etc.) Servitus Peccati quo tandem perducat, antegresso versiculo dixerat; hic miserrimo illius servitutis exitui opponit duo quæ servitus Justitiæ adfert bona, quorum alterum sit ἁγιασμος, quod bonum præsentis vitæ est, alterum ζωη αιωνιος, quod futuræ. In eo quod dicit Apostolus εχετε τον καρπον ὑμων, vox εχετε emphasim habet, quare et in fronte sententiæ posita est. Mens Apostoli est dicere: Cum servi essetis Peccati, nullum capiebatis ex illa servitute fructum; nunc verò aliter res habet; nunc enim cum servi estis Dei, nunc sanè capitis ex vestra hac servitute fructum, cum, inquam, ut in dies magis

magisque sanctificemini. — Præpositio εις hic dicitur *de effectu* : hæc illius fructûs indoles est ut inde majus et majus in dies capiatis sanctimoniæ incrementum, Confer quæ notavimus supra ad ℣. 19 pag. 195.

℣. 23. *Stipendia enim peccati mors*, etc.) Confirmat (γαρ) quod modo (℣℣. 21. 22) dixerat Apostolus de eventu utriusque servitutis, Peccati, inquam, et Justitiæ. Sed cum dixisset *merces quam Peccatum servis suis solvit mors est æterna*, pergere potuisset dicendo, *merces autem quam servis suis solvit Deus, vita est æterna;* nam et alibi (2 Tim. IV. 8) vitam æternùm felicem vocavit *coronam justitiæ quam aliquando redditurus sit justus judex;* attamen maluit dicere GRATIA *autem Dei vita æterna est*, ut hac loquendi ratione unà significaret, justum non suis solius viribus sed Dei gratiâ adjutum vitam mereri æternam. — Audiatur S. AUGUSTINUS (Lib. de Correpț. et Grat. Cap. XIII.) : « *Quia*, inquit, *et ipsa vita æterna, quam certum est bonis operibus debitam reddi, a tanto Apostolo gratia Dei dicitur, cum gratia non operibus reddatur, sed gratis detur, sine ulla dubitatione confitendum est, ideo gratiam vitam æternam vocari, quia his meritis redditur quæ gratia contulit homini* ». Εν Χριστω Ιησου ut suprà ℣. 11.



CAPUT SEPTIMUM.

ARGUMENTUM. *Quod suprà* (Cap. VI. 14) *Apostolus affirmaverat*, Christianos non esse sub lege, *hoc nunc it probatum. Probat autem hoc modo. Lex, inquit, dominatur subditis suis tantummodo dum illi vivunt; id quod illustrat exemplo mulieris maritatæ, quæ, mortuo marito, ulterius non teneatur lege conjugii, ut nubere jam possit alii viro. Deinde ea quæ dixerat ad propositum suum applicans docet, Christianos quoque* secundum veterem hominem *mortem obiisse adeòque liberatos fuisse a Lege; et hoc dicit factum fuisse in eum finem ut ita soluti a Lege mortifera junctique* CHRISTO, *deinceps vitam agerent novam Deoque grateam* (1–7). *Legem ergò appellaverat* mortiferam; *negat tamen se dicere voluisse Legem ex natura sua esse causam peccati, id quod nonnemo ex ejus verbis colligere potuisset. Ergo explicat quænam sit ratio legem inter et peccatum, concluditque legem ex natura sua esse sanctam, justam, bonam* (7–13). *Ergo-ne id quod ex natura sua bonum est, idem mortiferum sit? Respondet Apostolus, Legem non causam fuisse mortis, sed mortem a Peccato fuisse illatam occasione Legis; Legem autem per se esse bonam; id quod probat ex intestino illo bello inter spiritum et carnem, quod in se experitur* ADÆ *filius sub mera Lege constitutus* (13—25).

℣. 1—3. An ignoratis fratres (scientibus enim legem loquor) quia lex in homine dominatur quanto tempore vivit ? 2 Nam quæ sub viro est mulier, vivente viro, alligata est legi : si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege viri. 3 Igitur, vivente viro, vocabitur adultera si fuerit cum alio viro : si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege viri, ut non sit adultera si fuerit cum alio viro.

℣. 1—3. Ἢ ἀγνοεῖτε, ἀδελφοὶ, (γινώσκουσι γὰρ νόμον λαλῶ) ὅτι ὁ νόμος κυριεύει τοῦ ἀνθρώπου ἐφ' ὅσον χρόνον ζῇ ; 2 Ἡ γὰρ ὕπανδρος γυνὴ τῷ ζῶντι ἀνδρὶ δέδεται νόμῳ· ἐὰν δὲ ἀποθάνῃ ὁ ἀνὴρ, κατήργηται ἀπὸ τοῦ νόμου τοῦ ἀνδρός. 3 Ἄρα οὖν ζῶντος τοῦ ἀνδρὸς μοιχαλὶς χρηματίσει, ἐὰν γένηται ἀνδρὶ ἑτέρῳ· ἐὰν δὲ ἀποθάνῃ ὁ ἀνὴρ, ἐλευθέρα ἐστὶν ἀπὸ τοῦ νόμου, τοῦ μὴ εἶναι αὐτὴν μοιχαλίδα, γενομένην ἀνδρὶ ἑτέρῳ.

Paraphrasis. Scitis profectò, fratres, eos enim alloquor qui Legem Mosaicam cognoscunt, quod Lex in hominem dominetur quamdiu ille vivit. Etenim, ut hoc exemplo utar, Lex præcipit ut maritata mulier adstricta maneat viro suo quamdiu is vixerit; eo verò mortuo, mulier soluta est a lege quæ eam marito suo ligabat. Proinde si, vivente marito, alteri viro nupserit, adultera erit ; si verò mortuus fuerit vir ejus, a lege conjugii libera est, ita ut non sit adultera si nupserit alteri.

℣. 1. *An ignoratis, fratres*, etc.). Antegresso capite (℣. 14) Apostolus dixerat *Christianos non esse sub Lege*, statimque ibi caverat ne forte in malum sensum effatum illud caperetur ; ab hac ergo digressione reversus, nunc probaturus et distinctius explicaturus est id quod ibi affirmaverat de Christianorum a dominio Legis libertate. Atque hinc patet quonam nexu præsens Caput cum antegresso cohæreat. *Num ignoratis?* Interrogatio est *negantis*, ut patet ex adjecto : *loquor* ENIM *scientibus Legem.* Itaque sensus est : *Profectò non ignoratis.* — Νομος et ὁ νομος, utrumque hic sumendum est de Lege Mosaicâ universâ ; postulat hoc institutum Apostoli ; assumsit enim probandum quod dixerat (Cap. VI. 14), *non sub Lege estis, sed sub gratia*, ubi status Legis Mosaicæ statui Evangelico opponitur. — Ζῇ scilicet ὁ ανθρωπος, non ὁ νομος, quod ESTIO aliisque placuit ; vult enim docere Apostolus legem dominari non mortuis sed vivis, dum vivunt ; patet hoc ex subjuncto exemplo (℣. 2), ubi sermo est de morte non *legis* sed *hominis.*

℣. 2—3. *Nam quæ sub viro est mulier*, etc.). Sententia superiori versiculo proposita, *legem Mosaicam dominari in hominem donec is vixerit*, *sive ad mortem ejus*

usque, hic illustratur (*γαρ*) exemplo mulieris nuptæ [1], ut quæ lege conjugii adstricta sit marito suo quamdiu is vixerit; eo autem mortuo soluta sit illius legis vinculo, ut alteri jam nubere possit. — Præmissæ (ỳ. 13) doctrinæ applicatio fit versiculo quarto.

Vox *ὑπανδρος*, q. d. *subviralis*, dicitur ratione subjectionis de muliere viro juncta sive maritata. Græcorum hæc loquendi ratio est, quod multis exemplis probat Wetstenius ad h. l. In dictione *τῳ ζῶντι ανδρι δεδεται* *viventi viro alligata est*, vox *ζῶντι* emphasin habet et tantumdem hic valet ac si Apostolus scripsisset *ἡ γυνη δεδεται τῳ ανδρι αυτης εφ' ὁσον χρονον ζῃ ὁ ανηρ αυτης*. Vox *νομῳ* Dativus *instrumenti* est: *lege* sive *per legem* mulier maritata alligata est viro suo. Intelligitur autem Mosaica lex universè. Vulgata lectio hoc loco Grææ non respondet. Conjeceris interpretem pro *τῳ ζῶντι ανδρι* legisse *ζῶντος του ανδρος*, sed istiusmodi lectionem nec Græcus codex ullus nec alia ulla antiqua versio exhibet. Etiam antiqua Itala habet *viventi viro*. — *Καταργεισθαι απο* quod hic et mox (ỳ. 6) iterum legitur, tantumdem valet ac (Cap. VI. 18) *ελευθερουσθαι απο*, *liberari ab*. Cf. Gal. V. 3. 4. Oecumenius: *κατηργηται*, inquit, *αντι του απολελυται*, *ελευθερωται*. Est *καταργεω* idem quod *αργον ποιεω* *inertem facio*, *cessare facio*. Ceterum, *καταργεισθαι απο* dictum est prægnanter pro *καταργεισθαι και χωριζεσθαι απο*. Simili modo 2 Cor. XI. 3 prægnanter dictum est *φθειρεσθαι απο* pro *φθειρεσθαι και χωριζεσθαι απο*. Cf. I Cor. VII. 20. *Lex viri* (*ὁ νομος του ανδρος*) h. e. *lex ad maritum pertinens*, *de eo lata* [2], intelligitur lex conjugii, secundum quam mulier alligata est marito suo quamdiu is vixerit.

Bene Salmeron: « Quomodo verum est, inquit, quod mulier sit alligata viro secundum legem, quamdiu vivit vir ejus, cum in lege esset facultas repudiandi? . . . Dicendum est, Apostolum hic considerasse id quod est ex natura ipsa conjugii (Matth. X.) et quod etiam erat generali regula traditum et præceptum, non autem exceptiones quas lex habuerit ». In dictione *ἀρα οὐν* *itaque ergo*, prior Particula *concludentis* est, posterior *continuantis* sermonem. Cf. Win. §. 57. 4. De notione verbi *χρηματιζειν* videsis quæ notavimus ad Act. Cap. XI. 26. *Γινεσθαι ανδρι* de *nubendo* dicitur; confer (LXX) Ruth. 1. 2. Jud. XIV. 20; refert Hebraicum הָיָה לְאִישׁ. *Ελευθερα*

---

(1) Bene Adalb. Maier: « *Dieses Beispiel*, inquit, *ist nicht zufällig gewählt*, *sondern es ist* Paulus *dabei von seiner Gewohnheit geleitet*, *das verhältnisz zwischen der christlichen Kirche und Christus mit einer Ehe zu vergleichen* (vgl. 2 Cor. XI. 2. Ephes. V. 25), *worin er dem A. T. folgt*, *das häufig das Verhältnisz zwischen Iehova und Israël unter diesem Bilde dargestellt.*» Cf. Ies. LVIV. 5. Hos. II. 19. 20. alib.

(2) Winer §. 30. b. Rom. VII. 2. *νομος του ανδρος* *Mannsgesetz*, d. h. welche das Verhältnisz zum Ehemann festsetzt (Vgl. Demosth. Mid. 390. A. *ὁ της βλαβης νομος* *das Schadengesetz*); oft in LXX, wie Levit. XIV. 2. *ὁ νομος του λεπρου*.

εστιν απο του νομου scil. *απο του νομου του ανδρος* ℣. 2. — De syntaxi *του μη ειναι*, *adeò ut non sit*, diximus ad Act. Cap. VII. 19.

℣. 4—6. Itaque fratres mei et vos mortificati estis legi per corpus Christi, ut sitis alterius, qui ex mortuis resurrexit, ut fructificemus Deo. 5 Cum enim essemus in carne, passiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti. 6 nunc autem soluti sumus a lege mortis, in qua detinebamur, ita ut serviamus in novitate spiritus, et non in vetustate litteræ.

℣. 4—6. Ὥστε, ἀδελφοί μου, καὶ ὑμεῖς ἐθανατώθητε τῷ νόμῳ διὰ τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ, εἰς τὸ γενέσθαι ὑμᾶς ἀνδρὶ[a] ἑτέρῳ, τῷ ἐκ νεκρῶν ἐγερθέντι, ἵνα καρποφορήσωμεν τῷ Θεῷ. 5 Ὅτε γὰρ ἦμεν ἐν τῇ σαρκὶ, τὰ παθήματα τῶν ἁμαρτιῶν, τὰ διὰ τοῦ νόμου, ἐνηργεῖτο ἐν τοῖς μέλεσιν ἡμῶν, εἰς τὸ καρποφορῆσαι τῷ θανάτῳ. 6 Νυνὶ δὲ κατηργήθημεν ἀπὸ τοῦ νόμου, ἀποθανόντες[b] ἐν ᾧ κατειχόμεθα, ὥστε δουλεύειν ἡμᾶς ἐν καινότητι πνεύματος καὶ οὐ παλαιότητι γράμματος.

Paraphrasis. Itaque, fratres, sicut istiusmodi mulier per mortem mariti soluta sit lege connubii, ita vos quoque, ut qui occisi estis secundum veterem hominem per occisum corpus Christi quocum fuistis crucifixi, vos quoque, inquam, pariter facti estis liberi a dominio legis; quod quidem factum est in eum finem, ut per mysticam illam mortem vestram soluti a connubio cum Lege, alteri viro, illi, inquam, qui ex mortuis resurrexit, nuberetis, idque ut ex hac conjunctione fructum ferretis Deo. Nempe cum adhuc essemus in statu veteris et carnalis hominis, appetitus ad peccandum inducentes qui per legem in nobis excitabantur, vim suam in membris nostris exserebant eo eventu ut, peccantibus nobis, ipsi fructum ferrent Morti. Nunc verò liberati sumus a lege illa mortifera sub cujus dominatu antehac detinebamur, ita ut jam serviamus servitutem non illam veteris hominis sub lege constituti, quæ servitus præstabatur Peccato, sed eam servitutem, quæ novi hominis est sub gratia constituti, quæ servitus præstatur Deo.

VARIANS LECTIO.

a) Vox *ανδρι*, quæ in nonnullis Minusculis hoc loco legitur, glossema est.

b) Pro *αποθανοντες* est *του θανατου* in Codd. DEFG eamque lectionem exhibent quoque Itala et Vulgata. Sed priorem alteri prætulerim tum quòd plures habet testes, tum etiam quòd difficilior est. In paraphrasi tamen secuti sumus lectionem Vulgatæ.

℣. 4. *Itaque fratres mei, et vos mortificati estis, per corpus Christi, etc.*). Hic jam ad propositum suum Apostolus *applicat* (ὥστε) tum illud quod universè dixerat (℣. 1) de homine, si moriatur, lege soluto, tum etiam id quod ad modum exempli addiderat (℣. 2-3) de nupta muliere per mortem mariti lege connubii solutâ, ut jam nubere possit alteri. Sensus est: *Itaque, fratres, sicut* [1]) *istiusmodi mulier per mortem mariti soluta sit lege connubii, ita vos quoque* (καὶ ὑμεις) *qui occisi estis* (mortem oppetivistis) *per corpus* CHRISTI, *facti estis liberi a dominio Legis; id quod factum est in eum finem ut* (εις το) *per mysticam illam mortem vestram soluti a connubio cum Lege, jam alteri viro, illi*, inquam, *qui ex mortuis resuscitatus est, nuberetis, idque ut ex hac conjunctione fructum ferremus Deo.* Instituta oratio postulabat ut diceret *fructum ferretis*, sed modestiæ causâ personam mutavit.

Ὥστε *quare*, *itaque*, hoc loco Particula *concludentis* est, ut et infra XIII. 2. In epistolis Paulinis sæpè quoque construitur cum Imperativo, ut v. g. Philipp. II. 12. Oratio Apostoli, quod AD. MAIER hic notat [2]), concinnior fuisset si scripsisset ita: ὥστε καὶ ὑμεις, οἱ θανατωθεντες δια του σωματος του Χριστου, κατηργητησθε απο του νομου, εις το κ. τ. λ.; *itaque vos quoque, qui occisi estis* (mortem oppetivistis) *per corpus* CHRISTI, *facti estis liberi a dominio Legis, idque in eum finem, ut*, etc.

Sed tria hic quærenda sunt: *unum*, quo sensu Christiani, qua tales, *occisi* dicantur; *alterum*, quo sensu *per Christi corpus* occisi; *tertium*, quo sensu *Legi* (τῷ νομῳ) occisi per CHRISTI corpus. Ergo *occisi* dicuntur Christiani quatenùs interfecti sunt *secundum veterem hominem*. Confer quæ notavimus supra ad Cap. VI. 6. Dicuntur autem non simpliciter *mortui* sed *occisi*, quia, utpote per baptismum insiti CHRISTO, unà cum illo crucifixi fuerunt *secundum veterem hominem* adeòque hactenùs violentâ morte sublati. Nam *vetus homo noster*, docente Apostolo (Cap. VI. 6), *unà cum* CHRISTO *crucifixus fuit* (συνεσταυρωθη). Hinc verò patet, δια του σωματος του Χριστου valere δια του θανατωθεντος σωματος του Χριστου, *per occisum corpus* CHRISTI. Scilicet Christiani per baptismum occiso CHRISTO incorporati, [3]) per occisum corpus ipsius unà etiam ipsi *secundum veterem hominem* fuere occisi [4]). Recolenda hìc sunt qua notavimus

---

(1) Comparationem hanc postulat vocula και in dictione και ὑμεις.

(2) *Commentar über den Brief* PAULI *an die Römer.* ad h. l.

(3) THEODORETUS (ad h. l.): Ειπεν ἡμας τεθανατωσθαι τῳ νομῳ δια του σωτηριου βαπτισματος· ειτα παλιν αναστανταϛ ἑτερῳ συναφθηναι, τῳ εκ νεκρων εγερθεντι, τουτεστι, τῳ δεσποτῃ Χριστῳ. h. e. *Dixit nos legi mortificatos esse per baptismum salutarem; deinde cum resurrexissemus, alteri conjunctos esse, illi qui ex mortuis resurrexit, hoc est, Domino* CHRISTO.

(4) SOTO (ad h. l.): *In Baptismo*, inquit, *mortificari nos ait* PAULUS *per corpus* CHRISTI *quod efficimur.*

suprà ad Cap. VI. 2—7. Tandem *Legi* (τῷ νόμῳ in Dativo *incommodi*) dicuntur occisi Christiani, quia ipsâ suâ illâ morte dominium [1] Legis in illos cessavit; nam Legi nihil cum mortuis, ut dictum erat suprà ℣℣. 1 et 2. Probavit ergo Apostolus id quod probandum assumpserat, scilicet *Christianos non esse sub Lege*, sive a dominio Legis esse liberatos.

ut sitis alterius, qui ex mortuis resurrexit). Græca habent: *Ut essetis alteri*, (viro illi, inquam) *qui a mortuis fuit excitatus*. Docet *quem in finem* Christiani fuerint *Legi occisi per corpus* Christi. Finis autem erat, *ut fierent* (εἰς τὸ γενέσθαι) alterius viri sponsæ, ut, inquam, tamquam novo viro desponsi copularentur illi qui a mortuis resurrexit, id est, Christo; quem Apostolus ideò illa periphrasi designat, quia modò eumdem dixerat *occisum*. Ceterum, respicit hìc exemplum nuptæ mulieris suprà (℣. 2. 3) propositum.

ut fructificemus Deo). Græcè est ἵνα καρποφορήσωμεν, quod reddendum erat *ut fructificaremus Deo*. Persistit in similitudine exempli propositi (℣. 2. 3), et allusio fit ad finem conjugii. Benè Theophylactus (ad h. l.): Ἵνα καρποφορήσωμεν τῷ Θεῷ, τουτέστιν, ἵνα ἐκ τῆς συζυγίας ταύτης τῆς πρὸς τὸν Χριστὸν τεκνογονήσωμεν τῷ Θεῷ, πράξεις ἀγαθὰς δηλαδή. *Ut fructum ferremus Deo, hoc est, ut ex hoc conjugio quo* Christo *juncti sumus, liberos progeneremus Deo, nempe bona opera*. Τῷ Θεῷ in Dativo *commodi*. Fructus, hoc est, opera quibus *glorificetur* Deus.

℣. 5—6. *Cum enim essemus in carne*, etc.) Docet (℣. 5—6) fructus illos proferri non potuisse dum adhuc erant in statu *veteris hominis*, sive, quod hic eòdem recidit, in statu Legis; proferri autem, soluto Legis dominio. Particula γάρ hoc loco valet *nempe, scilicet*, ut Matth. I. 18. Sensus est: Nempe cum adhuc essemus in statu veteris et carnalis hominis, appetitus ad peccandum inducentes, qui per legem in nobis excitabantur, vim suam in membris nostris exserebant eò eventu ut, peccantibus nobis, ipsi fructum ferrent Morti. Nunc verò liberati sumus a lege illa mortifera, sub cujus dominatu antehac detinebamur, ita ut jam serviamus servitutem non illam veteris hominis quæ præstabatur Peccato, sed eam quæ novi hominis est quæque præstatur Deo.

Εἶναι ἐν τῇ σαρκί dicitur de statu, in quo sunt homines ut lapsi Adami progenies, antequam ex Deo renascantur; hic status est *veteris* et carnalis hominis. Itaque *esse in carne* tantumdem est ac esse in statu *veteris hominis*. Status huic oppositus est status τοῦ εἶναι ἐν πνεύματι. Cf. ℣. 6 et infra Cap. VIII. 8. Sunt autem adhuc *in carne* qui sunt in statu *meræ* Legis.— *Παθήματα passiones, affectus*. Τῶν ἁμαρτιῶν est Genitivus *Objecti*. Intelliguntur ergo appetitus ad peccata inducentes *qui per Legem*

---

(1) *Lex* ibi per Prosopoeiam exhibetur tamquam *maritus*.

(*τα δια του νομου*) excitabantur. Hæc *παθηματα*, inquit Apostolus, in membris nostris (Cf. VI. 19) *ἐνηργεῖτο* (in forma Media) *operabantur*, *vim suam exserebant*, idque eo eventu ut (*εις*) fructificarent Morti (*τῳ Θανατῳ* in Dativo *commodi*). *Θανατος* hic per Prosopopœiam tamquam Persona sistitur, atque ita opponitur *τῳ Θεῳ* ÿ. 4. Per peccata regnum Mortis dilatatur; nam *stipendium peccati mors est* æterna, adeoque Morti obnoxii redduntur peccatores.— De *ενεργεισθαι* verbo Medio vide Winerum §. 39. p. 299.

Ad rem Toletus (ad h. l.): « Adverte, inquit, Paulum loqui de homine sub lege posito, in quo statu peccato adhærebat; nam per legem solam nec a peccato in quo natus est, nec peccata omnia, quæ contra ipsam legem erant, vitare poterat; hoc enim facit gratia Christi, quæ non per legem sed per fidem Christi dabatur et datur. Lex ergo non habenti gratiam nec Christo adhærenti occasio peccandi erat, quia præcipiebat et prohibebat ea quorum transgressio peccatum erat, nec tamen adhibebat auxilium quo transgressio vitari possit. Vetus ergo homo sive Peccatum per legem dominabatur homini et in eo suum exercebat imperium, quia ad peccandum et in consensum concupiscentiarum peccati hominem pertrahebat, cum is nec peccatis resistere, nec legem implere posset. Sicut igitur vir dominatur feminæ per legem quæ inter eos est, nec cessat dominium nisi viro mortuo, ita vetus homo et peccatum dominatur homini ut sibi consentiat et faciat peccati ac veteris hominis opera, donec ipsum peccatum et vetus homo vivit; quo mortuo ac peccato deleto, non amplius hoc dominium exercet, nec per legem ad peccandum pertrahit, existente jam gratia per novum hominem, qua lex impletur nec amplius peccati occasio est. »

ÿ. 6. *Nunc autem soluti sumus a lege mortis in qua detinebamur*, etc.) Si pro *του θανατου* (Vide Var. Lect.) legere hic malueris *αποθανοντες*, præsentem locum Latinè ita reddideris: *Nunc autem a Lege sumus soluti*, utpote mortui ei (scil. Legi) *in qua* (*αποθανοντες εκεινῳ εν ῷ*) *detinebamur*. Quod si mavis jungere *αποθανοντες* cum *κατηργηθημεν* ita ut *εν ῷ* construatur cum *του νομου*, sensus sit: *Nunc verò quum simus mortui* (*αποθανοντες*), *soluti sumus a Lege, in quâ detinebamur*. Puta Paulum verba scripsisse hoc ordine: *Νυνὶ δε αποθανοντες κατηργηθημεν απο του νομου, εν ῷ κατειχομεθα.* Secundum lectionem Vulgatæ sensus est: *Nunc autem soluti sumus a lege mortis*, i. e. per quam morti [1] fructificabamus, *in quâ* lege, sub cujus legis dominio, antehac *detinebamur*

Mentem Apostoli Toletus his verbis explicat: « Cum essemus in carne, nimirum quando vetus homo vivebat in nobis, passiones peccatorum operabantur in nobis; at nunc quando mortuus est in baptismo, per quem homo ille vetus crucifixus est cum Christo, non

(1) Vide suprà ad ÿ. 5.

sic est, sed soluti et liberi sumus a dominio jugoque legis mortis..... Jam enim peccatum per legem non dominatur nobis, pertrahens et impellens nos ad sibi consentiendum, sed liberi sumus, habentes virtutem gratiæ, qua legem implemus, et per eam non Peccato sed Deo servimus.»

ita ut serviamus in novitate Spiritûs, et non in vetustate litteræ). Ὥστε (*ita ut*) sequente Infinitivo, hic dicitur *de eventu* (ut infra Cap. XV. 19), de eo, inquam, quod secutum sit inde quod soluti simus a dominio Legis, sive quod eòdem recidit, quòd cessaverimus *esse in carne* (℣. 5). Quod dicit *ita ut serviamus* (ὥστε δουλεύειν ἡμας), servitutem cogitat quæ aut Deo aut Peccato præstetur (Cf. Cap. VI. 16). Γραμμα (*litteram*) *legem* hic vocat (ut suprà Cap. II. 29); Πνεῦμα verò Spiritum sanctum intelligit. Καινοτης *novitas* et παλαιοτης *vetustas*, utrumque dicitur *de statu*; itaque *status legis* opponitur *statui Spiritûs* sive *gratiæ*. Illum autem statum *vetustum* nominat, quia erat *veteris hominis* status quem excepit status *novi hominis*. In illo Peccatum dominabatur per Legem; in hoc gratia dominatur per quam lex impletur; ibi *littera occidebat*, hic *Spiritus vivificat*[1]. Cf. 2 Cor. III. 6. Nam *lex spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit a lege peccati et mortis*. Vide infrà Cap. VIII. 2. Præpositio εν hoc loco dicta est *de statu in quo quis operans versatur*.

«Servire in novitate Spiritûs, inquit Toletus (ad h. l.), est incumbere mandatis divinis per gratiam acceptam Spiritûs sancti; quæ nova dicitur, facta collatione ad peccatum, in quo prius fuimus et quod ab Adamo traximus; gratiam enim a secundo Adamo Christo, in quo denuò nati sumus, accepimus. Qui autem in hac gratia Spiritûs servit, Deo fructificat. Vetustas autem est peccatum, in quo prius fuimus et quod lex non potuit auferre. Qui autem in hac vetustate inservit et sub lege est, hic morti fructificat, quia legem non valet implere. Soluti ergo sumus a lege, id est, erepti a statu illo priore in quo peccatum dominabatur per legem; et translati in statum gratiæ, ut per hanc divinis mandatis incumbamus, vetustate peccati, in qua sub lege sine Spiritu eramus, ablatâ et abjectâ.»

---

(1) Hoc Pauli effatum ut sæpissimè recitatur, ita plerumque intelligitur non rectè. Genuinum illius effati sensum S. Augustinus tradit: *Attende*, inquit, *Apostolum ad Romanos explicantem satisque monstrantem quod scripsit ad Corinthios* littera occidit, Spiritus autem vivificat, *sic magis accipiendum, quemadmodum diximus, quoniam legis littera quæ docet non esse peccandum, si Spiritûs vivificans desit, occidit*. De Spiritu et litt. Cap. 5.

℣. 7—8. Quid ergo dicemus ? lex peccatum est ? Absit . Sed peccatum non cognovi , nisi per legem : nam concupiscentiam nesciebam , nisi lex diceret : Non concupisces. 8 Occasione autem accepta , peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam . Sine lege enim peccatum mortuum erat.

℣. 7—8. Τί οὖν ἐροῦμεν ; ὅτι a) ὁ νόμος ἁμαρτία ; Μὴ γένοιτο· ἀλλὰ τὴν ἁμαρτίαν οὐκ ἔγνων, εἰ μὴ διὰ νόμου· τήν τε γὰρ ἐπιθυμίαν οὐκ ᾔδειν , εἰ μὴ ὁ νόμος ἔλεγεν· Οὐκ ἐπιθυμήσεις· 8 ἀφορμὴν δὲ λαβοῦσα ἡ ἁμαρτία , διὰ τῆς ἐντολῆς κατειργάσατο ἐν ἐμοὶ πᾶσαν ἐπιθυμίαν· χωρὶς γὰρ νόμου ἁμαρτία νεκρά.

Paraphrasis. Hæc cum ita sint , quid igitur inde colligemus? Num dicamus legem esse causam peccatorum ? Absit ! Verùm per legem experientiâ cognovi innatam mihi concupiscentiam malam; etenim actualem concupiscentiam malam , ex qua innatam illam cognovi, expertus non essem , si lex illam non prohiberet. Nacta autem occasionem incitantem ad vim suam exserendam innata mihi concupiscentia , per præceptum de non concupiscendo in me protulit omnigenam concupiscentiam actualem. Nam ubi lex positiva non adest , ibi innata concupiscentia , quum non habeat quo excitetur , vim suam non exerit ac veluti mortua jacet.

VARIANS LECTIO.

a) Vocula ὅτι hoc loco non legitur nisi in paucissimis Minusculis; glossema est.

℣. 7. *Quid ergo dicemus? Lex peccatum est ?*) Dixerat modò (℣. 5) Apostolus, *παθηματα ἁμαρτιων* vim suam in membris corporis exseruisse *per legem* (*δια του νομου*) , idque eo eventu ut hominem pertraherent ad peccatum. Hinc verò nonnemo conficere potuisset , legem ab eo traduci tamquam malam , quæ contumelia affecisset ipsum quoque legislatorem , Deum. Itaque falsam hanc consequentiam hic præoccupat.— De formula *τι ουν ερουμεν* , qua inducitur falsæ illius consequentiæ propositio , vide supra ad Cap. VI. 1. *Num lex peccatum est ?* h. e. causa sive effectrix peccatorum. Nimirum est hic in usu vocis *ἁμαρτία* Metonymia *quâ effectus* ponitur *pro re efficiente* , ut mox (℣. 13) iterum in usu vocis *θανατος* , et infrà Cap. VIII. 6.

Absit ! sed (αλλα) peccatum non cognovi nisi per legem ;) Falsam illam quam dixi consequentiam Apostolus tamquam absurdam rejicit. Particula *αλλα* falsæ illi

de lege sententiæ *opponit* quid ex rei veritate sentiendum sit de ratione quæ intercedit inter peccata et Legem. Itaque αλλα logicè afficit totum id quod dicitur ab hoc loco usque ad versiculum duodecimum, ubi ex dictis suis Apostolus concludit, legem esse sanctam, justam, bonam.

Peccatum, inquit, *non cognovi nisi per legem*. Tria hic quæruntur: *unum*, de quonam peccato sermo sit; *alterum*, ex cujusnam hominis persona Paulus hic loquatur; *tertium*, quamnam legem cogitet.

Ergo, ad *primum* quod attinet, *peccatum* (*την ἁμαρτιαν*), de quo hic agitur, intelligenda est *concupiscentia innata*[1] sive *fomes*, aut, quod idem est, *lapsæ humanæ naturæ vitiositas* illa, quæ ab unoquoque homine[2] nascendo contrahitur. Nec alio sensu *peccatum* hic esse sumendum, id quidem constat ex tota contexta oratione, ex iis, inquam, quæ deinceps (℣℣. 8. 9. 11. 13. 14) de eodem hoc peccato dicuntur, quæque talia sunt ut non nisi ad lapsæ humanæ naturæ illam, quam dixi, vitiositatem referri possint. Vitiositatem hanc Apostolus infrà (℣. 17) vocat *την οικουσαν εν εμοι ἁμαρτιαν habitans in me peccatum*.

Secundo loco quærebatur ex cujusnam hominis personâ Apostolus hic loquatur. Et respondendum est, Paulum in præsenti pericopa (℣. 7—25) per *metaschematismum* aliam atque aliam induere personam. Nam quæ leguntur versiculo vigesimo quinto (*Gratia Deo* (*τῳ Θεῳ*) *per* Jesum Christum *Dominum nostrum*) dicta sunt ex persona *novi hominis* sive justificati et sanati; in reliquis vero loquitur in persona *veteris hominis* sive necdum justificati et sanati atque sub lege constituti[3]; excipe tamen ea quæ habentur versiculo nono ubi personam agit *veteris hominis necdum* sub lege constituti[4].

---

(1) Vocatur etiam *concupiscentia habitualis* a Theologis.

(2) Conferenda hic sunt quæ supra notavimus ad Cap. V. ℣. 12.

(3) Manifestò hoc patet ex iis quæ de se affirmat is qui ibi loquitur. Nam quod dicit (℣. 14) *carnalis sum, venumdatus sub peccato*, et mox (℣. 18) *perficere bonum non invenio*, et deinde (℣. 23) *video legem in membris meis captivantem me in lege peccati*, et denique quod idem exclamat, *infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis hujus*, omnia hæc profectò talia sunt ut justificato minime conveniant; relinquitur ergo ut referantur ad hominem necdum justificatum.

(4) Rectè Salmeron (Disput. ad h. l.) « Hic, *inquit*, observa quod Paulus absque ulla controversia Judæi carnalis induit personam, sicut etiam quædam alia loquitur in persona hominis exsistentis extra legem, ut cum ait: *Ego autem vivebam sine lege aliquando*. Alias verò loquitur in persona justificati et instaurati; quod diligentissime notandum est, quia ex eo pendet totius capitis vera intelligentia. » Toletus quoque in eâdem est sententiâ. Nam postquam monuit, Augustinum in exponendo hoc capite aliter atque aliter sensisse de homine cujus personam Paulus ibi agit, ita dicere pergit: *Nos tamen*, inquit, *priorem ejus* (Augustini) *expositionem magis probamus, nempe, hæc* (ea quæ dicuntur versiculo septimo) *et quæ sequuntur de homine sub legis statu esse dicta; hujus enim personam* Paulus *repræsentat, ad legem ita commendandum et a peccato secernendam, ut postea impotentiam ejus ad liberandum se a peccato aperiat miseriamque statûs illius describat, et inde gratiæ virtus omnibus innotescat*,

Tandem ad *tertium* quod attinet, dubitari nequit quin Paulus loquatur de lege Mosaica. De ea enim lege loquitur, quam suprà videri poterat (ỷ. 5) reprehendisse; atqui hæc erat lex Mosaica. Idem conficitur hâc quoque observatione: scilicet, Apostolum hic loqui de ea lege, de qua paulò ante (Cap. V. 20) dixerat: *Lex subintravit ut abundaret delictum*; atqui lex hæc indubitanter intelligenda est lex Mosaica; neque enim de *lege naturæ* dici potest quod *subintraverit*.

Sensus hujus partis est: *Peccatum* (την ἁμαρτιαν) h. e. innatam mihi concupiscentiam malam *non cognovi nisi per legem*.

nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces). Probat (γαρ) quod modò dixerat: *peccatum* (innatam mihi concupiscentiam malam) *non cognovi nisi per legem*. Probat autem argumento ducto ex mala concupiscentia *actuali*. Argumentatio hæc est: Innatam mihi concupiscentiam malam non cognovi nisi per legem; etenim actualem concupiscentiam malam, ex quâ innatam illam cognovi, non novissem, si lex actualem illam concupiscentiam malam non prohiberet. — Ουκ ηδειν omisso αν, quod et poterat abesse. Cf. Joh. IX. 33. XIX. 11. Τε γαρ, *etenim*, ubi τε nectit, γαρ rationem reddit, ut supra Cap. I. 26. Επιθυμια *concupiscentia* quæ hic dicitur, sumenda est sensu generali, eo, inquam, sensu quo in epistola ad Galatas (Cap. V. 16) επιθυμια τῆς σαρκος singulas cupiditates malas comprehendit. Eodem sensu S. Jacobus vocem επιθυμια adhibuit cum scriberet (Cap. I. ỷ. 14): *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua* (ὑπο της ιδιας επιθυμιας) *abstractus et illectus*. Quod autem Apostolus hoc loco *concupiscentiam* generali illo sensu intellexerit, hoc vel indè probatur quòd Decalogi (Exod. XX. 16) præceptum speciale: *Non concupisces proximi tui domum, uxorem, servum, cet.*, tamquam *generale* allegat, absolute dicendo: *Non concupisces*. Et verò radix et causa omnis peccati est aliqua concupiscentia specialis. Ceterum, quamquam affirmandum est, hominem etiam absque positiva lege per solam legem naturalem conscium fieri innatæ sibi concupiscentiæ malæ, tamen præcipuo et eminenti quodam modo illud fit per externum dictamen legis positivæ. Quare ea quæ ab Apostolo de lege hoc loco dicuntur, tamquam *comparativè* dicta sumenda sunt [1].

ỷ. 8. *Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam*). Jungendum est δια της εντολης non cum αφορμην λαβουσα, sed cum κατειργασατο. Quam structuram jam suadet ordo verborum;

---

(1) *Auch durch das Naturgesetz tritt die Sunde ins Bewustseyn, und wird der Hang nach dem Verbotenen als solchem rege, je nach dem Grade der Erkenntnisz; dieses geschieht aber im eminenten Sinne durch dieses positive, in äusserlicher Sicht-und Hörbarkeit auf das deutlichste und ausdrücklichste redende Gesetz.* Klee. Commentar ad h. l.

nam si alteram voluisset, utique verba posuisset hoc ordine : αφορμην δε λαβουσα δια της εντολης, ἡ ἁμαρτια κατειργασατο, κ. τ. λ. Sed jungendum esse δια της εντολης cum κατειργασατο perspicuè patet ex loco parallelo (ỳ. 11); nam, ut Fritschius observat (ad h. l.), si ibi δια της εντολης cum αφορμην λαβουσα cohæreret, Paulus ibi scripsisset εξηπατησε με δι' αυτης και απεκτεινεν. Accedit, dictionem αφορμην λαμβανειν solere aut absolutè poni, aut dici αφορμην λαμβανειν απο, παρα, aut εκ τινος, non verò δια τινος.

Αφορμη (ex απο et ὁρμη *impetus*) non quæcumque *occasio* est, sed talis quæ excitet ad agendum. Sensus est : *Nacta* (λαβουσα) *autem occasionem incitantem* (αφορμην)[1] ad vim suam exserendam *innata mihi concupiscentia* (ἡ ἁμαρτια)[2], *per mandatum* (δια της εντολης) *de non concupiscendo operata est atque in me produxit* (κατειργασατο) *omnigenam* (πασαν) *concupiscentiam actualem*. Sermo hic est, quod ex versu 11 colligitur, de concupiscentiæ motibus iis quibus voluntas consentiat. Ceterum ut dicta *comparativè* hæc sumenda sunt. Cf. p. 208. *Vehementius* enim, ut hic notat Estius, inardescit concupiscentiæ flamma dum lege premitur. Et notum est illud Poëtæ : *Nitimur in vetitum semper*. Cujus rei causa est naturalis amor libertatis, quæ restringi videtur et minui per legem ; cui proinde natura corrupta resistens, in contrarium nititur.

sine lege enim peccatum mortuum erat). In Græco nullum hic verbum est ; quare suppleverim non *erat* sed *est*. Quod modo dixerat de Peccato sive innatâ concupiscentiâ excitatâ et vim suam exserente per legem, illud hic *probat* (γαρ) argumento *a contrario*. Sensus est : Nam ubi lex positiva non adest, ibi innata concupiscentia, quum non habeat quo excitetur, vim suam non exserit ac veluti mortua jacet. Sed hæc quoque sumenda sunt tamquam *comparativè* dicta, ut supra ad ỳ. 7 (pag. 208) notavimus.

ỳ. 9—12. Ego autem vivebam sine lege aliquando. Sed quum venisset mandatum, peccatum revixit.

ỳ. 9—12. Ἐγὼ δὲ ἔζων χωρὶς νόμου ποτέ· ἐλθούσης δὲ τῆς ἐντολῆς, ἡ ἁμαρτία ἔζησεν, [a])

Paraphrasis. Ego, inquam, aliquando vitam agebam necdum latâ lege ; eoque tempore innata mihi concupiscentia iners ac veluti mortua

---

(1) Cf. Wetsten. ad h. l., et Viger. De Idiot. Cap. III. Sect. IV. Reg. 1.

(2) Ita quoque S. Thomas (ad h. l.). Nam post recensitas interpretationes alias, ita dicere pergit : « *Sed melius est*, inquit, *quod hoc referamus ad peccatum, quod supra dixerat* (Cap. V), *per unum hominem in hunc mundum ingressum, scilicet ad peccatum originale, quod scilicet ante gratiam Christi est in homine secundum culpam et pœnam ; sed veniente gratiâ transit reatu et permanet actu quantum ad fomitem peccati vel concupiscentiam habitualem, quæ operatur in homine omnem concupiscentiam actualem.*

10 Ego autem mortuus sum: et inventum est mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem. 11 Nam peccatum occasione accepta per mandatum, seduxit me, et per illud occidit. 12 Itaque lex quidem sancta, et mandatum sanctum, et justum, et bonum.

10 ἐγὼ δὲ ἀπέθανον· καὶ εὑρέθη μοι ἡ ἐντολὴ ἡ εἰς ζωὴν, αὕτη εἰς θάνατον. 11 Ἡ γὰρ ἁμαρτία ἀφορμὴν λαβοῦσα, διὰ τῆς ἐντολῆς ἐξηπάτησέ με, καὶ δι᾽ αὐτῆς ἀπέκτεινεν. 12 Ὥστε ὁ μὲν νόμος ἅγιος, καὶ ἡ ἐντολὴ ἁγία καὶ δικαία καὶ ἀγαθή.

jacebat; sed cum advenisset præceptum de non concupiscendo, tum vim suam exserere illa cœpit; ibi autem ego secundum animam mortuus sum; et comperi, legem, quæ data erat ad animæ vitam et salutem, ipsam hanc mihi fuisse mortiferam. Nam innata illa mihi concupiscentia, cum nacta esset occasionem eam incitantem ad vim suam exserendam, per præceptum de non concupiscendo operata in me concupiscentiam actualem me seduxit, trahendo voluntatem ad consensum, meque ita per præceptum occidit. Quum ergo lex homini data fuerit ut vitam haberet, innata autem illa concupiscentia mala ipsum occasione legis in peccata impulerit, profectò consequitur, legi nihil esse cum peccato commune, sed eam esse sanctam, et præceptum ejus esse sanctum et justum et bonum.

VARIANS LECTIO.

a) Pro ἔζησεν est ἀνέζησεν in plerisque Codicibus; hanc lectionem Latina Vulgata quoque exhibet.

℣. 9. *Ego autem vivebam sine lege aliquando*). Quæ adhuc (℣. 7 et 8) dixerat Apostolus de ratione quæ est inter legem et peccatum, hæc deinceps (℣. 9-12) distinctius explicat. *Explicationem* hanc inducit Particula δὲ, quæ adeo valet Latinum *inquam*, ut suprà Cap. III. 22. Priora autem hujus versiculi verba ista, *ego vivebam*

sine lege aliquando, ab Apostolo dicuntur sub persona *veteris hominis* ut viventis priusquam Mosaica lex daretur, sive sub lege naturæ. Sensus est : *Ego, inquam, aliquando vitam agebam necdum latâ lege Mosaicâ ;* supple ex contexta oratione : *eoque tempore innata mihi concupiscentia vim suam non exserebat ac veluti mortua jacebat.*

sed cum venisset mandatum, peccatum revixit). Græcè est ανεζησεν, quod hìc simpliciter valet *vivere cœpit*, si hoc dicatur de eo quod iners, languidum ac veluti mortuum adhuc jacebat. Conferri potest Germanicum *aufleben*, quando hoc usurpatur de arbuscula aut planta adhuc languente sed nunc revalescente. *Ανα* Præpositio in Compositis nunc *sursum* notat, nunc *iterum* ; priorem notionem ανα hic obtinet in verbo αναζῆν. Paulus enim modò (℣. 8) negavit την ἁμαρτιαν sive innatam concupiscentiam vivere ante legem latam. Bene Estius : « Simpliciter, *inquit*, intelligi potest *revixit*, id est *excitatum est* aut *apparere cœpit*, ut Augustinus exponit. Itaque ανεζησεν interpreteris *vim suam exserere cœpit*. Ἡ ἐντολη est *præceptum de non concupiscendo*, ut supra ℣. 8.

℣. 10. *Ego autem mortuus sum*). Dicit quid acciderit cum innata concupiscentia hactenùs sopita, ad datam legem veluti evigilasset. Accidit autem ut hæc per legem mortem illi inferret illeque *moreretur* (απεθανον) ; atque ita eventu comperit, legem, quæ data illi erat *ut vitam* æternam *haberet* (εις ζωην)[1], *ipsam hanc* (αὑτη) illi fuisse *mortiferam* (εις θανατον). Quod quomodo factum sit, mox (℣. 11) explicat.

Εὑρεθη μοι ἡ εντολη, *compertum est a me ipso præceptum*. Verbum Passivum ibi structum est cum Dativo, ut infrà Cap. X. 20. Præpositio εις, quæ bis hic legitur, priore loco dicitur *de fine in quem*, posteriore *de eventu*. Suffecerit post θανατον mente supplevisse ουσα.

℣. 11. *Nam peccatum occasione acceptâ*, etc.). Explicat (γαρ) quî factum sit ut lex illi fuerit εις θανατον. Verba ista, ἡ γαρ ἁμαρτια αφορμην λαβουσα, eodem sensu sumenda sunt quo suprà, versu octavo ; quod sequitur δια της εντολης jungendum est cum εξηπατησε με, ut ibidem jam diximus. Sensus est : *Peccatum* (ἡ ἁμαρτια) h. e. innata mihi concupiscentia mala, operata in me per præceptum concupiscentiam actualem (Cf. ℣. 8) me seduxit trahendo voluntatem ad consensum, atque ita me per præceptum (δι' αυτης) occidit.

---

(1) Petavius (*De Prædest.* Lib. X. Cap. 24. n. 8.) : « Cum adolescens ille (Matth. XIX. 16. 17) sciscitaretur : *Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?* Christus illi respondit : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Ergo ejusmodi erant mandata legis, et hoc ex instituto et latoris intentione ac consilio, id est *ex professo* spectabat ipsa, ut ad vitam æternam ac salutem perduceret ; idque si minus in plerisque consecuta est, non eo contigit quòd vel mali aliquid et alieni ab salute præciperet, vel legi subjuncta supraque captum ejus ac meritum impensa Christi gratia deesset ; verum improbitate culpâque factum est eorum qui oblatis adminiculis recte uti noluerunt, ac medicinam verterunt in perniciem. Sic *inventum est illis mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem.* » Confer etiam quæ notavimus supra ad Cap. VI. 14.

℣. 12. *Itaque lex quidem sancta, et mandatum sanctum et justum et bonum*). *Conclusio* (ὥστε ut suprà ℣. 4) hic fit ex iis quæ respondit (℣. 7—12) ad quæstionem (℣. 7): *Num lex peccatum est?* Sensus est: Cum ergo lex homini data fuerit ut vitam haberet (εις ζωην), innata autem illi concupiscentia mala ipsum occasione legis in peccata impulerit, profectò consequitur, legi nihil esse cum peccato commune, sed eam esse sanctam, et præceptum ejus esse sanctum et justum et bonum.

Post Protasin ὥστε ὁ μεν νομος exspectasses Apodosin inducendam per Particulam δε, sed Apodosis orationi hic deest. Itaque μεν hoc loco *solitarium* est. Apodosis fuisset hæc: *mala autem concupiscentia* (ἡ δε ἁμαρτια) *bonâ lege malè usa est*, secundum id quod mox (℣. 13) dicitur: ἡ ἁμαρτια... δια του αγαθου μοι κατεργαζομενη θανατον.

℣. 13. Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit. Sed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem: ut fiat supra modum peccans peccatum per mandatum.

℣. 13. Τὸ οὖν ἀγαθὸν ἐμοὶ γέγονε θάνατος; μὴ γένοιτο· ἀλλὰ ἡ ἁμαρτία· ἵνα φανῇ ἁμαρτία, διὰ τοῦ ἀγαθοῦ μοι κατεργαζομένη θάνατον, ἵνα γένηται καθ' ὑπερβολὴν ἁμαρτωλὸς ἡ ἁμαρτία διὰ τῆς ἐντολῆς.

Paraphrasis. Ergo-ne id quod per se bonum est, mihi causa fuit mortis? Absit! verùm innata mihi concupiscentia mala, hæc demùm causa mortis mihi fuit; factumque hoc est ut illa concupiscentia mala adhuc latens sic manifesta fieret et cognosceretur tamquam peccatrix, quippe quæ per ipsum id quod bonum est mortem mihi intulisset, ut, inquam, tamquam insigniter peccatrix manifesta illa fieret per præceptum.

℣. 13. *Quod ergo bonum est, mihi factum est mors?*) Mandatum modò (℣. 12) affirmaverat esse *bonum* (αγαθον), et in antegressis (℣. 10) dixerat illud sibi fuisse *mortiferum* (εις θανατον). Hinc nova oppositio hæc: *Ergo-ne id quod per se bonum est, mihi causa fuit mali?* In voce θανατος Metonymia est qua *effectus* ponitur pro *re efficiente*, ut suprà ℣. 7, et infrà Cap. VIII. 6.

Absit! Sed peccatum, ut appareat peccatum, etc.). Consequentiam illam cum abominatione rejicit; docetque non legem bonam sed concupiscentiam malam (ἡ ἁμαρτια) bonâ lege malè usam illatæ mortis exstitisse causam; unàque ibi aperit quem in finem hoc factum sit. Sed non satis recte Interpres noster Græca hoc loco reddidit; neque enim in Græco legitur Verbum Finitum *operatum est*, sed Participium κατεργαζομενη, idque nullâ lectionis varietate; deinde non animadvertit id quod dicitur αλλα ἡ ἁμαρ–

τια, dictum esse ellipticè pro *αλλα ἡ ἁμαρτια εμοι γεγονε θανατος*. Itaque Græca sic Latine reddiderim : *Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit! sed Peccatum* mihi factum est mors ; *ut* Peccatum *appareret* esse *peccatum*, quippe *per bonum mihi operans mortem; ut esset supra modum peccator Peccatum per mandatum*. Quorum verborum sensus hic est : Ergo-ne id quod per se bonum est, mihi causa fuit mortis? Absit! verùm innata mihi concupiscentia mala causa mortis mihi fuit ; factumque hoc est ut (*ἵνα*) latens illa concupiscentia mala (*ἡ ἁμαρτια*) sic manifesta fieret (*φανῇ*) et cognosceretur tamquam peccatrix (*ἁμαρτια*), quippe quæ per ipsum id quod bonum est (scil. *per præceptum*) mortem mihi intulisset ; ut (*ἵνα*), inquam, tamquam insigniter (*καθ' ὑπερβολην*) peccatrix (*ἁμαρτωλος*) manifesta illa fieret (*γενηται*) per præceptum.

Nota 1°. In verbis istis, *ἵνα φανῇ ἁμαρτια.... ἵνα γενηται.... ἁμαρτωλος ἡ ἁμαρτια*, orationis Subjectum est *ἡ ἁμαρτια, κατεργαζομενη*, Prædicata verò sunt *ἁμαρτια* et *καθ' ὑπερβολος ἁμαρτωλος*. Facilis erit præsentis loci intellectus grammaticus, si verba putaveris hoc ordine posita : *ἵνα ἡ ἁμαρτια, δια του αγαθου μοι κατεργαζομενη θανατον, φανῇ ἁμαρτια· ἵνα ἡ ἁμαρτια γενηται δια της εντολης καθ' ὑμερβολην ἁμαρτωλος*. 2°. Particula *ἵνα*, quæ bis hic legitur, utroque loco dicta est de *causa finali*[1]. 3°. In utraque illa sententia *finali* idem dicitur, *ad rem* quod attinet ; crescit tamen oratio in posteriore. 4°. *Γενηται* intelligendum est *logicè*, hoc est, cogitandum est *fieri* tale quo quid fit *in mente* ; ergo *γενηται* hic sensu non differt ab antegresso *φανῇ*[2]. 5°. Vox *Ἁμαρτωλος* (*η, ον*) non Adjective sed Substantive (*peccator*) sumenda est.

Ceterum, ad pleniorem præsentis loci intelligentiam conferenda sunt ea omnia quæ notavimus supra (Cap. V. 20) ad locum parallelum istum : *Lex subintravit ut abundaret delictum*. Cf. etiam Petavium *De Prædestinatione*. Lib. X. Cap. XXV. n. 8.

---

(1) Ita quoque S. Augustinus (Serm. 6. *de Verbis Apostoli*) sensit : « *Quid est*, inquit, *supra modum? Ut addatur prævaricatio. Data est ergo lex illa ut inveniretur infirmitas. Parum est hoc ; non solum ut inveniretur, sed etiam ut augeretur, et vel sic medicus quæreretur*.

(2) Το, ἵνα γενηται, αντι του, ἵνα φανῃ ἡλικος ολεθρος ἡ ἁμαρτια· ὥσπερ και το, Γενεσθω δε ὁ Θεος αληθης, αντι του, φανητω. Τουτο δε δια της εντολης εδειχθη· εχρησατο γαρ τη εντολη εις θανατον· ὥσπερ και νοσημα, ὁταν δια των ιατρικων φαρμακων χειρον γενηται, την κακοηθειαν αυτου εκφαινειν λεχθειη δια της ιατρικης τεχνης, ὡς μη ωφελουμενον ὑπ' αυτης. h. e. *Illud* ut fiat *positum est pro* ut appareat *quanta pernicies sit peccatum ; quemadmodum et illud* (Cap. III. 4), Sit autem Deus verax, *pro* appareat. *Istud autem per mandatum demonstratum est. Usum est enim Peccatum mandato ad mortem ; perinde ac morbus, quando per medica pharmaca redditur deterior, malam sui habitudinem per medicam artem declarare dici queat, quum ex ea nihil juvetur*.» Theophylactus (ad h. l.).

℣. 14—17. Scimus enim quia lex spiritualis est : ego autem carnalis sum venumdatus sub peccato. 15 Quod enim operor, non intelligo. non enim quod volo bonum, hoc ago : sed quod odi malum, illud facio. 16 Si autem quod nolo, illud facio, consentio legi, quoniam bona est. 17 Nunc autem jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.

℣. 14—17. Οἴδαμεν γὰρ ὅτι ὁ νόμος πνευματικός ἐστιν· ἐγὼ δὲ σαρκικός [a] εἰμι, πεπραμένος ὑπὸ τὴν ἁμαρτίαν. 15 Ὃ γὰρ κατεργάζομαι, οὐ γινώσκω· οὐ γὰρ ὃ θέλω, τοῦτο πράσσω· ἀλλ' ὃ μισῶ, τοῦτο ποιῶ. 16 Εἰ δὲ ὃ οὐ θέλω, τοῦτο ποιῶ, σύμφημι τῷ νόμῳ ὅτι καλός. 17 Νυνὶ δὲ οὐκ ἔτι ἐγὼ κατεργάζομαι αὐτὸ, ἀλλ' ἡ οἰκοῦσα ἐν ἐμοὶ ἁμαρτία.

Paraphrasis. Et verò scimus omnes, legem non humanæ esse originis sed divinæ ; ast ego malos sensûum appetitus sequor, atque instar venumdati mancipii subjectus sum innatæ mihi concupiscentiæ malæ. Etenim quæ perpetro opera, non intelligo; nam bonum quod facere volo non facio ; sed contrà facio malum, quod facere nolo. Quod si facio malum, quod velim non facere, profectò eo ipso consentio legi bonam se esse prædicanti eamque bonam esse profiteor. Sic verò non ego malum illud facio, sed facit illud habitans in me Peccatum sive innata mihi concupiscentia mala, cui instar venumdati mancipii subjectus sum.

VARIANS LECTIO.

a) Pro σαρκικος legitur et σαρκινος, eaque lectio, si ex Codicum testimonio res dijudicetur, multo majorem quam altera habet auctoritatem. Sed σαρκινος proprie notat *carneus*, sicut pleraque Nomina in ινος exeuntia significant *materiam ex qua ;* v. g. ξυλινος *ligneus ;* atqui præsenti loco non videtur convenire ut dicatur quod homo *carneus* sit. Porrò notandum est, non hoc solum loco, sed quatuor aliis in locis (1 Cor. III. 1. 3. 2 Cor. I. 12. Hebr. VII. 16), ubi contexta oratio itidem σαρκικος postulabat, occurrere eamdem illam lectionis varietatem ; e contra 2 Cor. III. 3 ubi sensus postulat σαρκινος, in nullo Codice σαρκικος legitur. Hinc verò conjeceris Græcos librarios voci σαρκινος tribuisse etiam notionem vocis σαρκικος, atque ita factum fuisse ut voces illas in scribendo frequenter confuderint ; id quod certe eo facilius accidere potuit quòd ductus litterarum K et N magnam inter se habent similitudinem.

℣. 14. *Scimus enim quia lex spiritualis est*). Hic *probat* (γαρ) id quod in antegresso versiculo dixerat : *causa mortis mihi exstitit non lex sed Peccatum* sive (ἡ ἁμαρτια) *innata mihi concupiscentia mala*. Probat autem tum ex communi consensu

affirmando (*οιδαμεν*) legem esse spiritualem, tum etiam ostendendo vitiatam esse hominis naturam.

Lex hoc loco *spiritualis* (*πνευματιμος*) dicitur, quatenus tribuenda est legislatori Deo, adeòque originem habet non humanam sed divinam. Hoc sensu *manna*, ut quæ non humanâ operâ sed divinitùs per miraculum suppeditabatur, Apostolus (1 Cor. X. 3) *βρῶμα πνευματικον* vocavit [1]; eodemque sensu ISAAC ab illo dicitur (Gal. IV. 29) *κατα πνευμα γεννηθεις*. Nec alio sensu THEODORETUS [2] vocem *πνευματικος* hoc loco accepit. Ex sententia S. JOANNIS DAMASCENI [3] lex dicitur *spiritualis*, quia sit *magistra virtutis*. At enim probare volebat PAULUS, *legem hominibus non exstitisse per se causam mortis*; atqui hoc ut negari non poterit ab eo qui fateatur legem divinæ esse originis, ita apud eum qui putet legem exstitisse causam mortis parum profeceris monendo legem esse magistram virtutis.

ego autem carnalis sum, venumdatus sub peccato). Apostolus, ut jam diximus ad ỷ. 7, tota hâc epistolæ parte (ỷ. 10—25) loquitur in persona *veteris hominis* [4]. Hic autem homo, qua talis, *carnalis* (*σαρκικος*) est, hoc est carni obtemperat, non rationis dictamen, sed sensuûm appetitum sequens, *desideria carnis perficiens* (Gal. V. 16). Quod additur *πεπραμενος ὑπο την ἁμαρτιαν*, dictum hoc est Metaphoricè, *prægnanter* [5], et per Prosopopœiam. Sensus est : *instar venumdati mancipii*

(1) Cf. THEOPHYLACTUS ad h. l.

(2) Τι ταυτης της προσηγοριας σεβασμιωτερον; θειῳ γαρ, φησιν, εγραφη πνευματι· ταυτης μετεχων της χαριτος ὁ μακαριος Μωσης τον νομον συνεγραψεν. h. e. *Quid hac appellatione honorabilius? Divino quippe, ait, spiritu scripta est; hujus gratiæ particeps factus, beatus* MOYSES *legem conscripsit.* THEODORETUS ad h. l.

(3) S. JOANNES DAMASCENUS in Ep. Pauli ad h. l.) Πνευματικον δε αυτον (scil. τον νομον) ειπων, διδασκαλον αρετης αυτον δεικνυσιν οντα και κακιας πολεμιον. Τουτο γαρ εστιν ὁπερ και ὁ νομος εποιει, νουθετων, φοβων, κολαζων, διορθουμενος, τα περι αρετης συμβουλευων. Αλλ' ουκ εδυνηθη την ἁμαρτιαν ανειλειν· εικοτως· της γαρ χαριτος μονης τουτο εργον ην. h. e. « *Spiritualem eam* (legem) *dicendo, ipsam virtutis esse magistram et nequitiæ adversariam commonstrat. Nam hoc est quod lex præstabat, ut commonefaceret, terreret, corrigeret, patrandæ virtutis consilia præberet. Verum peccatum non valebat auferre; nec abs re quidem; istud enim gratiæ solius opus erat.* »

(4) Infra ad ỷ. 25 enumerabimus SS. Patres et interpretes antiquiores qui hac sententia nobis præiverunt. Suffecerit hic audivisse CHRYSOSTOMUM et THEODORETUM. Ergo S. CHRYSOSTOMUS (Hom. XIII. in Ep. ad Rom.) ad verba ista, Εγω δε σαρκικος ειμι, hæc notat : Τον εν τῳ νομῳ και προ του νομου πολιτευομενον ανθρωπον ὑπογραφων. h. e. *Eum qui in lege et ante legem vixerat hominem indicat.* Et ad verba πεπραμενος ὑπο την ἁμαρτιαν idem hæc habet : Ου περι των εν τῳ νομῳ λεγει μονον, inquit, αλλα και περι των προ του νομου βεβιωκοτων, και των εξ αρχης γενομενων ανθρωπων. h. e. *Non de iis qui in lege erant loquitur tantum, sed etiam de iis qui ante legem vixerant, et de hominibus qui inde a principio fuerunt.* Nec aliter THEODORETUS, qui ad ipsa illa verba Apostoli notat : Τον προ της χαριτος ανθρωπον εισαγει πολιορκουμενον ὑπο των παθων. h. e. *Introducit hominem ante gratiam ab animi passionibus obsessum.*

(5) Quod *prægnans* sit locutio, id quidem inde colligitur quod πιμπρασκεσθαι proprie non construitur cum ὑπο sed cum Dativo, ut Jes. L. 1. : ιδου ταις ἁμαρτιαις επραθητε.

subjectus dominio Peccati (innatæ concupiscentiæ malæ). Recolenda hic sunt ea quæ notavimus supra, Cap. VI. 14, ad verba : *Peccatum vobis non dominabitur ; non enim sub lege estis, sed sub gratia.* Itaque Apostolus hic docet, *veteri homini* causam peccati et mortis exstitisse non legem, sed corruptam hominis naturam.

S. Augustinus cum primùm sensisset [1]) describi hac epistolæ parte (℣. 9—25) *hominem sub lege positum ante gratiam*, deinde, mutatâ sententiâ [2]), docuit Paulum ibi perpetuò loqui in sua justorumque personâ, totumque adeò locum retulit ad hominem in gratia existentem. Hinc verò enatæ sunt interpretationes sane quam violentæ. Sic, quod ad præsentem versiculum (℣. 14) attinet, hominem justum dicit vocari *carnalem et venumdatum sub peccato*, quia nondum habeat *corpus spirituale*, et quia adhuc patiatur *carnis rebellionem, quâcum sine consensione confligat* [3]). Quasi verò hoc vocet *venumdari sub Peccatum* Apostolus, qui idem docet justificatum esse *liberatum a dominio Peccati* (Cap. VI. 18. 22) negatque Peccatum illi *amplius* dominari (ibid. ℣. 14.)?

℣. 15. *Quod enim operor, non intelligo ; non enim quod volo bonum* [4]), etc.). Probat (γαρ) id quod modo (℣. 14) dixerat : *carnalis sum, venumdatus sub Peccato.* Probat autem ex effectis, profitendo se non facere quod facere velit bonum, facere autem quod nolit malum ; adeòque duci se non rectæ rationis dictamine, sed perversi appetitûs dominio. Quod quid aliud est quam mancipium esse Peccati ? *Quæ perpetro opera*, inquit, (ου γινωσκω) *non intelligo* (q. d. Je ne me reconnais pas dans mes œuvres). *Nam bonum quod facere volo, non facio ; sed contrà facio malum quod facere nolo.* — *Bonum* hic vocat *observationem* præceptorum ; *malum* autem eorumdem violationem. Conficitur hoc ex versiculo decimo sexto.

---

(1) Proposit. 44 in Ep. ad Rom. «*Nunc*, inquit, *homo describitur sub lege positus ante gratiam.* Item Prop. 45. et Lib. 1. ad Simplicianum, Quæst. 1. n. 7 et 9.

(2) Suprà (ad ℣. 7 in nota 4) lectorem jam monuimus, Augustinum in exponenda hac parte capitis septimi aliter atque aliter sensisse. Ipse hoc de se narrat (*contra duas epist. Pelagian. Lib.* 1. *Cap. X. n.* 22) causamque exponit mutatæ sententiæ. « *Visum autem*, inquit, *aliquando etiam mihi fuerat, hominem sub lege isto Apostoli sermone describi. Sed vim mihi fecerunt postea ista verba, quod ait*, Nunc autem jam non ego operor illud. *Ad hoc enim pertinet illud quod ait et postea*, Nulla ergo condemnatio est nunc his qui sunt in Christo Jesu ; *et quia non video quomodo diceret homo sub lege*, Condelector legi Dei secundum interiorem hominem ; *cum ipsa delectatio boni, quod etiam non consentit ad malum, non timore pœnæ, sed amore justitiæ (hoc est enim condelectari), nonnisi gratiæ deputanda sit.*» Ostendemus infra, in verbis Apostoli quæ priori suæ sententiæ opposuit Augustinus, nihil esse dictum quod comprobet sententiam quam idem deinceps tenendam existimavit.

(3) Cf. S. Augustini Contra duas epist. Pelagian. Lib. 1. Cap. X. n. 17.

(4) Voces istæ, *bonum* et *malum*, quas Vulgata hoc loco habet, in nullo Græco Codice leguntur. Glossema sunt, ad mentem tamen Apostoli, ut patet ex versiculo decimo nono.

Is, qui hic loquitur, ut sæpè jam diximus, *vetus* sive *lapsus homo* est; qui dupliciter considerari potest: et quatenus *rationalis* est, et quatenus *animalis*. Cumque *vetus homo*, quatenùs *rationalis* est, ab Apostolo vocetur *homo interior* (℣. 22), eumdem, quatenus *animalem*, vocare licebit *hominem exteriorem*. Jam verò qui hic (℣. 15) dicit *ου γινωσκω*, et *θελω*, et *μισῶ*, is *homo interior* sive *rationalis* est; sed *vetus homo totus* ibi (℣. 15) dicit *κατεργαζομαι*, et *πρασσω*, et *ποιῶ*; illius voluntas est *imperfecta*, et, ut Scholastici loquuntur, non nisi quædam *velleitas*[1]; hujus verò voluntas est *absoluta*; opus autem (*κατεργαζομαι*, *πρασσω*, *ποιῶ*) absolutam sequitur voluntatem[2].

Voces *ου γινωσκω* plerique interpretantur *non approbo*; sed, ut taceam nullo exemplo certò probari possi Verbo *γινωσκω* istiusmodi notionem alicubi fuisse subjectam, obstat quoque huic interpretationi contexta oratio; nam si ponas *ου γινωσκω* valere *non approbo*, jam tautologicus fit sermo; ipsum hoc enim exprimunt quæ statim sequuntur verba ista: *ὁ μισῶ*, *τουτο ποιῶ*. Itaque *ου γινωσκω* simpliciter valet *non intelligo*, quo sensu dictionem hanc sumendam esse supra (p. 216) docuimus, secuti in hac interpretatione Joannem Damascenum[3], alios.

℣. 16—17. *Si autem quod nolo, illud facio*, etc.). Ex antegressa (℣. 15) professione istâ, *quod velim facere bonum*, *non facio*; *e contrà*, *facio quod nolim malum*, duo infert: *unum*, legem esse bonam, *alterum*, quod ob ℣. 14 (*πεπραμενος ὑπο*

---

(1) Nota, humanam naturam per Peccatum originale non fuisse *totaliter corruptam*; lapsum hominem posse absque gratiæ auxilio præstare opera faciliora quædam quæ sint *moraliter* bona, in eoque amorem honesti non fuisse exstinctum; eumdem verò non posse absque gratiæ auxilio aut graves superare tentationes, aut difficiliora observare præcepta. Cf. Andreæ Vegæ *de Justificatione* Lib. 2. Cap. X. sqq. Perrone *Tractatus de Gratia*. Part. I. Cap. 2. Art. III. Pertinent huc Propositiones aliquot damnatæ; et Bajanarum quidem vigesima quinta: *Omnia infidelium opera sunt peccata;* vigesima septima: *Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio non nisi ad peccandum valet*; trigesima septima: *Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnoscit;* vigesima octava: *Pelagianus est error dicere, quod liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum;* Trigesima: *Fures sunt qui docent, tentationi ulli sine gratiæ Christi adjutorio resistere hominem posse sic ut in eam non inducatur, aut ab ea non superetur.* Quesnellianarum autem, inter alias, trigesima octava: *Peccator non est liber nisi ad malum sine gratia liberatoris;* et quadragesima octava: *Quid aliud esse possumus, nisi tenebræ, nisi aberratio, et nisi peccatum sine fidei lumine, sine Christo, et sine charitate.*

(2) Bene Ad. Maier (ad h. l.): « Das θελειν und μισειν, und das πρασσειν fallt zeitlich auseinander; denn im Augenblicke der That hat sich der Wille aufgegeben; aber vor dem Andrange der sinnlichen Begierlichkeit will das höhere Jch das Gute mit Entschiedenheit, verwirft das Böse, und verurtheilt auch die böse That, wenn sie geschehen ist. »

(3) Ὥσπερ και ἡμεις ειωθαμεν λεγειν· ουκ οιδα ὁπως ὁ δεινα ελθων συνηρπασεν· ουκ αγνοιαν προβαλλομενοι, αλλα απατην τινα εμφαινοντες. h. e. *Velut nos quoque dicere consuevimus: nescio qui factum sit ut hic adveniens res meas rapuerit; non ut ignorantiam obtendamus, sed ut deceptionem quamdam indicemus.* S. Jo. Damasc. ad h. l.

28

την ἁμαρτιαν) imprimis spectat, se esse sub dominium Peccati. Sic ergo Apostolus ratiocinatur : *Si autem facio malum quod velim non facere, profectò eo ipso consentio legi bonam se esse prædicanti eamque bonam esse profiteor. Sic verò non ego malum hoc facio, sed illud facit habitans in me Peccatum sive innata mihi concupiscentia mala, cui instar venumdati mancipii subjectus sum.* Nempe *vetus homo* cum vult non facere malum quod tamen facit, ideò illud facere non vult quia malum est ; idcirco autem malum est, quia contra legem est ; ex quo conficitur legem esse bonam ; nam quia lex bona est, ideò malum est quod contra eam fit. Ergo *vetus homo* quum ita animo comparatus sit ut velit non facere malum quod tamen facit, eo ipso legem bonam esse profitetur. Et itidem hoc profitetur cum non facit bonum quod tamen facere velit. Neque enim id quod non facit, facere velit, nisi quia bonum est ; bonum autem est quia secundum legem est; profitetur ergo legem esse bonam. Quum vero quod facere malum nolit faciat tamen, non autem faciat bonum quod facere velit, consequitur exstare in *vetere homine* aliquid, quod hunc volentem bonum et nolentem malum in contraria abripiat ; hoc autem est *inhabitans in ipso Peccatum* (*ἡ οικουσα εν εμοι ἁμαρτια*). Sed is qui bonum velit, malum nolit, homo rationalis sive *interior* (℣. 22. *ὁ εσω ανθρωπος)* est ; hunc vero in contraria abripit *inhabitans* in exteriore sive *animali* homine (Cf. ℣. 18. *εν τη σαρκι*) *Peccatum*. Est ergo *vetus homo* sub dominio Peccati. Quod erat probandum [1].

Particula *δε* est hic *continuantis* argumentationem. Voces *συμφημι τῳ νομῳ ὁτι καλος* scil. *εστι*, propriè valent : *Je dis avec la loi qu'elle est bonne. Νομος* hic tamquam persona sistitur, ipsa se bonam prædicans. Cf. Deuter. IV. 8.— *Νυνι δε* et *ουκετι* non *temporaliter* dicuntur sed *logicè*, ut 1 Cor. V. 11. XV. 20. Itaque sensus harum Particularum hic est : *Nunc autem* [2] (*νυνι δε*), h. e. quum legi consentiam, *haud amplius* (*ουκ ετι)* EGO (*homo interior*) dici possum malum illud facere, sed, etc.

Quod hoc loco (℣. 15—17) dicitur, *operor*, *ago*, *facio*, S. AUGUSTINUS refert ad motus concupiscentiæ involuntarios, quos justus patiatur quidem sed a quibus minime superetur, *gratiâ delectationem voluntatis liberante a consensione cupiditatis* [3]). Sed, ut taceam quam violentum sit Verbis quæ *actum* significant, *passivam* subjicere notionem, quid hoc, quæso, ad propositum Apostoli? Nam vult docere, non quam sit impotens concupiscentia *post gratiam*, verùm quam sit potens sub lege *ante gratiam.*

(1) Cf. TOLETUS ad h. l.

(2) SALMERON (Disputat. X. in Ep. ad Rom), sentit, PAULUM inde ab hisce verbis, *nunc autem jam non ego*, loqui in persona justificati. Notandum hoc est ut recte intelligantur verba quæ supra (pag. 207. nota 4) ex illius scriptis recitavi.

(3) Contra duas epistolas Pelagian. Lib. 1. Cap. X.

Inter interpretes illos qui heic a nobis dissentiunt, Estius quoque negat, ea quæ hac epistolæ parte (℣. 14—25) dicuntur, ad *veterem hominem* esse referenda. Et ad verba quidem ista (℣. 17), *Nunc autem jam non ego operor illud, sed quod in me habitat peccatum*, ut suam, hoc est posteriorem Augustini sententiam stabiliat, hæc notat: « *Hoc certe*, inquit, *homo sub lege constitutus et adhuc dominio peccati subjectus dicere non potest. Talis enim non solum carne, sed etiam mente ac voluntate, et proinde simpliciter operatur malum.* » At verò quum Apostolus in homine distinguat hominem interiorem sive rationalem ab exteriori sive animali (℣. 22), doceat autem interiorem hominem (*το* ego) *nolle* malum, profectò *vetus homo* hactenùs rectè dicere potest: *Non* ego *operor* illud. *Actio enim*, ut docet S. Thomas (ad h. l.), *maxime attribuitur principali agenti quod secundum proprietatem suam movet; non autem agenti quod movet vel agit secundum proprietatem alterius a quo movetur. Manifestum est autem, quod ratio hominis, secundum illud quod est proprium sibi, non inclinatur ad malum, sed secundum quod movetur a concupiscentia. Et ideò operatio mali quam ratio facit, prout est a concupiscentia victa, non attribuitur principaliter rationi, quæ hic per hominem intelligitur, sed potius ipsi concupiscentiæ vel habitui ex quo ratio inclinatur ad malum.* »

℣. 18—20. Scio enim quia non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum. Nam velle, adjacet mihi: perficere autem bonum, non invenio. 19 Non enim quod volo bonum, hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago. 20 Si autem quod nolo, illud facio: jam non ego operor illud, sed quod habitat in me, peccatum.

℣. 18—20. *Οἶδα γὰρ ὅτι οὐκ οἰκεῖ ἐν ἐμοὶ, τοῦτ' ἔστιν ἐν τῇ σαρκί μου, ἀγαθόν· τὸ γὰρ θέλειν παράκειταί μοι, τὸ δὲ κατεργάζεσθαι τὸ καλὸν οὐχ εὑρίσκω* a). 19 *Οὐ γὰρ ὃ θέλω, ποιῶ ἀγαθόν· ἀλλ' ὃ οὐ θέλω κακὸν, τοῦτο πράσσω.* 20 *Εἰ δὲ ὃ οὐ θέλω ἐγὼ* b), *τοῦτο ποιῶ, οὐκέτι ἐγὼ κατεργάζομαι αὐτὸ, ἀλλ' ἡ οἰκοῦσα ἐν ἐμοὶ ἁμαρτία.*

Paraphrasis. Etenim experientiâ edoctus scio, non esse in me, hoc est, in parte mei animali, inclinationem ad bonum; nam velle bonum in promptu quidem mihi est, non verò itidem perficere illud quod velim bonum; bonum enim quod facere velim, non facio, sed e contra facio malum, quod facere nolim. Quod si malum, quod facere nolim, facio tamen, jam non ego malum illud facio, sed facit illud habitans in me Peccatum.

VARIANS LECTIO.

a) Pro ουχ εὑρισκω legitur simpliciter Particula negativa ου in Codd. ABC et nonnullis Minusculis ; sed altera lectio retinenda est, tum quòd plures habet testes, tum etiam quòd fieri potuit ut ob sequens ου (℣. 19) librarii oculus aberraverit.

b) Vocula εγω abest a Codd. BCDEFG. Glossema videtur, et sumptum quidem ex verbis mox insequentibus istis : ουκετι εγω κατεργαζομαι αυτο.

℣. 18—20. *Scio enim quia non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum,* etc.). Confirmat antegressum effatum istud : *Quod in me habitat Peccatum operatur malum.* Confirmat (γαρ) autem indè quòd *experientiâ edoctus scire* (οιδα) se ait, *non inesse in se, hoc est, in carne sua bonum* (αγαθον) ; id quod statim probat ex eo quòd *velle* quidem bonum in sua potestate sit, non vero item *perficere* id quod velit bonum. Quod autem *perficere* bonum non sit in sua potestate, ita probat (℣. 19) : *Nam*, inquit, *bonum quod facere velim, non facio, sed facio malum, quod facere nolim.* Hinc vero conficit (℣. 20), non a SE (*interiori* sive *rationali homine*) malum illud perfici, sed ab habitante in sua carne Peccato ; id quod erat probandum.

Quod dicit οιδα (*novi*), id ad rei experientiam referendum esse constat ex eo quòd in probatione dicit παρακειται μοι et ουχ εὑρισκω. — Quod autem dicit εν εμοι, τουτ' εστιν εν τη σαρκι μου, in *vetere homine* distinguit partem sensualem, quæ *caro* dicitur, a parte rationali, quam et *interiorem hominem* (τον εσω ανθρωπον ℣. 22) et *mentem* (νουν ℣. 25) vocat. — *Habitare* (οικειν) *in carne Peccatum* per Prosopopœiam dicitur. Ergo negat in carne sua inesse αγαθον (*du bon*), hoc est, in parte sui animali non esse inclinationem ad bonum sed propensionem ad malum.— In dictionibus παρακειται μοι et ουχ εὑρισκω Metaphora est, ducta ab eo qui quærit aliquid : unum præ manibus habet illique veluti *adjacet* (παρακειται), alterum verò quod quærit, *non invenit* (ουχ εὑρισκω).

Etiam hæc (℣. 18—20), ut supra jam monuimus, ab Apostolo dicuntur in persona *veteris hominis.* Et sanè quomodo PAULUS hic neget *novum hominem* non posse *bonum perficere* (κατεργαζεσθαι), quum alibi ad ipsum hoc præstandum *renatos* adhortetur : *Cum metu et tremore*, inquit (Ep. ad Philipp. Cap. II. 12), *vestram salutem operamini* (κατεργαζεσθε). Numquid salutem suam quis operetur, nisi idem *bonum perficiat* ? aut numquid forte PAULUS adhortatus sit ad id quod idem neget posse præstari ? S. AUGUSTINUS qui hæc ad *novum hominem* refert, *bonum perficere* exponit *de bono quod fiat exstinctâ prorsus in homine omnimodâ concupiscentiâ*, *quale bonum*

justi in hoc sæculo non faciant[1]). Sed isthæc interpretatio omninò arbitraria est, et qui verbis Apostoli per eam subjicitur sensus, is nullatenus ad præsentem Pauli disputationem pertinet.

Ceterum, quod hic dicit Apostolus *velle adjacet mihi*, *perficere autem bonum non invenio*, nequaquam hoc pugnat cum eo quod scripsit ad Philippenses (Cap. II. 13): *Deus operatur in vobis et velle et perficere.* Nam ibi Apostolus loquitur de eo voluntatis actu qui *salutaris* esset quique exordium sive initium foret *operis salutaris*; cujusmodi voluntatem suscipere homo nequit absque prævenientis gratiæ auxilio. In præsenti autem epistolæ loco, ut supra (p. 217) jam docuimus, agitur de imperfectâ quâdam voluntate sive *velleitate naturali*, susceptâ ex amore honesti qui in lapso homine non est exstinctus.

℣. 21 — 23. Invenio igitur legem, volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adjacet: 22 condelector enim legi Dei secundùm interiorem hominem: 23 video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.

℣. 21 — 23. *Εὑρίσκω ἄρα τὸν νόμον τῷ θέλοντι ἐμοὶ ποιεῖν τὸ καλὸν, ὅτι ἐμοὶ τὸ κακὸν παράκειται.* 22 *Συνήδομαι γὰρ τῷ νόμῳ τοῦ Θεοῦ κατὰ τὸν ἔσω ἄνθρωπον·* 23 *βλέπω δὲ ἕτερον νόμον ἐν τοῖς μέλεσί μου ἀντιστρατευόμενον τῷ νόμῳ τοῦ νοός μου, καὶ αἰχμαλωτίζοντά με ἐν* a) *τῷ νόμῳ τῆς ἁμαρτίας τῷ ὄντι ἐν τοῖς μέλεσί μου.*

Paraphrasis. Invenio igitur mihi bonum facere volenti positam hanc veluti legem, ut mihi in promptu sit facere malum, ut sim, inquam, pronus in malum, hùc propendam, hùc procliner; nam delectatur lege Dei mens mea et mihi dictat eam esse observandam; verùm experior adesse in membris meis aliud dictamen quod se opponit adversaturque dictamini mentis meæ, et servire me facit dictamini malæ concupiscentiæ quod est in membris meis.

VARIANS LECTIO.

a) Præpositio ἐν non legitur hoc loco in Codd. ABCJ.

---

(1) Contra duas Epist. Pelag. Lib. 1 Cap. X. «*Hoc est enim perficere bonum*, inquit, *ut nec concupiscat homo. Imperfectum est autem bonum, quando concupiscit, etiamsi concupiscentiæ non consentit ad malum.*

℣. 21. *Invenio igitur legem, volenti mihi*, etc.). Apostolus hic *concludit* (*ἄρα*) ex disputatis inde a ℣. 14; sed oratio ejus paulò obscurior est.[1] Sunt qui dicant trajectam ibi esse Particulam *ὅτι* et sine causâ repetitum *εμοι*, adeòque PAULUM voluisse dicere: *Εὑρισκω αρα τον νομον, ὁτι τῳ θελοντι εμοι ποιειν το καλον παρακειται το κακον*, hoc est, *Invenio igitur legem hanc* (*τον*), scilicet *quod volenti mihi facere bonum adjaceat malum*. Alii verò verba ista *τῳ θελοντι εμοι ποιειν το καλον* jungunt cum *εὑρισκω*, ut PAULUS dicere voluerit: *εὑρισκω ἀρα τῳ θελοντι εμοι ποιειν το καλον τον νομον, ὁτι εμοι το κακον παρακειται*, hoc est, *Invenio mihi volenti facere bonum legem hanc*, scilicet *quod mihi malum adjaceat*. Et posteriorem quidem hanc structuram alteri prætulerim, tum quòd simplicior est, tum etiam quòd causam video cur PAULUS *τον νομον* ponere voluerit non post *το καλον* sed ante *τῳ θελοντι*. Et verò si *τον νομον* posuisset post *το καλον*, ambigua fuisset oratio, quum sic *τον νομον* haberi potuisset pro Appositione ad *το καλον* (*facere bonum*, scil. *legem;* puta *Mosaicam*). Ceterum, sive hanc sive illam structuram eligas, sensus eòdem recidit.

Νομον (*legem*) Apostolus hic per *Catachresin* vocat inclinationem illam quâ volens facere bonum veluti secundum legem quamdam promptus fertur in malum. Legem hanc mox vocat *legem membrorum* (*νομον εν τοις μελεσι*).

Articulus *τον* ante *νομον*, vim obtinet Demonstrativi Pronominis quia sequitur *ὅτι exegeticum*. Cf. Act. XX. 35. *Τῳ θελοντι εμοι* est Dativus *incommodi*, q. d. *invenio contra me volentem*, etc. Sensus est: *Invenio igitur mihi bonum facere volenti positam hanc veluti legem, ut mihi in promptu sit* (*παρακειται*) *facere malum; ut in malum*, inquam, *pronus sim, hùc propendam, hùc procliner*.

℣. 22—23. *Condelector enim legi Dei*, etc.). Dissidium illud quod in antegresso (℣. 21) versiculo assignaverat, hic (℣℣. 22—23) exponit (*γαρ*) distinctius.— Præpositionis *συν* in Composito *συνηδομαι* forsitan hæc vis est, ut notet eum qui hic loquitur, *veterem*, inquam, *hominem*, lege Dei delectari CUM interiore suo homine. — *Ὁ νομος του θεου* intelligitur Mosaica lex, de qua supra (℣. 14) dixerat *οιδαμεν ὅτι ὁ νομος πνευματικος εστι*.—Is qui modò (℣. 17 et 20) emphaticè dicebatur *εγω*, hic definitur esse *ὁ εσω ανθρωπος homo interior;* est autem PAULO, quod ex ℣. 23 patet, interior homo *ὁ νους* hominis. *Ὁ νομος του νοος μου=εν τῳ νοΐ μου* opponitur *ἑτερῳ νομῳ εν τοις μελεσι μου*. Est autem illa *mentis* (*του νοος*) lex, ut *delectetur* (℣. 22) *lege Dei*.—*Ὁ νομος της ἁμαρτιας* unus idemque est cum

---

(1) Sensit hoc et THEOPHYLACTUS; qui tamen in elucidando hoc loco mentem Apostoli non est assecutus. Ἀσαφες το ειρημενον, inquit, ὡς ελλιπως εχον· εδει γαρ οὑτω λεχθηναι·) Εὑρισκω αρα τὸν νομὸν συνηγορουντα μοι, θελοντι μεν ποιειν το καλον, μη ποιουντι δε, διοτι εμοι παρακειται το κακον. h. e. *Obscurè hoc dictum est, quasi quicquam desit; debebat enim sic dici: Invenio itaque legem patrocinantem mihi, volenti quidem facere bonum; quod tamen non facio, eò quòd malum mihi adjacet.*

τῳ νομῳ εν τοις μελεσι μου. Vox νομος in versiculo 23 ubique adhibetur per *Catachresin.* Ἑτερος νομος et ὁ νομος του νοος μου dicta sunt ibi per Prosopopœiam, et in verbis αντιστρατευεσθαι et αιχμαλωτιζειν (i. q. αιχμαλωτον ποιειν) Metaphora est a re bellicâ ducta. Malim legere, Præpositione εν demtâ, τῳ νομῳ (Dativ. *Commodi*) της ἁμαρτιας. Sensus ergo horum versiculorum (22—23) hic est: *Delectatur mens mea*, (interior homo sive intellectus et voluntas) *lege Dei mihique dictat eam esse observandam; verùm experior adesse in membris meis* (in homine animali) *aliud dictamen quod se opponit* (αντισρατευομενον in Depon. Med.) *adversaturque dictamini mentis meæ, et servire me facit dictamini malæ concupiscentiæ* της ἁμαρτιας) *quod est in membris meis.*

Verba quoque ista (℣. 22), *condelector legi Dei*, S. Augustinus (*vide supra p.* 216 *in nota* 2) vult esse dicta in persona justorum; quia nempe vetus homo verè dicere nequeat *condelector legi Dei*; quod autem ibidem (℣. 23) sequitur αιχμαλωτιζοντα με (εν) τῳ νομῳ της ἁμαρτιας, id exponit de concupiscentia captivante justum *motione, non consensione*[2]. Sed Augustinum heic refutavit Card. Toletus, (ad h. l.) et rectissimè quidem. « Augustinus, *inquit*, suam probat sententiam ex illo verbo, *condelector legi Dei*[3]; attendens autem verbum sequens (*captivantem me in lege peccati*) non sibi favere, interpretatur sic ut dicit, concupiscentiam captivare justum *motione non consensione.* Horum tamen prius inefficax est; posterius autem accommodari non potest. Prius, inquam, inefficax est, quia peccator (*vetus homo*) condelectari justo et honesto voluntate imperfecta, judicium etiam rectum in universali habere potest; vox enim peccatoris illa celebris est: *video meliora proboque, deteriora sequor;* et incontinens judicat probatque legem in universali, et vellet, imperfecta voluntate, secundum eam vivere; tamen tractus concupiscentiâ particulari eam transgreditur. Non ergo rectum argumentum sumitur ex illo verbo (*condelector secundum interiorem hominem legi Dei*) ad probandum id justis convenire; non enim aliud significat, nisi mente et animo video et probo legem Dei et vellem me implere illam; tamen non id facio quod mente probo; hoc autem est peccatoris. Posterius illud de captivitate, nulla ratione videtur sustineri posse. Sunt enim duo a Paulo prolata de lege membrorum: unum est, eam repugnare legi mentis; alterum est, captivare hominem. Non ergo exponere possumus: Captivat me in lege peccati, id est, *movet* me ad peccandum; hoc enim jam significatum est quando dicta est *repugnare legi mentis.* Præterea *movere* est ante victoriam: *captivare* autem supponit victoriam; nemo enim dicitur captivare alterum quando movet bellum contra ipsum, nisi partâ victoriâ. Igitur Paulus significare

---

(1) Cf. 1 Thess. V. 23, ubi pro νους est πνευμα.

(2) Contra duas Epist. Pelag. Lib. 1. Cap. X. n° 20.

(3) Puta, quia hoc dicere sit justorum sive *novi hominis*, non verò peccatorum sive *veteris hominis.*

voluit peccatorem, in quo concupiscentia pugnat contra legem mentis et eam vincit, faciens hominem sibi obedire suisque consentire motionibus et affectibus; idcirco captivat eum in lege peccati, quia ad peccatum trahit, cum peccator non habeat nec ex ipsa mentis lege vires, quibus resistat et vincat pugnantem legem membrorum contra mentis legem. Simili usus est verbo Paulus 2 Cor. X in bonam partem de mentis captivitate ad obediendum fidei: *In captivitatem*, inquit, *redigentes omnem intellectum in obsequium fidei.* » Hactenus Toletus.

℣. 24—25. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? 25 Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Igitur ego ipse mente servio legi Dei: carne autem legi peccati.

℣. 24—25. *Ταλαίπωρος ἐγὼ ἄνθρωπος! τίς με ῥύσεται ἐκ τοῦ σώματος τοῦ θανάτου τούτου!*

25 *Εὐχαριστῶ τῷ Θεῷ* a) *διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Κυρίου ἡμῶν.*

Ἄρα οὖν αὐτὸς ἐγὼ τῷ μὲν νοῒ δουλεύω νόμῳ Θεοῦ, τῇ δὲ σαρκὶ νόμῳ ἁμαρτίας.

Paraphrasis. O me miserum hominem! Quis me eripiet e captivitate corporis quod istam mortem mihi infert!

Gratias ago Deo quòd ex hac captivitate per merita Jesu Christi Domini nostri me eripuit.

Itaque ipse ego mente meâ servio legi Dei, carne autem legi Peccati.

VARIANS LECTIO.

a) Pro εὐχαριστῶ τῷ Θεῷ, occurrit in Codd. Mss. et χαρις τῳ Θεῳ et ἡ χαρις του Θεου· hanc lectionem versio Vulgata exhibet; sed tertia hæc lectio pauciores habet testes quam aut prior aut altera, et utrâque facilior est, ut dicturi sumus in commentario. Itaque non putem lectionem ἡ χαρις του Θεου genuinam exhibere Pauli scripturam. Inter duas verò reliquas lectiones utram eligam, anceps sum.

℣. 24. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus!*). Epiphonema est, quo ad miserabilem illam captivitatem in persona veteris hominis gemebundus exclamat: *O me miserum hominem! Quis me eripiet* (*ῥύσεται*) *a captivitate*

corporis quod istam mortem mihi infert! Desiderat liberari a corpore non simpliciter, sed quatenus illud est *το σωμα της ἁμαρτιας* (Cap. VI. 6) et qua tale mortem illi infert spiritualem. *Τουτου*, quod ad *θανατος* pertinet, demonstrat mortem *illam* quam cogitabat quum scriberet (℣. 23) *captivantem me in lege Peccati;* nam hujus captivitatis exitus *mors* est æterna, ut dictum erat supra Cap. VI. 21. 23. — *Ῥυσεται* respicit antegressum *αιχμαλωτιζοντα*, et *εκ του σωματος* refertur ad *εν τοις μελεσι μου* (℣. 23).

In dictione *ταλαιπωρος εγω ανθρωπος* notandus est Nominativus *exclamantis*, ut in hoc Homeri (Iliad. *ά*. 231): *Δημοβόρος βασιλεὺς, ἐπεὶ οὐτιδανοῖσιν ἀνάσσεις*[1].

Illi interpretes, qui existimant Paulum hic (14—25) loqui in persona justorum sive *novi hominis*, exclamationem istam, *Quis me liberabit de corpore mortis hujus*, referunt ad *mortem physicam*, quam is qui hic loquitur obire optet, ut pro mortali hoc corpore recipiat immortale. At verò istiusmodi votum ad institutam a Paulo disputationem nihil pertinet. Neque enim hac parte epistolæ (℣. 14—25) sermo illi est de *justo* sive *novo homine*, sed de captivitate quam sub dominio Peccati subit *homo vetus*. Ad hæc, si de morte physica hic ageretur, dixisset, opinor, non QUIS *me liberabit*, sed QUANDO *liberabor*. Denique, animadvertendum est non dici *de corpore mortis hoc*, sed *de corpore mortis hujus* (*του θανατου τουτου*); quod autem Estius illud *τουτου* jungere vult cum antegresso *σωματος*, violentum hoc est et contra regulas Grammatices. Itaque, quod dictum sit contra interpretationem S. Augustini[2], non ea hic intelligitur *liberatio* quæ futura est in altera vita, sed ea qua *vetus homo* per Jesu Christi gratiam eripitur e captivitate illa, quæ superiori versiculo (℣. 23) fuit descripta.

℣. 25. *Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum*). Si Vulgatæ lectionem sequaris, habes in his verbis responsum ad antegressam exclamationem istam, *Quis me liberabit de corpore mortis hujus*, et sensus sit: *Gratia Dei est*, *quæ per* Jesum Christum *me liberabit a corpore mortis hujus.* Sed, ut dixi (vide Var. Lect.), Vulgatæ lectio non videtur hoc loco referre genuinam Pauli scripturam. Ego certe malim legere aut *ευχαριστῶ τῳ Θεῳ* *gratias ago Deo*, aut *χαρις τῳ Θεῳ* *gratiæ agantur Deo.* Igitur Apostolus non dat hic (℣. 25) responsum ad superiorem exclamationem[3], sed, sicut

(1) Cf. Kühner (§. 507. *Anm.*) qui ad istiusmodi structuras hæc ibi notat: «*In diesen Beispielen*, inquit, *muss man einen prädikativen Satz anerkennen, der durch die Auslassung der Kopula εἶναι mit energischer Kurze ausgedruckt ist.*»

(2) Contra duas epist. Pelag. Cap. XI.

(3) Si hoc facere voluisset, scripsisset, opinor, non χαρις του Θεου, sed, pro more, addito Articulo, ἡ χαρις του Θεου.

modò (℣. 24) in persona *veteris hominis* gemebundus ex abrupto exclamabat, *quis me liberabit de corpore mortis hujus*, ita nunc, CHRISTUM liberatorem cogitans, in persona *novi hominis* lætabundus erumpit in gratiarum actionem. Gratias, *inquit*, ago Deo quòd me per merita [1] JESU CHRISTI liberaverit de corpore mortis hujus, hoc est, a miserabili illa captivitate (℣. 23), quâ vetus homo detinebar. *Res* de qua gratias agit, non exprimitur; nimirum ex antegressa exclamatione satis illa intelligebatur, et qui loquitur commoto animo est, ut adeò hic sit Aposiopesis quædam.

Igitur ego ipse mente servio legi Dei; carne autem legi peccati.) Concludit (ἄρα) totam superiorem (7—25) disputationem. Sensus est: *Itaque* (absque liberatore CHRISTO) *ipse ego* (vetus homo) *mente* (τῷ νοΐ Dativ. *Instrumenti*) *servio legi Dei, carne autem legi Peccati* (τῃ σαρκι Dativ. *Instrumenti*). Quod dicit *mente mea servio legi Dei*, sumendum hoc est eo sensu quo suprà (℣. 22) dixerat: *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem*; quod autem addit *carne servio legi Peccati*, id quidem intelligendum est secundum antegressum illud effatum (℣. 19), quo declaraverat *se non facere bonum quod facere velit, e contra facere malum quod facere nolit.*

Αυτος εγω non significat *idem ego*, ut sensus sit: *Ego unus idemque mente servio legi Dei, carne autem legi Peccati;* nam si hoc dicere voluisset Apostolus, utique scripsisset, addito Articulo, ὁ αυτος. Ergo αυτος εγω simpliciter valet *ipse ego.* Belgicè dixerim: *Ik zelf alzoo, ik dien*, etc.; et Gallicè: *Moi-même donc je sers*, etc.

PAULUM tota hac epistolæ suæ parte (℣. 7—25) per *Metaschematismum* locutum fuisse in persona veteris hominis, sententia est SS. Patrum et scriptorum antiquiorum, quorum nomina hic subjicimus: ORIGENIS (ad Cap. VII. 18); BASILII (Reg. brev. resp. 16. Apud Card. TOLETUM); CHRYSOSTOMI (Hom. XIII in Ep. ad Rom.); THEODORETI (in Ep. ad Rom. ad Cap. VII. 14); HIERONYMI (*in Habacuc Cap. I. et in Danielem, Cap.* 3); AMBROSII (*Lib. de Isaac et anima Cap.* 2); THEOPHYLACTI (in Ep. ad Rom. ad Cap. VII. 14); OECUMENII (in Ep. ad Rom. ad Cap. VII. 8); JOH. DAMASCENI (in Ep. ad Rom. ad Cap. VII. 9); TITELMANNI (ad Cap. VII. 14); *Card.* HOSII (Op. Omn. pag. 151); *Card.* TOLETI (*Commentar. in Ep. ad Rom.*); JUSTINIANI (ad Cap. VII. 18).

---

(1) Ita THEOPHYLACTUS: Δι' Ιησου Χριστου, inquit, τουτεστιν, αιτιου οντος της ευχαριστιας του Χριστου. Αυτος γαρ, φησι, κατωρθωσεν, ἁ ὁ νομος ουκ ηδυνηθη· αυτος με ερρυσατο εκ της ασθενειας του σωματος, ενδυναμωσας αυτο, ὡστε μηκετι τυραννεισθαι ὑπο της ἁμαρτιας. «*Per* JESUM CHRISTUM, *hoc est, causâ gratiarum actionis existente* CHRISTO. *Ipse enim* inquit, *præstitit quæ lex non potuit; ipse ab imbecillitate corporis me liberavit, confortans illud ut non porro Peccati tyrannide opprimatur.*»

CAPUT OCTAVUM.

Argumentum. *Suprà (cap. VI.* 11—13) *Romanos suos adhortatus Apostolus ut quoniam renati essent in* Christo *deinceps Deo et justitiæ viverent , rationes cur facile id præstare possent duas addiderat (℣.* 14) , *scilicet* quod non essent sub lege, et quod essent sub gratia. Priorem *rationem deinde distinctius exposuit capite septimo ,* alteram *verò in primâ præsentis capitis parte explicat , dum docet, eos , utpote* Christi *meritis justificatos atque a statu* veteris hominis *in statum* novi hominis *translatos , liberatos esse a dominatu Peccati, ut jam valeant Dei legem adimplere , et carni reluctantes vitam instituere spiritualem* (1—5). *Dicit porrò quid sit vitam instituere* secundum carnem , *quid* secundum spiritum , *et quis sit utriusque institutionis fructus* (5—12). *Deinde, flexâ ad exhortationem oratione, parænesin suprà (Cap. VI.* 14 *) abruptam continuat. Itaque Romanos suos monet ut pro conditione suæ dignitatis vitam agant non* secundum carnem *sed* secundum spiritum ; *quam monitionem roborat memorando iterum utriusque vitæ fructum ; et illos quidem qui vixerint* secundum spiritum , *aliquando futuros esse* hæredes Dei , cohæredes autem Christi *pronunciat , si tamen ,* Christi *exemplo , tribulationes et afflictiones , quæ illis obvenissent , constanti animo pertulissent.* (12—17) ; *ad quod faciendum eosdem adhortatur , rem suadendo a magnitudine præmii futuræ felicitatis , quam certò repositam illis esse obiter probat ex gemebundo desiderio quo tum mundana creatura universa* liberationem sui a servitute corruptionis , *tum etiam Christiani salutis suæ consummationem exspectant* (17—24 *). Necdum enim fruimur , inquit , consummata illa salute , sed speramus fore ut eâdem aliquando fruamur ; interim ergo eam* exspectamus, *adversa quæque patienter tolerantes ; qua in re Spiritus sanctus adjutor nobis adest , atque hoc etiam animos nobis addit , quod scimus omnia quantumcumque tristia et adversa in bonum cedere nobis Christianis , utpote talibus quos Deus gratuitò ad fidem vocavit* ; *in qua gratuita vocatione posita ratio est cur nobis omnia cedant in bonum* (24-29) ; *nam vocavit nos ut justificaret, justificavit autem ut dirigeret ad æternam gloriam aliquando obtinendam* (29—31). *Cum ergo Deus pro nobis sit , quis tandem nocere nobis possit ? et qui proprium filium suum pro nobis in mortem tradidit , num idem patiatur deësse nobis quidquam . quod ad obtinendam salutem necessarium sit ? An accusaturus sit Deus eos quos justificavit ? An condemnaturus sit* Jesus Christus *quos suo sanguine redemit ? Quis impedire poterit quominus* Christus *nos constanter diligat ? Nemo plane , nihil prorsus efficere potest ut cesset Deus diligere quos justificavit , modò illi constanter eum diligant* (31—39).

℣. 1. Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu : qui non secundum carnem ambulant. 2 Lex enim spiritûs vitæ in Christo Jesu liberavit me a lege peccati et mortis.

℣. 1. *Οὐδὲν ἄρα νῦν κατάκριμα τοῖς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, μὴ κατὰ σάρκα περιπατοῦσιν, ἀλλὰ κατὰ πνεῦμα·* [a]) 2 *ὁ γὰρ νόμος τοῦ πνεύματος τῆς ζωῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ ἠλευθέρωσέ με ἀπὸ τοῦ νόμου τῆς ἁμαρτίας καὶ τοῦ θανάτου.*

Paraphrasis. Nihil ergo nunc damnationis reliquum est iis qui Christo sunt incorporati ; nam Spiritus sanctus vivificator me per Christum Jesum liberavit a tyrannide Peccati et Mortis.

VARIANS LECTIO.

a) Postrema hujus commatis verba ista, *μη κατα σαρκα περιπατουσιν, αλλα κατα πνευμα*, non leguntur in Codd. BCD*FG ; desunt pariter in Minusculis aliquot, ut et in nonnullis versionibus antiquis. In Codd. AD* ut et in Vulgata Latina et nonnullis aliis versionibus antiquis leguntur tantum hæc : *μη κατα σαρκα περιπατουσιν*. Sed cum id quod dicitur verbis istis, *μη κατα σαρκα περιπατουσιν, αλλα κατα πνευμα*, præsenti loco non conveniat, legantur autem verba ista eodem ordine omnia infra (℣. 4), probabilissima conjectura est, habenda illa esse pro glossemate quod ex versu quarto desumtum ad marginem versiculi primi scriptum fuerit, atque hinc deinceps in textum irrepserit; quæ quidem conjectura eo firmior est quòd nulla ratio probabilis assignari possit, cur in plerisque Codicibus fuerint omissa.

℣. 1. *Nihil ergo nunc damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu*). In antegressa (Cap. VII. 25) conclusione dictum fuerat *veterem hominem* servire Peccato, cujus servitutis exitus esset damnatio ad mortem æternam (℣. 24). Hinc verò jam (℣. 1) *concludit* (*ἄρα*) *a contrario*, damnationi huic non subjacere Christianum, quippe quem (℣. 2) Christo per Baptismum incorporatum vivificator Spiritus Sanctus liberaverit a tyrannide Peccati et Mortis.

Quod dicit Apostolus *νῦν nunc*, statum indicat *novi hominis*, atque ita transit a statu *veteris hominis*, cujus statûs descriptionem supra (Cap. VII. 24) per gemebundam illam exclamationem absolverat. Ad hunc statum *κατάκριμα damnatio* pertinebat;

nam profectò quidni *damnabilis* sit is qui *serviat Peccato* (Cap. VII. 25); exclusum autem hoc *κατακριμα* est *ab iis qui sunt in* Christo Jesu. *Κατακριμα* est *sententia condemnatoria*. *Τοις εν Χριστῳ Ιησου* scil. *ουσι*. Quid Paulo sit *εν Χριστῳ ειναι*, *esse in* Christo, infra ℣. 9—11. distinctius dicitur.

℣. 2. *Lex enim Spiritûs vitæ in* Christo Jesu *liberavit me a lege peccati et mortis*). Exponit (*γαρ*), ut jam diximus (supra ad ℣. 1), causam cur *nihil damnationis* (*ουδεν κατακριμα*) sit *exsistentibus in* Christo Jesu (*τοις εν Χριστου Ιησου ουσι*). Et causa est, inquit, quia Spiritus sanctus vivificator me per Christum Jesum liberavit a tyrannide Peccati et Mortis.

Ὁ *νομος της ἁμαρτιας* intelligitur innata concupiscentia mala (Confer Cap. VII. 23), quæ et *ὁ νομος του θανατου* vocatur ideò, quia efficiebat ut *vetus homo* sibi attraheret *κατακριμα mortis* æternæ. Cf. Cap. VII. ℣. 24, et VI. ℣. 21. 23. Ceterum *ἡ ἁμαρτια* et *ὁ θανατος* per Prosopopœiam dicuntur. *Legi Peccati et Mortis* opponitur *lex* [1] *Spiritûs vitæ* (*ὁ νομος του Πνευματος της ζωης*), hoc est *το ζωοποιον Πνευμα Spiritus sanctus vivificator*. *Της ζωης* est Genitivus *effectûs*. Intelligitur autem *vita gratiæ*, illa, inquam, vita, quâ Deo vivimus; quam vitam dum *veteri homini* renascenti confert Spiritus sanctus, eumdem simul liberat *a lege Peccati et Mortis*, hoc est, frangit in illo vim concupiscentiæ mortiferæ [2]. Voces *εν Χριστῳ Ιησου* jungendæ sunt cum *ελευθερωσε με*, *liberavit me* [3]. Dicere vult Apostolus, *causam* meritoriam illius liberationis esse *in* Christo Jesu. Illam quam dixi verborum structuram postulat comma sequens, ubi *explicatur* (*γαρ*) quo modo per Jesum Christum facta sit illa liberatio. Itaque Præpositio *εν* hoc loco dicta est *de causa*, ut Matth. IX. 34, et Act. XVII. 31.

℣. 3—4. Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem: Deus Filium suum mittens in similitudinem car-

℣. 3—4. *Τὸ γὰρ ἀδύνατον τοῦ νόμου, ἐν ᾧ ἠσθένει διὰ τῆς σαρκὸς, ὁ Θεὸς τὸν ἑαυτοῦ υἱὸν πέμψας ἐν*

Paraphrasis. Nam Deus Filium suum in assumpta carne carni nostræ peccatrici simili in mundum mittendo et quidem ob Peccatum, damnavit Peccatum

---

(1) Quia occidentem vim Peccati et Mortis per *Catachresin* vocaverat *legem*, ideò et vivificantem Spiritûs sancti *ενεργειαν* eodem modo *legem* vocat.

(2) S. Aug. Lib. 1. contra duas epist. Pelagian. Cap. X: « *Liberavit te a lege peccati et mortis, ne scilicet consensionem tuam sibi vindicans carnis concupiscentia in peccatum te ac mortem pertrahat.* »

(3) Etiam hic per *Metaschematismum* Apostolus loquitur, sed nunc in persona *novi hominis* sive regeneratorum.

nis peccati, et de peccato
damnavit peccatum in car-
ne, 4 ut justificatio legis
impleretur in nobis, qui
non secundum carnem am-
bulamus, sed secundum
spiritum.

ὁμοιώματι σαρκὸς ἁ-
μαρτίας καὶ περὶ ἁ-
μαρτίας, κατέκρινε τὴν
ἁμαρτίαν ἐν τῇ σαρκί·
4 ἵνα τὸ δικαίωμα τοῦ
νόμου πληρωθῇ ἐν ἡ-
μῖν τοῖς μὴ κατὰ σάρ-
κα περιπατοῦσιν ἀλλὰ
κατὰ πνεῦμα.

dominium ejus abolendo in carne; quæ res effici non poterat a Lege, quippe quæ imbecillis erat per carnem rationi rebellem. In eum autem finem Deus Peccati dominium abolevit in carne, ut Legis præceptorum adimpletio fieret in nobis, qui vitam instituimus non secundum dictamen carnis sed secundum dictamen spiritûs.

℣. 3. *Nam quod impossibile erat legi in quo infirmabatur per carnem*, cet.) Explicat (γαρ) *quo modo* per Jesum Christum facta sit illa liberatio. Particula *causalis* γαρ pertinet ad ὁ Θεος.... πεμψας κατεκρινεν. Cum dicatur το αδυνατον του νομου, non verò τῳ νομῳ, consequitur αδυνατον hic sumi non adjectivè sed substantivè, adeòque tantumdem valere ac ἡ αδυναμια *imbecillitas*. Verba autem illa, το αδυνατον του νομου εν ῷ ησθενει δια της σαρκος, habenda sunt pro Appositione ad ista, ὁ γαρ Θεος.... πεμψας.... κατεκρινε την ἁμαρτιαν εν τῃ σαρκι. Puta Paulum heic scripsisse ita: ὁ γαρ Θεος, τον ἑαυτου υἱον πεμψας εν ὁμοιωματι σαρκος ἁμαρτιας και περι ἁμαρτιας, κατεκρινε την ἁμαρτιαν εν τῃ σαρκι· ὁπερ ην το αδυνατον του νομου, εν ῷ ησθενει δια της σαρκος. Est ergo το αδυνατον του νομου... σαρκος Nominativus Appositionis ad principalem quæ insequitur sententiam: ὁ Θεος τον ἑαυτου, κτλ. Similis structuræ exempla Fritschius (ad h. l.) nonnulla affert ut hoc ex Euripide (*Troad.* ℣. 494 sq.): Το λοισθιον δε, θριγκος αθλιων κακων, δουλη γυνη γραυς Ἑλλαδ' εισαφιξομαι, h. e. *extremum autem, fastigium miserorum malorum, senex ego tamquam serva ibo in Græciam;* hoc est, εισαφιξομαι δε δουλη γυνη γραυς Ἑλλαδ', ὁ εσται το λοισθιον, θριγκος αθλιων κακων.

Voces istas, πεμψας.... κατεκρινε, rectius reddideris *misso* (scil. *in mundum*) *filio suo.... damnavit.* Quod autem dicitur πεμψας τον υἱον.... εν ὁμοιωματι σαρκος ἁμαρτιας, id quidem, si voces spectes, divini Verbi incarnationem tantùm significat; attamen dubitari nequit quin Apostolus verbis illis integrum opus redemptionis exprimere voluerit. Cf. ℣℣. 32. 34. Itaque synecdochicè locutus est. Auctor Vulgatæ dixit *in similitudinem*, quod est contra mentem Apostoli, qui scripsit εν ὁμοιωματι *in similitudine carnis peccati*, ubi Præpositio *in* cum Ablativo dicitur *de eo quo quis*

indutus est, ut in hoc Matthæi Cap. VII. 15 : *οἵτινες ερχονται προς ὑμας εν ενδυμασι προβατων ;* refertur autem illa dictio ad hypostaticam unionem, qua Verbum humanam naturam induit quasi *vestimentum* quoddam *substantiale*. Dico *substantiale*, nam hoc differt incarnatio Verbi a vestititione quâpiam, quod in incarnatione unio sit *substantialis*, in vestitione verò sit *accidentalis*. Confer hic quæ notavi in Commentario in epistolam ad Philippenses, ad Cap. II. ℣. 7. Ergo sensus est : *Deus misit Filium suum indutum similitudine carnis peccati.* *Σαρξ* hic per Synecdochen vocatur *humana natura*, ut in hoc Joh. I. 14 : *και ὁ λογος σαρξ εγενετο*. Dicitur autem humana natura *σαρξ ἁμαρτιας*, quatenus est *peccato* originali infecta. Ceterum observandum est, Apostolum non dicere *εν σαρκι ἁμαρτιας*, sed *εν ὁμοιωματι σαρκος ἁμαρτιας*, et ratio est, quia Dei Verbum humanam quidem assumpsit naturam sed eam peccato originali non infectam [1]), quum non esset naturali generatione per semen viri propagata, sed per supernaturalem Spiritûs sancti operationem ex substantia beatissimæ virginis Mariæ producta. — *Σαρξ ἁμαρτιας* tantumdem hic valet ac *σαρξ ἁμαρτωλος caro* (humana natura) *peccatrix*, hoc est, Peccato originali infecta.

Quod sequitur, *και περι ἁμαρτιας*, Estius (ad h. l.) S. Chrysostomum aliosque secutus, conjunxit cum subsequente verbo *κατεκρινε*, ut sensus sit : Deus *de peccato damnavit peccatum* ; quasi tu dicas : peccati condemnavit Peccatum scelerisque reum illud peregit [2]).

Verùm istam interpretationem nec Grammatica fert, nec contexta oratio. Et Grammatica quidem, quia secundum illam interpretationem Participium *πεμψας* careat Verbo Finito a quo pendeat ; sequitur enim Conjunctio *και* ; dicere autem hanc Conjunctionem

---

(1) Theodoretus (ad h. l.) : *Ουκ ειπεν εν ὁμοιωματι σαρκος, αλλ' εν ὁμοιωματι σαρκος ἁμαρτιας. Φυσιν μεν γαρ ανθρωπειαν ελαβεν, ἁμαρτιαν δε ανθρωπειαν ουκ ελαβε. Τουτου δη χαριν το ληφθεν ουχ ὁμοιωμα σαρκος, αλλ' ὁμοιωμα σαρκος ἁμαρτιας εκαλεσε.* h. e. « Non dixit *in similitudine carnis*, sed in *similitudine carnis peccati.* Naturam enim humanam accepit, sed peccatum humanum non accepit, et ideo id quod acceptum est (*naturam humanam*) non *similitudinem carnis*, sed *similitudinem carnis peccati* appellavit. » In eamdem sententiam scripsit S. Ambrosius (Lib. 1. *de Pœnitentia* Cap. 2) : « Non dictum est, *inquit*, missus *in similitudinem carnis*, sed *in similitudinem carnis peccati*. Si carnem veram non accepisset, *in similitudinem carnis* diceretur missus ; at dum in similitudinem non *carnis* sed *carnis peccati* missus dicitur, veram carnem accepisse demonstratur, sine peccato quidem, sed similem ei quæ infecta erat peccato. »

(2) Estius (ad h. l.) : « *De peccato damnavit peccatum*, ipsumque sceleris reum peregit, quòd non solum fuisset *supra modum peccans*, augendo prævaricationes in humano genere, ut dictum est capite superiori, verùm præterea manum misisset in Christum innocentem et tamquam peccatorem egisset in mortem ; ut eam ob causam meritissimè condemnandum fuerit atque e medio tollendum. Nam licet Deus solo nutu voluntatis abolere potuisset peccatum, convenientius tamen ei visum fuit, si hac justitiæ viâ procederet ad destruendum regnum peccati. Hæc autem de peccato per Prosopopœiam dicuntur, velut de tyranno quopiam et injusto dominatore.... Hæc Græcorum expositio ita placet, ut eam ceteris anteponendam censeam. »

redundare, id sanè quam ridiculum sit. Sed nec contexta oratio illam fert interpretationem; negatur enim a Lege fieri potuisse (*το γαρ αδυνατὸν του νομου*) id quod Deus hic dicitur fecisse; atqui profectò poterat Lex *condemnare* injustum homicidium.

Quæ cum ita sint, malim facere cum S. Joanne Damasceno[1] et Theophylacto[2], qui illud *και περι ἁμαρτιας* jungunt cum antegresso Participio *πεμψας*, quod et Syrum interpretem jam fecisse obiter hic observo[3]. Itaque Græca sic reddiderim: *Deus, misso suo ipsius Filio in similitudine carnis Peccati, idque* (*και*) *ob* (*περι*) *Peccatum*[4], *damnavit Peccatum in carne.* Præpositionem *περι* hanc interpretationem admittere, certum est, quamquam Estius (ad h. l.) id negavit. Exemplo sit illud Joh. X. 33: *περι καλου εργου ου λιθαζομεν σε*, quod profectò valet *ob bonum opus non lapidamus te*[5]. Addatur illud 1 Petri III. 18: *περι ἁμαρτιῶν επαθεν*[6], quod nemo non reddiderit *ob peccata passus est.* Confer etiam Marc. I. 44 et Hebr. X. 8.

Κατακρινειν την ἁμαρτιαν *propriè* quidem valet *condemnare Peccatum;* in præsenti tamen loco Verbo *καρακρινειν* per Metonymiam *causæ pro effectu* subjicienda est notio Verbi *καταργειν* *inefficacem reddere*, *abolere*[7]. Cf. Cap. VI. 6. Et ratio est, quia per illud *κατακρινειν* significari hic debet tale quid quod a Lege non poterat præstari; atqui Lex profectò poterat *condemnare Peccatum.* Quod additur *εν τῃ σαρκι* non pertinet ad *την ἁμαρτιαν*, quum non scribatur cum repetito Articulo

---

(1) S. Jo. Damasc. in epist. Pauli (ad h. l.): *Το δε, περι ἁμαρτιας, την αιτιαν της αφιξεως δηλοῖ· ὁτι δια το καταργησαι την ἁμαρτιαν απεστειλεν τον υἱον ὁ Πατηρ.* h. e. Quod dicitur *de peccato*, causam indicat Christi adventûs; nam Pater delendi Peccati causâ Filium misit.

(2) Theophylactus (ad h. l.): *Το δε, και περι ἁμαρτιας, δυναται μεν νοηθηναι και ἁπλουστερον, αντι του, επεμψε τον υἱον ὁ Πατηρ περι ἁμαρτιας, τουτεστιν, ἑνεκα του καταγωνισασθαι την ἁμαρτιαν.* h. e. «Quod ait, *et de peccato*, potest etiam simplicius intelligi ita ut valeat, misit Filium suum Pater propter peccatum, id est, ad debellandum Peccatum.

(3) Sic enim præsentem locum reddidit: ܫܕܪ
ܐܠܗܐ ܠܒܪܗ ܒܕܡܘܬܐ ܕܒܣܪܐ ܕܚܛܝܬܐ
ܡܛܠܬܗ ܕܚܛܝܬܐ ܕܢܚܝܒܝܗ ܠܚܛܝܬܐ
ܒܒܣܪܗ ܀ h. e. *Misit Deus Filium suum in similitudine carnis peccati propter peccatum, ut condemnaret peccatum in sua carne.*

(4) Puta *ad infringendam vim Peccati.*

(5) Græcæ Præpositioni *περι* hic plane respondet Nostratium *om.* Itaque Belgicè dixerim: *niet om een goed werk steenigen wy u.*

(6) Pro *επαθεν* legitur *απεθανεν* in Codd. AC, quam lectionem etiam exhibet Vulgata.

(7) Eodem sensu Verbum *κατακρινειν* hoc loco jam accepit S. Chrysostomus, qui *κατεκρινε* interpretatur *ενικησε αυτην* (scil. *την ἁμαρτιαν*), *την δυναμιν αυτης εξελυσε.* S. Thomas (ad h. l), *debilitavit fomitem peccati in carne nostra.*

την εν τῃ σαρκι[1]; sed pertinet ad *κατεκρινε*, ut adcò sensus hujus partis sit: *Deus.... debilitavit fomitem Peccati in carne nostra* (*εν τῃ σαρκι*, *in het vleesch*), puta, *per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritûs sancti, quem effudit in nos abunde per* Jesum Christum *salvatorem nostrum.* Tit. III. 6.

quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem). Τὸ *αδυνατον*, ut jam diximus, *substantivè* sumendum est, atque hic tantumdem valet quod *ἡ αδυναμια*, *imbecillitas*, *impotentia*. Impotens, inquit, erat Lex, qua talis, ad Peccati dominium abolendum in homine lapso, *eo quòd* (*ἐν ᾧ*) *infirma erat* (*ἠσθενει*) *per carnem* rationi rebellem (*δια της σαρκος*). Cf. Cap. VII, 23. Ἐν ᾧ, *eo quod*, *quia*, ut Hebr. II. 18.

At dicat quis: Dominium Peccati non aboletur in homine nisi per gratiam Justificationis; atqui hæc gratia per Legem nullo modo conferri poterat (Gal. III. 21). Quid igitur illa legis impotentia hic tribuitur *infirmitati carnis*? Difficultatem hanc sensit quoque Dominicus soto (ad h. l.) eamque ita solvit: « *Subiit me hic*, inquit, *ratio nonnulla dubitandi: nam Legis impotentia et infirmitas ne afficax per se esset justitiæ apud Deum, non illi accidebat ab infirmitate carnis; sed hæc est justificationis natura, ut cum sit supranaturalis, vires cujuscumque creaturæ et potestatem cujusvis per se legis exsuperet. Quocirca primi parentes in statu naturæ integræ, licet possent in natura illâ sanâ jus omne implere quantum ad substantiam operis, tamen justi esse apud Deum nequiverant nisi per gratiam Dei; hoc est, per singulare ejus auxilium præter originalem justitiam.* Paulus *vero nihil horum hic diffitetur; at cum loquitur de statu hominis in peccato, in quo præter ipsam justificationis excellentiam nova causa, ratione carnis, accedit, ut non solum non valeat justitiam promereri apud Deum, verum neque legem totam implere quoad substantiam operis, priori causâ subtacitâ, hujus solius, quam in superioribus discusserat, commeminit.* » Hactenùs Dominicus soto.

℣. 4. *ut justificatio legis impleretur in nobis, qui* etc.). Docet *quem in finem* (*ἵνα*) Deus, misso proprio suo Filio, *dominium Peccati aboleverit in carne.* Finis autem hic erat, inquit, ut adimpletio præceptorum Legis fieret *a nobis*, hoc est, ab existentibus in Christo Jesu (Cf. ℣. 1). Τὸ *δικαιωμα του νομου*, in *Singulari Collectivo*; pro eo est suprà, Cap. II. 26, in Plurali, eodem sensu, *τα δικαιωματα του νομου*. Sunt autem in Græcitate sacra *τα του νομου δικαιώματα* (מִשְׁפָּטִים) divinæ legis *præcepta*. Cf. Luc. I. 6. LXX. Deuteron. IV. 1. VI. 2. Quod dicit *ἐν ἡμιν* (*inter nos*, ut Act. II. 29. IV. 34), eo indicat *a quibus* divinæ legis præcepta impleantur. Quod autem

---

(1) Hæc tamen ratio non est nimis urgenda. Confer quæ notavimus in Commentario in Ep. ad Philippenses ad Cap. I. ℣. 5.

addit, *qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum*, eo declarat, *a qualibus* fiat adimpletio præceptorum Legis, puta *moralis*.

Περιπατειν, *ambulare*, ex Hebræorum more loquendi (Cf. הָלַךְ Ps. 1. 1.) hic dicitur *de instituta vitæ ratione*, ut in hoc epistolæ ad Galatas (Cap. V. 16): *πνευματι* (in Dativo *normæ*) *περιπατεῖτε, και επιθυμιαν σαρκος ου μη τελεσητε, secundum spiritum ambulate, et desideria carnis non perficietis.* Itaque *ambulare secundum carnem* est *vivere carnaliter* sive *carnis concupiscentias sequi*[1]; *ambulare* autem *secundum spiritum* est *vivere spiritualiter* sive *instinctum sequi Spiritûs sancti*, ut S. Thomas hoc loco *κατα πνευμα* interpretatur. In dictione *κατα πνευμα*, vox *πνευμα* neque ipsum Spiritum sanctum significat, neque simpliciter unum idemque est ac *mens* humana (*ὁ νους* Cap. VII. 23); sed est *mens humana quatenus recta ab inhabitante* (℣. 11) *Spiritu sancto*. Cf. ℣. 9 et 16.

Card. Toletus legem, de qua hic dicitur (℣. 3), *quod impossibile erat legi*, falsò intellexit *legem mentis* (Cap. VII. 23). Ceterum recta est ejusdem ad præsentem locum adnotatio: « *Attende*, inquit, *carnem nobis fuisse causam, ne legem possemus implere, non propter ipsam carnis substantiam, sed propter peccatum quod ipsam rebellem effecit rationi, arbitriumque ita debilitavit, ut adversantem carnem vincere non valeret. Ut ergo mens a carnis hujus dominio liberaretur, potensque fieret ad legem implendam carnisque legi resistendum, opus fuit destruere peccatum;.... hoc autem in nobis per redemptionis* Christi *gratiam abolito factâque cum Deo reconciliatione, legem implere nobis est jam possibile et facile; id quod peccato in nobis regnante aut manente impossibile erat. Nemo ergo poterat nec potest legem implere sine* Christo; *quia nemo potuit nec potest sine eo a peccato se liberare Deoque reconciliari. Liberatione autem non factâ, infirmum manet hominis arbitrium, caroque prævalet donec in ipso homine per* Christum *aboleatur peccatum.* »

℣. 5—8. Qui enim secundum carnem sunt: quæ carnis sunt, sapiunt. qui vero secundum spiritum sunt: quæ sunt spiritus, sentiunt. 6 Nam pruden-

℣. 5—8. *Οἱ γὰρ κατὰ σάρκα ὄντες, τὰ τῆς σαρκὸς φρονοῦσιν· οἱ δὲ κατὰ πνεῦμα, τὰ τοῦ πνεύματος. 6 Τὸ γὰρ φρόνημα τῆς σαρ-*

Paraphrasis. Nam carnales qui sunt, ea cogitant, amant, curant, quæ vult Caro; spirituales verò iis student quæ cupit mens directa a Spiritu sancto, quum sciant studia et desideria Carnis

---

(1) Aliud quid est *ambulare* in *carne*; hoc enim simpliciter notat *mortalem hanc agere vitam.* Audi Apostolum (2 Cor. X. 3): *In carne*, inquit, *ambulantes, non secundum carnem militamus.*

tia carnis, mors est: prudentia autem spiritûs vita, et pax. 7 quoniam sapientia carnis inimica est Deo: legi enim Dei non est subjecta: nec enim potest. 8 Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt.

κὸς, θάνατος· τὸ δὲ φρόνημα τοῦ πνεύματος, ζωὴ καὶ εἰρήνη· 7 διότι τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς, ἔχθρα εἰς Θεόν· (τῷ γὰρ νόμῳ τοῦ Θεοῦ οὐχ ὑποτάσσεται· οὐδὲ γὰρ δύναται·) 8 οἱ δὲ ἐν σαρκὶ ὄντες, Θεῷ ἀρέσαι οὐ δύνανται.

æternam afferre mortem, studia verò Spiritûs vitam æternam et pacem cum Deo; ratio est, quia studia Carnis inimicitiæ sunt cum Deo; (nam rebellat illa contra Deum nec legibus ejus sese subjicit; neque enim se subjicere illis potest, quum in opposita tendant Carnis studia et leges divinæ); carnales, inquam, qui sunt, Deo placere non possunt.

℣. 5. *Qui enim secundum carnem sunt, cet.*). Rationem (γαρ) dat cur modò (℣. 4) *antitheticè* dixerit: *qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum*; et ratio est, quia alterum ab altero excluditur. *Nam*, inquit, *qui carnales sunt* (κατα σαρκα οντες =σαρκικοι), ea cogitant, amant, curant, quæ carnalis concupiscentia suggerit atque desiderat; *spirituales* verò qui sunt (κατα πνευμα οντες=πνευματικοι) iis student quæ cupit mens ducta a Spiritu sancto. *Manifesta sunt autem opera carnis: quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, commessationes, et his similia*[1]). *Fructus autem Spiritûs est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas*. Gal. V. 19—24.

℣. 6. *Nam prudentia carnis mors est: prudentia autem Spiritûs, vita et pax*). Assignat *causam* (γαρ) cur οἱ κατα πνευμα scil. οντες, cogitent, desiderent, persequantur τα του πνευματος.

Sensus est: Ideò *spirituales* ea quæ sunt Spiritûs φρονουσιν, quia φρονημα [2]) Carnis affert mortem æternam (Cf. ℣. 13, et Cap. VI. 23), φρονημα autem Spiritûs vitam æternam et pacem cum Deo. Cf. ℣. 7.

---

(1) Ex hac enumeratione patet *opera carnis* ab Apostolo non ea tantum dici peccata quæ corporis delectatione perficiuntur, quæque 2 Cor. VII. 1 *inquinamenta carnis* vocantur.

(2) Vocem φρονημα Interpres noster hoc loco reddidit *prudentia*, quamquam modò (℣. 5) vocem φρονειν verterat *sapere*. Quæ translationis varietas nonnihil obscuritatis intulit Vulgatæ versioni.

℣. 7. *quoniam sapientia carnis inimica*[1] *est Deo ; legi enim Dei non est subjecta ; nec enim potest*). Rationem dat (*διοτι*) cur ad mortem æternam (℣. 6) perducat *φρονημα της σαρκος*. Et ratio est, quia *φρονημα* carnis est *inimicitia contra Deum* (*εχθρα εις Θεον*). Quare? Quia *φρονημα* carnis divinæ legi non se subjicit atque ita contra Deum rebellat. Et quare *φρονημα* carnis divinæ legi non se subjicit? quia *non potest* (*ου δυναται* scil. *ὑποτασσεσθαι*) qua tale legi Dei se subjicere ' sive adimplere a quæ lex jubet. Nimirum in opposita tendunt *φρονημα* Carnis et Lex Dei.

℣. 8. *qui autem in carne sunt , Deo placere non possunt*). Particula *δε* hic valet *inquam*, ut 2 Cor. V. 8, et est *resumentis* sermonem quo dixerat (℣. 7) : *sapientia carnis inimica est Deo* ; qui sermo abruptus fuerat per interpositam sententiam istam : *legi enim Dei non est subjecta* ; *nec enim potest*. Ceterum , *in carne esse* , ad *rem* quod attinet , nihil differt ab antegresso (℣. 5) *secundum carnem esse*. Confer quæ notavimus ad Cap. VII. 5. Quod autem dicitur *non possunt*, absolutè hoc sumendum est , sicut modò (℣. 7) illud *nec enim potest*. Et verò *nemo potest duobus Dominis servire*. Matth. VI. 24. Litotes est in illo *Deo placere non possunt ;* negando contrarium , inquam , plus significat quam dicit ; vult enim dicere : *Qui in carne sunt*, subjacent *κατακριματι* (℣. 1) , *condemnationi*.

℣. 9—11. Vos autem in carne non estis , sed in spiritu : si tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum CHRISTI non habet , hic non est ejus. [10] Si autem CHRISTUS in vobis est : corpus quidem mortuum est propter peccatum , spiritus vero vivit propter justificationem. [11] Quod si Spiritus ejus ,

℣. 9 — 11. *Ὑμεῖς δὲ οὐκ ἐστε ἐν σαρκὶ , ἀλλ' ἐν πνεύματι , εἴπερ Πνεῦμα Θεοῦ οἰκεῖ ἐν ὑμῖν. Εἰ δέ τις Πνεῦμα Χριστοῦ οὐκ ἔχει, οὗτος οὐκ ἔστιν αὐτοῦ.* [10] *Εἰ δὲ Χριστὸς ἐν ὑμῖν , τὸ μὲν σῶμα νεκρὸν διὰ ἁμαρτίαν , τὸ δὲ πνεῦμα ζωὴ* [a] *διὰ δικαιοσύνην.* [11] *Εἰ*

Paraphrasis. Vos autem non estis homines carnales sed spirituales , si tamen Spiritus sanctus, quem in Baptismo accepistis , etiamnum in vobis permaneat. Si quis autem Spiritum sanctum , qui Spiritus CHRISTI est, non habet in se inhabitantem , næ, ad CHRISTUM hic non pertinet ; carnalis is est, non spiritualis . Si autem CHRISTUS est in vobis per Spiritum suum , obnoxium quidem morti est corpus vestrum propter originale peccatum , anima au-

---

(1) In editione Vaticana Anni 1598 legitur *inhibita* pro *inimica* ; nec fuit in Correctoriis adnotatum mendum illud typographicum.

qui suscitavit JESUM a mortuis, habitat in vobis: qui suscitavit JESUM CHRISTUM a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis.

δὲ τὸ Πνεῦμα τοῦ ἐγείραντος Ἰησοῦν ἐκ νεκρῶν οἰκεῖ ἐν ὑμῖν, ὁ ἐγείρας τὸν Χριστὸν ἐκ νεκρῶν, ζωοποιήσει καὶ τὰ θνητὰ σώματα ὑμῶν, διὰ [b] τοῦ ἐνοικοῦντος αὐτοῦ πνεύματος ἐν ὑμῖν.

tem vestra vivens est propter gratiam justificationis a Spiritu sancto vobis impertitam. Quod si Spiritus illius qui suscitavit JESUM a mortuis habitat in vobis, ipse ille Pater æternus qui JESUM CHRISTUM, caput vestrum, a mortuis excitavit, aliquando mortalia quoque corpora vestra vivificabit, idque propter inhabitantem in vobis Spiritum CHRISTI.

VARIANS LECTIO.

a) Pro ζωη est ζη, quam lectionem etiam Vulgata exhibet, sed ea tantum occurrit in Codd. FG, adeòque testes non habet nisi paucissimos. Lectionem ζη tribuerim librario qui aut pro ΖΩΗ per errorem scripserit ΖΗ, aut pro ζωη de industria reposuerit ζη, mendum suspicatus quum non satis intelligeret quid hic esset το δε πνευμα ζωη.

b) Pro δια του ενοικουντος αυτου πνευματος legitur δια το ενοικοῦν αυτου πνευμα in Codd. DEFGIK, in Minusculis plerisque, ut et in antiquis versionibus non paucis; adde, Patres Græcos benè multos sic quoque legisse. Quare quum posterior hæc lectio numero et auctoritate testium priori tantopere præstet, non perspicio quid TISCHENDORFIUM movere potuerit ut lectionem δια του ενοικουντος αυτου πνευματος alteri præferret.

℣. 9. *Vos autem in carne non estis, sed in spiritu: si tamen*, cet.). Omissâ probatione posterioris partis versûs sexti, Apostolus id quod modò (℣. 8) dixerat, *antithiticè* jam applicat ad Christianos Romanos. Vos autem, inquit, utpote in Baptismi sacramento per Spiritum S. renati, *non estis in carne sed estis in spiritu*, si tamen (ειπερ) Spiritum Dei Patris, h. e. Spiritum sanctum, quem in baptismo accepistis, nullo graviore peccato a vobis propuleritis isque adeò etiamnum in vobis permaneat.

Valet imprimis præsens locus Apostoli ad firmandam Ecclesiæ doctrinam [1] de non

(1) Cf. Trid. Sess. VI. Cap XIII.

pollicendo sibi absoluta certitudine perseverantiam. Confer quæ hac de re notavimus in Commentario in epistolam ad Philippenses ad Cap. II. ỳ. 12. et Cap. III. ỳ. 11. —*Ειπερ* reddendum est non *quandoquidem*, sed *si tamen*; nam in eo quod statim insequitur, Apostolus ponit, fieri posse ut quis acceptum Spiritum sanctum a se propulerit [1].

si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus). Ad terrendum hoc adjicit, quo majori sollicitudine curent ne graviore peccato acceptum Spiritum sanctum a se propellant. Potuisset pergere Apostolus: *si autem Spiritum Christi non habetis;* sed quum heic triste quid dicturus esset, maluit mutare personam dicereque SI QUIS etc., nec addendo *vestrûm*. Si quis autem, inquit, Spiritum CHRISTI, h. e. Spiritum sanctum, non habet in se inhabitantem, hic ad CHRISTUM non pertinet, puta tamquam vivum ejus membrum; nec est is in spiritu sed in carne. S. THOMAS (ad h. l.): *Sicut non est membrum corporis quod per spiritum corporis non vivificatur, ita non est membrum Christi, qui Spiritum* CHRISTI *non habet.* Ceterum adnotandum est, eumdem Spiritum ab Apostolo hic vocari et *Πνευμα Θεου* et *Πνευμα Χριστου;* ex quo conficitur et CHRISTUM esse Deum, et Spiritum sanctum procedere *a Patre Filioque*, ut definitum fuit in Concilio Florentino hisce verbis: *Definimus... quod Spiritus S. ex Patre et Filio æternaliter tamquam ab uno principio et unica spiratione procedit.*

ỳ. 10. *Si autem Christus in vobis est, corpus quidem etc.*). Antithesis est antegressi effati: *Si quis Spiritum* CHRISTI *non habet, hic non est ejus.* Itaque Apostolus, ad *rem* quod attinet, pro eodem habet, quempiam *habere Spiritum* CHRISTI, et CHRISTUM in quopiam *esse*. Cujus identitatis ratio posita est in divinarum Personarum *περιχωρησει*, quam Latini Theologi *circuminsessionem* appellarunt. Oritur autem illa divinarum Personarum *περιχωρησις* ex unitate et identitate divinæ naturæ, in eoque consistit quod dividi ac separari Persona una non potest ab altera, sed citra confusionem ac servato discrimine insunt in se invicem; ut adeo ubi est divina natura, ibi quoque sint tres Persona divinæ [2]. Audiatur S. CHRYSOSTOMUS, qui ad verba Apostoli,

---

(1) Bene ESTIUS (ad h. l.): «*Ειπερ* alii vertere malunt *si quidem* vel *quandoquidem*, ut sermo sit non dubitantis sed ratiocinantis cum affirmatione, quasi dicat: quandoquidem jam Spiritus Dei in vobis habitat, propterea in spiritu estis; atque sensum hunc tradit Theophylactus. Sed sciendum est, etiam infra (ỳ. 19) cum dicitur, *si tamen compatimur, ut et conglorificemur*, haberi eamdem dictionem *ειπερ*, ubi conditionalem esse sermonem, satis res ipsa loquitur. Et hujusmodi sensus etiam huic loco optimè quadrat. Nam etsi de Romanis, id est, ecclesia Romanorum, non dubitabat Apostolus, an Spiritus Dei in illis habitaret, quos initio salutavit *dilectos Dei, vocatos sanctos*, et quibus scribit (Cap. XV): *certus sum de vobis, quia pleni estis dilectione*, meritò tamen de quibusdam illorum dubitare poterat, unde subjungit: *si quis autem Spiritum* CHRISTI *non habet, hic non est ejus.*»

(2) Confer PETAVIUM *de Trinitate* Lib. IV. Cap. XVI.

si autem Christus in vobis est, hæc notat : « *Dicebat hoc*, inquit, *non Spiritum sanctum vocans* CHRISTUM , *absit*, *sed ostendens eum*, *qui Spiritum sanctum habet*, *non modo* CHRISTI *esse dici* , *sed etiam ipsum habere* CHRISTUM. *Non potest enim* , *Spiritu sancto præsente*, *non adesse* CHRISTUS. *Ubi enim una Trinitatis Persona adest* , *tota adest Trinitas* ; *nam inseparabiliter exsistit et omninò unita sibi* . Itaque in quo est Spiritus sanctus qui est Spiritus CHRISTI , in hoc et CHRISTUS est per Spiritum suum , et pariter adest Deus Pater.

corpus quidem mortuum est propter peccatum, Spiritus verò vivit propter justificationem). Malim vertere *propter justitiam*, nam Græce hic legitur vox δικαιοσυνη, non verò aut δικαιωσις, ut supra Cap. IV. 25. V, aut δικαιωμα ut ỳ. 18 ibidem. Sensus est : *Si autem* CHRISTUS *est in vobis per Spiritum suum* , *corpus quidem vestrum obnoxium est morti* (νεκρον) *propter originale peccatum* (δι' ἁμαρτιαν) , *anima autem vestra est vita* (ζωη Vid. Var. lect.) *sive vivens propter justitiam* (δια δικαιοσυνην) *a S. Spiritu vivificatore* (ỳ. 2) *impertitam*. Cf. Cap. 1. ỳ. 19. Plerique νεκρον hic interpretantur *mortale* ; sed *mortale* Græce θνητον dicitur , νεκρον verò *mortuum* significat. Apostolus autem hoc loco *corpus* propter originale peccatum *morti obnoxium* per Prolepsin vocavit *mortuum* (νεκρον) , idque fecit , ut MAJERUS observat [1], ob antithesin quæ ibi est inter νεκρον et ζωη. Νεκρος , inquit, *ist nicht synonymisch mit* θνητος , STERBLICH , *sondern gibt diesen Sinn nur mittelbar ; es ist ein proleptischer Gebrauch anzunehmen* , *nach welchem das sicher eintretende als bereits eingetreten bezeichnet wird* , *und so wandelt sich das* TODT *allerdings in* STERBLICH (?) *um* , *oder* DEM TODE UNTERWORFEN [2]) ; *es wurde dieses* νεκρος *statt* θνητος *wegen des Gegen-*

---

(1) S. CHRYS. Hom. XIII. in Ep. ad Rom : Τουτο δε ελεγεν , ου το Πνευμα Χριστον λεγων, απαγε, αλλα δεικνυς ὅτι ὁ το Πνευμα εχων , ου μονον του Χριστου χρημαθιζει, αλλα και αυτον εχει τον Χριστον. Οὐ γαρ εστι, Πνευματος παροντος , μη και Χριστον παρειναι. ‛Οπου γαρ αν μια της Τριαδος ὑποστασις παρῇ , πασα παρεστιν ἡ Τριας· αδιασπαστως γαρ εχει προς ἑαυτην και ἡνωται μετ' ακριβειας ἁπασης.

(2) Quod hic dicit MAJERUS νεκρον (*mortuum*) per Prolepsin dici, id quidem recte ; minùs vero rectè se habet quod dicit νεκρον hic (per Prolepsin) valere *sterblich* (*mortale*) ; ratio est, quia corpus *propter peccatum originale* (δι' ἁμαρτιαν) necessitatem quidem moriendi contraxit sive factum est morti obnoxium, sed non factum est *mortale* propter illud peccatum. Erat enim *mortale* corpus et ante lapsum sive in statu innocentiæ. Audiatur S. AUGUSTINUS (*De peccatorum meritis et remissione* Lib. 1. Cap. V.) : *Corpus illud*, inquit, *jam erat mortale* ; *quam mortalitatem fuerat absumptura mutatio in æternam incorruptionem* , *si in homine justitia*, *id est*, *obedientia permaneret* ; *sed ipsum mortale non est factum mortuum nisi propter peccatum. Quia vero illa in resurrectione futura mutatio non solum nullam mortem*, *quæ facta est propter peccatum*, *sed nec mortalitatem habitura est*, *quam corpus animale habuit ante peccatum* , *non ait* (ỳ. 11) : qui suscitavit CHRISTUM JESUM a mortuis, vivificabit et mortua corpora vestra , *cum supra* (ỳ. 10) *dixisset* corpus mortuum (νεκρον) , *sed* vivificabit, *inquit*, et mortalia (θνητα) corpora vestra ; *ut scilicet jam non solum non sint mortua*, *sed nec mortalia* , *cum animale resurget in spiritale*, *et mortale hoc induet immortalitem* , *et absorbebitur mortale a vita*. Cf. 1 Cor. XV. 44. 53. 2 Cor. V. 4.

satzes ζωη *gesetzt.* » Adalb. maier *Comment.* ad h. l. *Peccatum*, ut jam innuimus, *originale peccatum* hic intelligitur; nam, sicut supra (Cap. V. 12) docuit Apostolus, *per peccatum Protoparentis mors in hunc mundum intravit, et in omnes homines mors pertransiit, proptereaquòd, eo peccante, omnes peccaverunt.* Nec obstat quod non scripserit cum Articulo δια την ἁμαρτιαν, sed absque Articulo δι' ἁμαρτιαν. Vide supra ad Cap. VI. 14. Præpositio δια seq. Acc. bis hoc versu dicitur *de causa propter quam quid fit*, ut supra III. 25. Bene Estius: « Ex eo, inquit, quod dicit Apostolus *propter peccatum*, rectè docent Theologi mortem et miserias hujus vitæ etiam in hominibus justis esse pœnas peccati originalis, ut quod perfecte quidem remissum est in Baptismo quoad culpam et pœnam futuri sæculi, qua scilicet homo retardetur ab ingressu regni cœlestis, non autem quantum ad pœnalitates hujus sæculi. De qua re disputatur in 4. Sent. Dist. 4. »

Spiritus verò vivit, Græce: το δε πνευμα ζωη, *Spiritus vero vita est*. Πνευμα ibi simpliciter *humanus animus est*, ut 1 Cor. II. 11. Dicere potuisset Apostolus, *spiritus vero vivens* (ζῶν) est, sed pro *Concreto* ζῶν maluit *Abstractum* ζωη, in quo major vis est: q. d. *Spiritus vero tota quanta vita, non nisi vita est.* Ceterum illa ζωη intelligitur vita gratiæ quam secutura est vita gloriæ; intelligitur, inquam, vita illa quæ a justificatione incipit, et in beata immortalitate perficitur.

℣. 11. *Quod si Spiritus ejus qui suscitavit* Jesum *a mortuis, habitat in vobis*, cet.) Nexus orationis hic est: Dixerat modò: Corpus quidem vestrum morti obnoxium est, animus vero jam vivit; addit nunc: sed et corpus quoque vestrum mortale aliquando donabitur beata immortalitate. Sensus est: *Quod si Spiritus Dei Patris qui suscitavit* Jesum *a mortuis, habitat* [1] *in vobis, idem ipse Pater æternus qui* Jesum Christum, *caput vestrum, a mortuis suscitavit, aliquando mortalia quoque corpora vestra vivificabit idque propter inhabitantem Spiritum ejus* (Christi, αὐτου) *in vobis.*

Futuram corporum nostrorum immortalitatem dicturus Apostolus, Deum Patrem per

---

(1) Intellige ενοιχησιν quæ sit non simpliciter κατ' ενεργειαν sed et κατ' ουσιαν, de qua diximus suprà ad Cap. V. 5. pag. 137. Lege etiam Petavium (de Trinitate Lib. VIII. Cap. IV et seqq.), qui pro more suo eruditissimè hanc quæstionem tractavit. Idem explicat ibidem (Cap. VII) quomodo distincta sit illa Personæ Spiritûs sancti cum justis unio ab hypostatica Verbi conjunctione cum humana natura. Alibi (*de Trinitate* Lib. VIII. Cap.) de hac quæstione sic pronunciat Petavius: « *Quum fidelibus ac justis impertiri communicarique Spiritus sanctus legitur, non ipsammet illius Personam tribui sed ejus efficientiam, communis fere sensus habet eorum, qui in Patrum veterum lectione minus excercitati sunt; quos qui attentè pervestigare voluerit, intelliget, occultum quemdam et inusitatum communicationis modum apud illos celebrari, quo Spiritus ille divinus in justorum sese animos insinuans cum illis copulatur, eumque non accidentarium, ut ita dicam, esse, hoc est, qualitate dumtaxat illa cœlesti ac divina perfici quam in pectora nostra diffundit idem cœlestium donorum largitor ac procreator Spiritus, sed* ουσιωδη, *hoc est,* substantialem; *ita ut substantia ipsa Spiritûs sancti nobiscum jungatur, nosque sanctos ac justos ac Dei denique filios efficiat.* »

Periphrasin vocat *eum qui suscitavit Jesum a mortuis*, idque ideò fecit quia Jesu Christi ad vitam immortalem et gloriosam resurrectio exemplar est resurrectionis nostræ ad vitam immortalem et gloriosam; quam ob causam Jesus Christus alibi (1 Cor. XV. 20) ab Apostolo vocatur *απαρχη των κεκοιμημενων*, *primitiæ dormientium.*

Jesus Christus qui, *ut Deus de Deo*, propria virtute [1] a mortuis resurrexit ad vitam immortalem et gloriosam, *ut homo*, ad illam vitam resuscitatus in Scripturis dicitur a Deo Patre, idque *per appropriationem*; nam quamquam omnia opera *ad extra*, ut vocant Theologi, tribus Personis sunt communia, tamen ex loquendi ratione sacrarum Scripturarum sicut alia Filio, alia Spiritui sancto appropriantur, ita quæ sunt potentiæ opera, ut est mortui ad vitam resuscitatio, appropriantur Patri [2].

vivificabit et mortalia corpora vestra). Duplicis speciei *αναστασις* in S. Scripturis distinguitur, quarum altera vocatur (Joh. V. 29) *αναστασις ζωης*, altera *αναστασις κρισεως*. Resurgent a mortuis omnes (2 Cor. V. 10), sed alii ad subeundam condemnationem sempiternam, eaque est *αναστασις κρισεως*, alii autem ad fruendum vitâ æternùm beatâ, quæ resurrectio *αναστασις ζωης* a Johanne nominatur. Atque hanc *αναστασιν* Paulus hic respicit, non tamen directò eam memorat sed ex obliquo; nam verba ejus proprie significant, futurum esse ut justorum corpora *mortalia* [3] (*θνητα*) *indutura sint immortalitatem.* Cf. 1 Cor. XV. 53. 54.

propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis). Causam exponit propter quam (*δια*) Deus vivificaturus sit *mortalia justorum corpora*; quæ causa posita est in eo quòd Spiritum Christi (*αυτου*) habeant in se manentem.

ỷ. 12—13. Ergo fratres debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus. 13 Si enim

ỷ. 12—13. Ἄρα οὖν, ἀδελφοὶ, ὀφειλέται ἐσμὲν οὐ τῇ σαρκὶ, τοῦ κατὰ σάρκα ζῆν. 13

Paraphrasis. Ergo, fratres, debitores sumus Spiritui sancto ut ad ejus instinctum vitam instituere debeamus; non verò debitores sumus

(1) Joh. X. 18: *Nemo tollit eam* (animam) *a me; sed ego pono eam a me ipso, et potestatem habeo iterum sumendi eam.* »

(2) De attributis essentialibus Personis divinis appropriatis agit S. Thomas 1. p. q. 39. Art. VII et VIII.

(3) « Non dicit *mortua*, sed *mortalia*; quia in resurrectione non solum a corporibus vestris auferetur quod sint *mortua* (ỷ. 10), id est, necessitatem mortis habentia, sed etiam quod sint *mortalia*, id est, potentia mori, quale fuit corpus Adami ante peccatum. Nam post resurrectionem corpora nostra erunt penitùs immortalia. » S. Thomas ad h. l. Legatur etiam hic S. Augustinus, *De pecc. meritis*, cet. Lib. 1. Cap. IV. sqq.

secundum carnem vixeritis, moriemini : si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.

Εἰ γὰρ κατὰ σάρκα ζῆτε, μέλλετε ἀποθνήσκειν· εἰ δὲ πνεύματι τὰς πράξεις τοῦ σώματος a) θανατοῦτε, ζήσεσθε.

Carni, ut huic nobis præstanda servitus sit. Nam si vivitis obsequentes pravis Carnis concupiscentiis, moriemini morte æternâ; contrà, si per Spiritum malas actiones, ad quas Caro impellit, inhibetis, vitam vivetis æternùm beatam.

VARIANS LECTIO.

a) Pro του σωματος legitur της σαρκος in Codd. DEFG, quam lectionem exhibet Latina quoque Vulgata. Crediderim lectionem σωματος referre genuinam Pauli scripturam, tum quòd hæc lectio plures et graviores habet testes, tum etiam quòd probabiliter conjicias pro του σωματος a librario repositum fuisse της σαρκος, quia existimaret Paulum reapse sic scripsisse quum proximè præcessisset κατα σαρκα ζητε. Fieri etiam potest ut lectio της σαρκος nata sit ex glossemate quo illud του σωμάτος explicaretur, quodque, deletâ deinceps in textu codicis voce του σωματος, librarius, qui hoc codice uteretur, in textum admiserit.

℣. 12. *Ergo, fratres, debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus*). Apostolus jam, flexâ ad exhortationem oratione, parænesin supra (Cap. VI. 14) abruptam continuat. Continuat autem per exhortatoriam *illationem* (ἄρα ουν) ex proximè antegressis (℣. 1—11), et sumit, Spiritum sanctum habitare in iis ad quos sermonem suum dirigit. Ceterum observandum est, Pauli orationem hic aliquo modo defectivam esse; nam ut prorsus esset absoluta, sic ei scribendum fuisset : *Ergo, fratres, debitores sumus non Carni ut secundum Carnem vivamus, sed debitores sumus Spiritui sancto, ut secundum Spiritum vivamus*. Sensus est : Ergo, fratres, quum a dominatu concupiscentiæ mortiferæ liberati simus per Spiritum sanctum, perque eumdem in nobis manentem jam nunc animus noster vivat vitâ gratiæ in vitam gloriæ commutandâ, et beatâ immortalitate aliquando donanda sint mortalia corpora nostra, profectò consequitur, nos utpote tot tantisque beneficiis dignatos, debitores esse non Carni, ita ut huic nobis præstanda servitus sit ejusque pravis desideriis obsequendum, sed contrà debitores nos esse Spiritui sancto, adeò ut ad ejus instinctum vitam nostram instituere debeamus.

De Particulis ἄρα οὖν vide supra pag. 200. In dictione του κατα σαρκα ζῆν Infinitivus ad modum Nominis positus est in Genitivo, qui quidem pendet a Substantivo οφειλεται; dicitur enim οφειλετην ειναι τινι τινος. Puta latine dici : *non Carni*

sumus debitores vitæ secundum Carnis desideria instituendæ. Cf. Fritschii *Excurs. II*, qui legitur a fine ejusdem Commentarii in Evangelium Matthæi. Σαρξ in illa dictione tamquam persona sistitur, ut ἡ ἁμαρτια suprà passim, exempli gratiâ Cap. VI. 12.

℣. 13. *si enim secundum carnem vixeritis*, etc.). Superiorem exhortationem roborat adjiciendo quò tandem perducat vita aut *secundum Carnem* aut *secundum Spiritum* instituta. *Nam si vivitis* (ζῆτε), inquit, *pravis Carnis concupiscentiis obsequentes, moriemini morte æternâ* (Cf. Cap. VI. 23); *si contrà per Spiritum* (πνευματι Dativ. instrumenti) *malas actiones ad quas Caro impellit* (τας πραξεις του σωματος) *inhibetis ac veluti necatis* (θανατοῦτε) *vitam vivetis æternùm beatam* (Conf. Cap. VI. 23).

℣. 14—17. Quicumque enim spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. 15 Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba (Pater). 16 Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii Dei. 17 Si autem filii, et heredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Christi: si tamen compatimur, ut et conglorificemur.

℣. 14—17. Ὅσοι γὰρ Πνεύματι Θεοῦ ἄγονται, οὗτοί εἰσιν υἱοὶ Θεοῦ. 15 Οὐ γὰρ ἐλάβετε πνεῦμα δουλείας πάλιν εἰς φόβον, ἀλλ' ἐλάβετε πνεῦμα υἱοθεσίας, ἐν ᾧ κράζομεν· Ἀββᾶ, ὁ πατήρ. 16 Αὐτο a) τὸ Πνεῦμα συμμαρτυρεῖ τῷ πνεύματι ἡμῶν, ὅτι ἐσμὲν τέκνα Θεοῦ. 17 Εἰ δὲ τέκνα, καὶ κληρονόμοι· κληρονόμοι μὲν Θεοῦ, συγκληρονόμοι δὲ Χριστοῦ· εἴπερ συμπάσχομεν, ἵνα καὶ συνδοξασθῶμεν.

Paraphrasis. Nam quicumque ab inhabitante in se Spiritu sancto aguntur, hi sunt filii Dei, ut estis vos. Neque enim, quem in Baptismo Spiritum accepistis, talis est qui vos, sicut olim Mosaica Lex Judæos, servos effecerit ut iterum servili animo legislatorem Deum timeretis; sed accepistis Spiritum qui nos effecit adoptivos Dei filios, quo Spiritu nos agente, magno animi affectu Deum compellamus Patrem nostrum. Ipse ille Spiritus affectuosâ illa compellatione unà cum spiritu nostro contestatur, nos esse filios Dei. Quod si filii sumus, utique et heredes aliquando erimus; heredes, inquam, Dei, cohæredes autem Christi; si tamen cum Christo patimur, quo fiet ut et cum ipso glorificemur.

VARIANS LECTIO.

a) Post αὐτο legitur γαρ apud Patres nonnullos. Interpres Syrus habet ibi ܗܘ ܕܝܢ, *et ipse Spiritus*.

℣. 14. *Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei*). Hac parte (℣. 14—18) Apostolus probat (γαρ) id quod modò (℣. 13) Romanis suis dixerat, scilicet eos, si *Spiritu* opera carnis cohiberent atque reprimerent, aliquando potituros esse vitâ æternùm beatâ. Argumentatio ejus talis est : Quicumque ab inhabitante in se Spiritu sancto aguntur (ut certò aguntur ii qui opera carnis reprimunt), hi sunt filii Dei (℣. 14); qui autem filii sunt, hoc ipso et heredes erunt, puta vitæ æternùm beatæ (℣. 17). Ergo si opera carnis reprimitis, potituri estis vitâ æternùm beatâ.— Sed nota, Apostoli argumentationem quodammodo abrumpi per ea quæ versiculis decimo quinto et sequenti continentur quæque ad modum parentheseos legi possunt. In sententia illa interposita, *non enim accepistis...... quod sumus filii Dei*, eos esse filios Dei probat tum ex affectu amoris quo Deum compellant *Patrem* suum (℣. 15), tum ex testimonio Spiritûs sancti.

Observat ad præsentem locum Chrysostomus, Paulum non dixisse *quicumque Spiritum Dei acceperunt*, sed *quicumque Spiritu Dei aguntur*, quia nempe ad obtinendam filiorum Dei hæreditatem prius illud non sufficiat. « *Ne lavacri doni confisi*, inquit, *subsequens vitæ institutum negligerent, dicit, te, etiamsi baptismùm acceperis, collatam dignitatem et adoptionis prærogativam perdidisse, nisi deinceps a Spiritu sancto in agendo ducaris* [1]. » In eamdem sententiam Theophylactus (ad h. l.) dixit : *Omnes quidem Spiritum accipimus per regenerationis lavacrum, agi autem per omnem vitam, istud a nobis tamquam nostrum exigitur. Ideo non dixit*, quotquot Spiritum acceperunt hi sunt filii Dei, *sed* quotquot Spiritu Dei aguntur [2].

Ceterum, sentit Apostolus ita eos agi a Spiritu sancto, ut ipsi quoque qui aguntur agant dum aguntur. Præmiserat enim (℣. 13) : *Si secundum carnem vixeritis, moriemini, si autem Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis*; adeòque ita Spiritûs sancti ενεργειαν prædicat, ut tamen non tollat humani arbitrii libertatem. Atque ita quoque Philippenses quidem docuit (Cap. II. 12. 13), *Deum esse qui in illis operetur et velle et perficere*, sed et eosdem unà monuit, ut *cum timore et tremore salutem suam operarentur*.

℣. 15—16. *Non enim accepistis spiritum servitutis*, etc.). Eos esse *filios* Dei (adoptivos) *obiter* hic comprobat, ut diximus, ex filialis amoris affectu, quo Deum solent compellare *Patrem* suum. Neque enim, inquit, cum in Christo per Baptismum

---

(1) Ἵνα μη τῃ δωρεᾳ του λουτρου θαρρησαντες, της μετα ταυτα αμελησωσι πολιτειας, φησιν, ὁτι χᾳν βαπτισμα λαβῃς, μη μελλῃς δε Πνευματι μετα ταυτα αγεσθαι, απωλεσας την δεδομενην αξιαν και της υἱοθεσιας την προεδριαν. S. Chrys. *Hom.* XIV in Ep. ad Rom.

(2) Παντες μεν γαρ Πνευμα λαμβανομεν δια του λουτρου· το δε αγεσθαι παρα παντα τον βιον, τουτο απαιτουμεθα ὡς ἡμετερον. Διο ουκ ειπεν, ὁσοι Πνευμα ελαβον, οὑτοι εισιν υἱοι Θεου, αλλ' ὁσοι Πνευματι Θεου αγονται.

renasceremini, Spiritum accepistis qui vos, sicut olim Mosaica lex Judæos, servos effecerit (*Πνευμα δουλειας*), ut iterum servili animo legislatorem Deum timeretis (*παλιν εις φοβον*); sed accepistis Spiritum qui nos constituit adoptivos Dei filios (*Πνευμα υἱοθεσιας*), quo Spiritu nos agente, Deum invocantes magno animi affectu dicimus: o Pater! Ipse ille Spiritus unà cum spiritu nostro testatur quod simus filii Dei.

Πνευμα hic intelligitur non *affectus* aut *sensus* animi quispiam, ut *πνευμα δουλειας* sit *affectus animi qualis solet esse servorum*, et *πνευμα υἱοθεσιας affectus qui conveniat filiis adoptivis;* sed per vocem *πνευμα* hoc loco significatur *Spiritus sanctus.* Atque hoc probatur ex loco parallelo isto (Gal. IV. 6): *Quoniam autem estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem, Abba, Pater!* Itaque Genitivi illi, *δουλειας* et *υἱοθεσιας*, sunt Genitivi *effectûs*, qualis est et Genitivus *του θανατου τουτου* in illo (Cap. VII. 24): *τις με ῥυσεται εκ του σωματος του θανατου τουτου.* Spiritus sanctus quem in Baptismo acceperant non est *πνευμα δουλειας*, *Spiritus servitutis*, hoc est, *Spiritus qui eos effecerit servos*, sed est, *πνευμα υἱοθεσιας*, *Spiritus adoptionis*, hoc est, *Spiritus qui illos constituit filios Dei adoptivos.* Nota, vocabulum *παλιν*, ut patet ex loco quem hic occupat, pertinere ad *εις φοβον*, non autem ad antegressum *ελαβετε.* Hinc verò conficitur, Apostolum non distinxisse hic duplicem Spiritûs sancti *acceptionem*, unam, qua acceptus fuerit *spiritus servitutis*, alteram, qua *spiritus adoptionis*; sed cum menti suæ exprimendæ suffecisset semel posuisse verbum *ελαβετε*, dicendo *ου γαρ ελαβετε Πνευμα δουλειας παλιν εις φοβον, αλλα Πνευμα υἱοθεσιας*, majoris emphaseos causâ, repetito *ελαβετε*, dicere maluit *ου γαρ ελαβετε Πνευμα δουλειας παλιν εις φοβον, αλλ' ελαβετε Πνευμα υἱοθεσιας.* Simili modo ad Ephesios scripsit (Cap. II. 19): *Ἄρα ουν ουκετι εστε ξενοι και παροικοι αλλ' εστε συμπολιται των ἁγιων*, ubi sanè suffecisset Verbum *εστε* posuisse semel, si non voluisset per repetitum illud *εστε* vim addere orationi [1].

iterum in timore). Græcè *εις φοβον in timorem*, seu rectius *ad timorem*, hoc est, *ad timendum.* Hæc scilicet antiquæ legis indoles erat, ut præciperet tantùm variasque pœnas statueret delinquentibus, *per se* autem nulla præberet gratiæ auxilia ad Dei mandata servanda; itaque *per se* illa lex subditos suos faciebat veluti *servos* qui timore pœnarum a violatione præceptorum deterrerentur. In nova autem Lege confertur Spiritus sanctus, quo effecti filii Dei adoptivi non servili pœnarum timore sed filiali amore Deum timemus et amamus. Non quod sub prisca illa lege deesset divina gratia

(1) Cf. quæ notavimus ad C. III. 20. p. 91, item ad Cap. VI. 14.

qua homines justificarentur et vires acciperent ad Dei præcepta implenda, sed gratia illa hominibus non obtingebat vi Legis sed per fidem in Christum venturum, adeòque non ad statum Legis sed ad statum Evangelii pertinebat.

Sed de gratia illa sanctificante, qua sub vetere Testamento constituti fuêre justi quicumque fuerunt, quæri hic potest num quid diversum sit a Spiritu υἱοθεσιας (*adoptionis*), quem in nova lege Christianis conferri Apostolus hic docuit. Qua de re quid SS. Patres sensisse videantur, a Petavio[1] docemur. « Non dubito, *inquit*, quin si quis ista ipsa loca veterum[2] accurate considerare velit, sensisse illos existimet, propriam quamdam, post adventum Christi atque obitum, communicationem cœpisse esse Spiritûs sancti, qualis antea non erat : cujus etiam ab eo tempore factum initium docent, quo in Apostolos sub ignis specie descendit : tamquam hactenùs κατ᾽ ενεϱγειαν, id est *operatione tenùs*, in sanctis fuerit, deinceps autem ουσιωδως, id est *substantialiter*; quod Gregorius Nazianzenus disertè prædicat, nec obscurè certè reliqui omnes asserunt. Atque haud paucos ex his existimasse vidimus, talem in primo nostro parente, cum in eum Deus inspiravit spiraculum vitæ, Spiritûs sancti fuisse præsentiam, cujusmodi a Christo restituta est. Basilius, Cyrillus, et alii, manifesto docent, alio modo in Patriarchis ac Prophetis resedisse Spiritum sanctum, necdum illis ουσιωδως obtigisse. » Quod dicit Apostolus *iterum* (παλεν), speciatim id respicit illos ex Romanis Christianis, qui relictâ synagogâ Christo nomen dederant[3].

sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus, Abba, Pater). Sensus est : sed Spiritus sanctus quem accepistis, adoptivos Dei filios vos esse fecit. Quod addit Apostolus *in quo clamamus Abba, Pater*, ex eo arguit eos accepisse illum Spiritum υἱοθεσιας adeoque esse adoptivos Dei filios. Nam, docente Chrysostomo[4],

---

(1) *De Trinitate* Lib. VIII, Cap. VII.

(2) Illa SS. Patrum loca intelligit, quæ (ibid) capite quarto et quinto plura recitaverat, inter quæ erat et hic Nazianzeni locus (Orat. in Pentecost.) : *Το δε νυν*, inquit Nazianzenus, *τελεωτερον, ουκ ετι ενεργεια παρον ὡς προτερον, ουσιωδως δε, ὡς αν ειποι τις, συγγινομενον τε και συμπολιτευομενον*, h. e. *Nunc vero* (id est, post Christi in cœlum adscensum), *perfectius* (datus est Spiritus sanctus), *ut qui non jam operatione sola præsens sit, ut antea sed substantiali, ut sic loquar, modo adsit ac simul versetur.*

(3) Vasquez (ad h. l.) : « Dicit *iterum* respectu temporis, quo populus Judæorum accepit legem *in timore*.... Lex ipsa ex se tantum proponebat pœnam, quam *timorem* appellat Paulus, neque vero suggerebat interius bonum timorem, quo interdum homines moventur a Deo ad bene operandum : quòd enim positâ pœnâ per legem homo timore sancto et bono moveatur ad bene operandum et servandam legem, non legis est sed gratiæ Dei. Præterea Paulus non negat populum Judæorum præter legis litteram et timorem, habuisse interiorem gratiam per Christum : sed ostendit quid habuerint ex sola virtute legis exterius sonantis. »

(4) Hom. XIV in Ep. ad Rom. *Ὡσπερ ισμεν το πνευμα της προφητειας αφ᾽ οὑ ὁ εχων αυτο προλεγει τα μελλοντα, ουκ οικεια φθεγγομενος διανοια αλλ᾽ ὑπο της χαριτος κινουμενος, οὑτω δη και Πνευμα υἱοθεσιας αφ᾽ οὑ ὁ λαβων Πατερα καλεῖ τον Θεον ὑπο του Πνευματος κινουμενος.*

sicut novimus Spiritum prophetiæ , inde quòd is qui habet illum , futura prædicit , non ex propria mente loquens , sed a gratia motus : sic et Spiritum adoptionis novimus inde quòd is , qui accepit eum , Patrem vocat Deum , motus a Spiritu sancto. Illud εν ᾧ (*in quo*) non est hic idem quod δι' οὗ *per quem* , sed Præpositio εν referenda est ad unionem illam Spiritûs sancti , ut ita dicam , substantialem , qua fit ut Spiritus sanctus animum nostrum veluti pervadat ita , ut nos *in eo* (εν ᾧ) veluti in circumfusi et undique penetrantis aëris elemento versemur. S. Basilius [3] cum Spiritus sanctus εν ἡμιν (*in nobis*) inesse dicitur , ait sic inesse , *ut forma est in materia , et virtus in eo quod illius est capax ; aut ut habitus in eo quod illo afficitur.* Quod sic declarat : *Itaque quatenus Spiritus sanctus vim habet perficiendi ratione præditas creaturas , earum summam perfectionem absolvens , formæ rationem obtinet . Qui enim secundum carnem non amplius vivit , sed Spiritu Dei ducitur , et filius Dei nominatur , et conformis fit imagini Filii Dei , spiritualis appellatur. Item ut videndi facultas inest in sano oculo , sic operatio Spiritûs in anima purgata.*

Clamamus , κραζομεν , sumendum hic est non de magno sonitu vocis , sed de vehementi animi affectu. *Abba* (Αββα) vox Chaldaica [3] est , quæ ibi explicatur per insequentem Græcam ὁ πατηρ. Nota , Vocativi loco adhibitum ibi esse Nominativum cum Articulo , ut Matth. XI. 26 et alibi . Sunt interpretes qui dicant [3] , Augustinum secuti , Apostolum vocem Chaldaicam hic conjunxisse cum Græca , quia , quum scriberet ad Christianos Romanos , quorum alii ex Judaismo alii ex Gentilismo ad Christum venissent , sic voluerit significare utriusque populi in uno angulari lapide Christo conjunctionem , tamquam pariter vocatorum ad filiorum Dei adoptionem. — Sed huic conjecturæ obstare videtur quod etiam apud Marcum (Cap. XIV. 36) similiter legitur Αββα , ὁ Πατηρ ; et verò ibi eâ vocum geminatione spectatum fuisse ad Ecclesiam ex Judæis et Gentilibus colligendam , nulla probabili ratione suaderi poterit. Ceterum *Paternitas* quæ hic dicitur, illa intelligitur quæ toti SS. Trinitati communis est. Observatio hæc non fugit Estii diligentiam. « Nomen *Patris* , ut hic accipitur , *inquit ,* non est proprium primæ Personæ in Deo , sed toti Trinitati commune. Nam Deus non dicitur *Pater* filiorum quos adoptavit a relatione qua refertur ad filium suum naturalem , (sic enim solius secundæ Personæ Pater est) , sed ab ea qua nos respicit ut adoptator noster , et vitæ spiritualis , id est , justitiæ per regenerationem nobis auctor. Quæ paternitas utique toti Trinitati communis est. »

ŷ. 16. *Ipse enim Spiritus testimonium reddit Spiritui nostro , quod sumus filii Dei).* Elucidat Apostolus id quod modo dixerat : *in quo clamamus , Abba, Pater ;*

---

(1) Apud Petavium, *De Trinitate* Lib. VIII. Cap. V. XIV. (2) Estius , alii.

(2) אָב *Pater* , in statu emphatico אַבָּא *le pére.*

in Græco tamen contextu non legitur hic γαρ Particula *elucidantis*, sed asyndeticè præsens sententia antegressæ subjicitur. — Si Deum appellamus *Patrem nostrum*, utique testamur esse nos ipsius *filios*; quod si *in Spiritu sancto* (εν ῷ), hoc est, movente et excitante Spiritu sancto Deum hoc nomine invocamus, Spiritus sanctus ipsa hac invocatione, veluti quodam testimonio [1], *unà cum* Spiritu nostro *contestatur* (συμμαρτυρει) nos esse filios Dei. Itaque vult dicere Apostolus: *Ipse ille Spiritus* (αυτο το Πνευμα Cf. ỷ. 26), de quo modò dixerat εν ῷ κραζομεν, quum auctor sit istius clamoris quo clamamus *Abba Pater*, ipso hoc clamore unà nobiscum contestatur nos esse filios Dei [2].—Testimonium hoc quamquam *in se* certissimum est, attamen nemini eorum quibus illud datur ita certò cognitum est, ut absque speciali revelatione *hinc certitudine fidei* colligere possit aut debeat se esse justificatum [3]; nam, docente Ecclesia [4], ***nullus scire valet certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consequutum.*** Quibus verbis non negatur, fuisse qui ex speciali revelatione id scirent, neque etiam negatur, posse absque speciali revelatione haberi ea de re certitudinem, quam vocant, *moralem*, sed tantum negatur, seclusâ speciali revelatione, sciri hoc posse *certitudine fidei*, *cui non potest subesse falsum*, hoc est, certitudine fidei divinæ [5].

ỷ. 17. *Si autem filii, et heredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Christi*). Arcte hæc cohærent, ut diximus suprà, cum versiculo decimo quarto: *Quicumque Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei.* Oratio autem elliptica est; puta scriptum ibi esse sic: *si autem filii* SUMUS, *consequenter heredes quoque aliquando erimus.* Ratiocinatur autem Apostolus ex analogia juris humani [6], ex titulo filii concludendo ad jus cernendæ hæreditatis. Si filii sumus, inquit, ergo et heredes aliquando erimus: et heredes quidem Dei (Θεου) veluti parentis nostri, *coheredes autem Christi* (Χριστου), id est, unà *cum* CHRISTO, qui, ut homo est, confrater noster est primogenitus inter multos fratres (Vide infra ỷ. 29). Hæreditas autem sive patrimonium quod hic cogitat

(1) Gal. IV. 6: *Quoniam estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem: Abba, Pater.*

(2) S. Jo. DAMASCENUS (ad h. l.) Οὐ του χαρισματος εστι μονον φωνη, αλλα και του δοντος την δωρεαν Παρακλητου· αυτος γαρ ἡμας οὑτως εδιδαξεν δια του χαρισματος φθεγγεσθαι. « *Vox ista*, inquit, *non solum doni illius est, sed et ipsius Paracleti, qui donum largitus est. Ipse enim nos per donum istud docuit, ut hunc in modum loqueremur.* »

(3) « Siquidem *aut* Spiritus sanctus certos nos facit de suo testimonio, et tunc certi poterimus esse per fidem de nostra justificatione; sed hoc erit per revelationem, quia hoc testimonium quædam revelatio est; *aut* certos nos minimè facit, se esse qui nostram adoptionem contestatur, et ambigua manebit illa nobis, non obstante ipsius testimonio. » ANDREAS VEGA, *De Justificatione* Lib. IX, qui inscribitur *De incertitudine gratiæ.* De qua quæstione VEGA toto illo libro copiose et subtiliter disputat. Eamdem quæstionem latè quoque tractat DOMINICUS SOTO, *De natura et Gratia* Lib. III. Cap. X. sq. Lutheranos refellit, sed et Catholicos nonnullos non satis recte hac in re sentientes.

(4) Trid. Sess. VI. Cap. IX.

(5) Cf. AND. VEGA. Ibid. Cap. VIII.

(6) Secundum jus Romanum heredes erant etiam *adoptivi* filii.

Apostolus, *gloria* (δοξα) *cœlestis* est, ut patet ex eo quod statim ibi subjicit: *si tamen compatimur ut et conglorificemur* (συνδοξασθωμεν) ; *Existimo enim quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam* (δοξαν) , *quæ revelabitur in nobis*. Cf. etiam 2 Cor. IV. 17. Hanc hereditatem consequentur, hoc est æterni Patris gloriam (Cf. 1 Thess. II. 12) participabunt *adoptivi* filii Dei, sicut et JESUS CHRISTUS, *naturalis* Dei Filius, merito suarum perpessionum eamdem secundum humanam naturam participavit [1]).

Opportuna est ad hunc locum dogmatica hæc ESTII adnotatio: « Ex hoc loco, *inquit*, nequaquam consequens est, ut adversarii ratiocinantur, justos bonis suis operibus non mereri vitam æternam, quòd nimirum eam ut filii hereditario jure sint accepturi. Nam optime consistunt hæc duo: percipere vitam æternam jure hereditario, et percipere ex meritis, præsertim si jus hereditarium ex adoptione tantum quis habeat. Quemadmodum enim filius, etsi patris heres, obedire tamen debet præceptis patris alioqui jure exheredandus, atque eâ obedientiâ nihilominus hereditatem meretur; sic et nos filii Dei per adoptionem facti eoque jure Dei heredes, præcepta tamen ejus, ut filii, servare debemus et eâ observatione per ipsius gratiam nos hereditate dignos reddere, alioqui jus illud amissuri. Igitur qui sumus adoptionis filii, et hoc titulo heredes, dum præcepta patris servamus, veluti novo titulo ad priorem accedente, sine quo tamen prior retineri non possit, hereditatem paternam nobis debitam facimus. Etenim ita congruentissime et æquissimè divinitùs ordinatum est, ut hereditatem illam cœlestem adoptivi filii non consequantur nisi in eo quod renati sunt et filii Dei facti, studio bonorum operum quibus et patri obediant et hereditatem promereantur, perseverent. Quamvis enim esse possit ea filiatio in homine qui opera nondum habeat; retineri tamen et conservari sine illis non potest. Quod et PAULUS significat in eo quod hic statim subjicit: *Si tamen compatimur ut et conglorificemur.*

si tamen compatimur ut et conglorificemur). Conditionem addit sub qua licebit nobis adire hereditatem, et heredes esse unà cum CHRISTO. Conditio autem hæc in eo posita est, ut *cum* CHRISTO *patiamur* (συμπασχειν), quo fiet ut et *cum ipso glorificemur* (συνδοξεσθαι). *Pati autem cum* CHRISTO Apostolus intellegit æquo et constanti animo perferre tribulationes et afflictiones, quæ CHRISTI causâ nobis illatæ fuerint. Confer 2 Tim. II. 8—13. 2 Thess. I. 4—6. Locus paralllius est hic PETRI (1 Petri IV. 12—14) : *Charissimi, nolite peregrinari in fervore* (μη ξενιζεσθε τη πυρωσει [2]) , *qui ad*

---

(1) Hebr. II. ℣. 11: *Qui enim sanctificat, et qui sanctificantur, ex uno omnes. Propter quam causam non confunditur fratres eos vocare.* Joh. XX. 17. *Dicit ei Jesus: vade ad fratres meos, et dic eis: adscendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum.*

(2) Græcum ξενιζεσθαι τινι valet *turbari aliqua re tamquam inopinata*. Cf. nostratium: *het bevreemd my*, *dat*. Πυρωσις (Vulg. *fervor*) ibi intelligitur *incendium persecutionis*. Confer Latinorum *incendium belli civilis*.

tentationem vobis fit, quasi novi aliquid vobis contingat, sed communicantes CHRISTI *passionibus gaudete, ut in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exsultantes; si exprobramini in nomine* CHRISTI, *beati eritis.* Præpositio *συν* in Composito *συμπασχομεν* (scil. *Χριστῳ*) heic *communionem* aut *societatem* notat, quod et de altero Composito *συνδοξασθωμεν* dicendum est.

℣. 18—22. Existimo enim quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. 19 Nam expectatio creaturæ, revelationem filiorum Dei expectat. 20 Vanitati enim creatura subjecta est non volens, sed propter eum, qui subjecit eam in spe: 21 quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. 22 Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit, et parturit usque adhuc.

℣. 18—22. *Λογίζομαι γὰρ, ὅτι οὐκ ἄξια τὰ παθήματα τοῦ νῦν καιροῦ πρὸς τὴν μέλλουσαν δόξαν ἀποκαλυφθῆναι εἰς ἡμᾶς.* 19 *Ἡ γὰρ ἀποκαραδοκία τῆς κτίσεως τὴν ἀποκάλυψιν τῶν υἱῶν τοῦ Θεοῦ ἀπεκδέχεται.* 20 *Τῇ γὰρ ματαιότητι ἡ κτίσις ὑπετάγη, οὐχ ἑκοῦσα* a), *ἀλλὰ διὰ τὸν ὑποτάξαντα, ἐπ᾽ ἐλπίδι* 21 *ὅτι καὶ αὐτὴ ἡ κτίσις ἐλευθερωθήσεται ἀπὸ δουλείας τῆς φθορᾶς εἰς τὴν ἐλευθερίαν τῆς δόξης τῶν τέκνων τοῦ Θεοῦ.* 22 *Οἴδαμεν γὰρ ὅτι πᾶσα ἡ κτίσις συστενάζει καὶ συνωδίνει ἄχρι τοῦ νῦν.*

Paraphrasis. Nec grave hoc nobis videatur. Sic enim existimo: ea, quæ in præsenti sæculo patimur mala, nullius esse ponderis si comparantur cum pondere gloriæ in futuro sæculo in nos conferendæ. Quæ quam certò conferenda sit vel ex eo patet, quod illam filiorum Dei glorificationem irrationalis creatura constanter exspectat. Fragilitati enim hæc se subjecit non sua sponte, sed ut Dei eam subjicientis obsequeretur voluntati, hanc interim divinitùs spem habens, fore scilicet, ut ipsa quoque liberetur a servitute corruptionis ab eaque servitute transeat ad libertatem gloriosæ incorruptionis filiorum Dei. Et verò novimus omnes, irrationalem creaturam universam inde a lapsu proto-parentis ad præsens usque tempus continuò ingemiscere ac veluti parturire ut liberetur ab istius oneris servitute.

VARIANS LECTIO.

a) Pro *οὐχ ἑκουσα* legitur *ου θελουσα* in Codd. FG.

℣. 18. *Existimo enim quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam*). Ad *unà patiendum* (συμπασχειν ℣. 17) suadet ducto argumento a certitudine futuri præmii. Post lectum versum decimum septimum mente supplendum est: *nec grave nobis hoc* (scil. συμπασχειν Χριστῳ ℣. 17) *videri debet*. Hinc verò pendet nexus orationis: *existimo* ENIM (Belgicè: *ik meen ja toch dat* etc.). Vox λογιζομαι sumenda hic est non de opinione incerta sed de certa scientia, ut suprà Cap. III. 28. Nam alibi (2 Cor. IV. 17) θεοπνευστος Apostolus edixit: *Id, quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis*. Sensus est: Quæ in præsenti sæculo patimur mala, ea *nullius ponderis* (ουκ αξια) sunt si comparantur cum pondere gloriæ in futuro sæculo *in nos* (εις ἡμας) *conferendæ* (μελλουσαν αποκαλυφθηναι).

Vox αγειν, ubi de lancibus dicitur, valet Gallicum *peser*, ut si dicas τοσουτον αγειν *peser autant*. Hinc derivata vox αξιον primùm significat *pesant*, adeòque ουκ αξιον est *non* (rien) *pesant*; atque hoc sensu dictio ουκ αξια in præsenti loco sumenda est. Præpositio προς autem ibi dicitur de instituta unius rei cum altera comparatione per earumdum *collationem*. Comparationi simili modo nonnumquam inservit Latinorum Præpositio *ad*, veluti in hoc CORN. NEPOTIS (Epam. Cap. 2): *hæc* AD *nostram consuetudinem sunt levia*. Participium μελλουσαν pertinet ad αποκαλυφθηναι, ut Gal. III. 23. Pro eo scribi poterat, aut προς την μελλουσαν αποκαλυφθηναι εις ἡμας δοξαν (Cf. 1 Petr. V. 1), aut προς την δοξαν την μελλουσαν αποκαλυφθηναι εις ἡμας. De Infinitivo Aoristi juncto verbo μελλειν videsis WINERUM §. 45. 8. pag. 388. Αποκαλυπτεσθαι hic dicitur de ea *manifestatione*, qua id ipsum, quod adhuc absconditum erat, jam *reapse* fit aut confertur. Legantur quæ notavimus suprà ad Cap. I. ℣. 17. pag. 24. Quia Verbo αποκαλυπτεσθαι tribuerat notionem *conferendi*, ideò adjecit non ἡμιν sed εις ἡμας.

℣. 19. *Nam exspectatio creaturæ revelationem filiorum Dei exspectat*). Obiter hic probat (γαρ) Apostolus quam *certò futurum* sit [1]), ut incomparabilis illa gloria (℣. 18) in Dei filios conferatur. Argumentum autem ad probandum ex eo ducit *quòd in confesso sit* (Cf. ℣. 22) *futuram illam filiorum Dei glorificationem exspectari a creatura universa* (πασα ἡ κτισις), *quippe quæ tunc unà liberanda sit a servitute corruptionis*. Πασα ἡ κτισις, *universa creatura*, de qua hic (℣. 19 et 22) sermo est, quum distinguatur (℣. 23) a creatura *humana*, nec intelligi possit *Angelica*, ut de

(1) S. CHRYS. Hom. XIV. in Ep. ad Rom. Ου παραμυθειται δε μονον, αλλα και αξιοπιστα δεικνυσι τα λεγομενα. Ει γαρ ἡ κτισις ελπιζει δια σε παντα γενομενη, πολλῳ μαλλον συ, δι' ὁν ἡ κτισις απολαυειν μελλει των αγαθων εκεινων. h. e. *Nec te consolatur solum, sed et dicta fide digna ostendit. Si enim creatura, propter te omnino facta, sperat, multo magis tu; propter quem creatura, bonis illis omnibus fruetur.*

qua dici nequeat quod *sit subjecta vanitati* (℣. 20) aut *liberanda a servitute corruptionis* (℣. 21), relinquitur ut intelligatur *creatura rationis expers* [1]. Atque ita sentiunt antiqui Scriptores non pauci [2]; quorum tamen nonnulli ita locuti sunt ut ambigas utrum heic intellexerint *universam* creaturam irrationalem, an vero orbes cœlestes et terrarum orbem tantum. Ex recentioribus autem interpretibus *Card.* Toletus vocem *κτισις* refert ad *sola corpora elementaria et cœlestia;* Justinianus verò ad *res omnes corporeas*. Atque ita Estius [3] quoque, Cornelius a lapide [4], Klee [5], Adalb. Maier [6], alii, vocem *κτισις* referunt ad creaturam rationis expertem universam. Recte, ut ego arbitror; nam quum Paulus dicat (℣. 22) *πασα ἡ κτισις*, *universa creatura*, nec in contexta oratione quidquam legatur quod præcipiat illius dictionis sensum aliter quam supra diximus coarctare, quid-ni Apostolicum effatum universaliter accipiamus?

---

(1) Hoc sensu vox κτισις legitur Rom. I. 25. Sap. II. 6. V. 18. XVI. 24. Pro κτισις est κτισμα 1 Tim. IV. 4, quæ purioris Græcitatis vox est.

(2) S. Irenæus (Lib. V contra Hær. Cap. XXX. 11): « *Oportet ergo et ipsam conditionem reintegratam ad pristinum, sine prohibitione servire justis; et hoc Apostolus fecit manifestum in ea quæ est ad Romanos sic dicens: Nam exspectatio creaturæ revelationem filiorum Dei exspectat; vanitati enim creatura subjecta est non volens, sed propter eum qui subjecit eam in spe, quoniam et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* » Græca quidem Irenæi verba hoc loco non amplius supersunt; sed tamen dubitari nequit quin pro eo quod in Latina versione sonat *oportet ergo et ipsam conditionem*, Græce scriptum fuerit δει ουν και αυτην την κτισιν, ut conficitur ex argumento quod ad confirmationem suæ sententiæ ducit ex subjecto ibi loco Paulino. — S. Chrys. (Hom. XIV in Ep. ad Rom.): Προσωποποιει τον κοσμον ἁπαντα τουτον. h. e. *Universum hunc mundum ut personam inducit*. Cf. etiam Theodoretum (ad h. l.). Hic tamen etiam *Angelos* nomine κτισεως comprehendit. Sed, ut diximus, angelica creatura excludenda est ob contextam orationem ℣. 20. Addantur S. Hilarius (*de Trinitate Lib.* XII. 5); S. Ambrosius (*Hexæmeron* Lib. 1. Cap. VI); Theophylactus (ad h. l.) et Oecumenius (ad h. l.). Petavius (*de opificio sex dierum* Lib. I. Cap. XII. n° XI) recitatis verbis Apostoli istis, *nam exspectatio creaturæ*, cet., *Ibi*, inquit, *creaturæ nomine totam hanc rerum universitatem significari plerique Veterum existimant*, ut Origenes, Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, Procopius (in Genesim), Gregorius Nazianzenus (Lib. I. Contr. Jul.).

(3) *Sensus*, inquit, *est: Tota hæc creatura quæ hominum usibus subservit, attentissime tempus illud exspectat, quo gloria filiorum Dei manifestabitur, id est, quo filii Dei gloriosi apparebunt.*

(4) « *Omnes creaturæ*, inquit, *etiam insensibiles, avidissime exspectant tempus, quo filii Dei gloriâ donabuntur, ut cum eis, quibus servierunt quasi dominis, ipsæ quoque suam gloriam, renovationem ac perfectionem, tamquam famuli accipiant.* Creatura *hic sunt cœli, elementa, omniaque creata.* »

(5) « Diese, den vorliegenden Vers von der nicht intelligenten Schöpfung verstehende Auslegung erscheint daraus als die richtige, dasz nach ihr die Deutung des Ganzen so schön und naturlich flieszt; weszhalb sie auch von den Meisten als die richtige angenommen ist. » Klee *Commentar uber des Apostel* Paulus *Sendschreiben an die Römer* (ad h. l.).

(6) « Unter κτισις ist die Natur in Gegensatze gegen die Menschheit zu verstehen; der Begriff der Natur ist aber in der allgemeinsten Ausdehnung zu nehmen, und nicht auf die leblose Schöpfung zu beschränken. »

Vox *αποκαραδοκια* (ex *απο* et *καρα* — *δοκειν* [1]) *exspectationem* notat, et hoc certe loco non qualemcumque sed intensam atque constantem [2]) ; conficitur hoc ex eo quod de illa creaturæ *exspectatione* statim (℣. 22) dicitur.

Αποκαλυψις των υίων του Θεου, ut ex ℣. 18 colligitur, concisè dictum est pro *αποκαλυψις της δοξης των υίων του Θεου*, hoc est, *futura glorificatio filiorum Dei*, nam vox *αποκαλυψις* eodem sensu hic sumenda est, quo supra (℣. 18) vox *αποκαλυφθηναι*.

Ceterum, Pauli oratio heic (℣. 19—23) tota prosopopœica est [3]) ; et in præsenti quidem versiculo non tantum *ή κτισις* sed et ipsa quoque illa *της κτισεως αποκαραδοκια* tamquam persona sistitur.

℣. 20—21. *Vanitati enim creatura subjecta est*, cet.). Affert rationem (*γαρ*) Apostolus cur irrationalis creatura illam filiorum Dei *αποκαλυψιν* tantopere exspectet. Et ratio est, quia *servituti corruptionis subjecta ad tempus*, *ab hac servitute liberanda sit tum cum fiet illa filiorum Dei αποκαλυψις*.

Ἡ ματαιοτης (*vanitas*), quæ hic per Prosopopœiam tamquam Dominatrix quædam exhibetur, intelligitur *ή φθορα corruptio* (Cf. ℣. 21) [4]), a cujus servitute *ή κτισις* aliquando liberanda sit. Igitur *vanitati* sive *corruptioni ή κτισις se subjecit* (*ὑπεταγη*) ; dico *se subjecit*, non dico *subjecta fuit* ; nam Aoristo Pass. *ὑπεταγη* danda hic est notio reflexiva [5]) quum per illud *ὑπεταγη actus* aliquis tribuatur *τῃ κτισει*, ut patet ex eo quod dicitur *ή κτισις* id quod fecit fecisse *ουχ ἑκουσα*, *non sua sponte*, sed *ut Dei obsequeretur voluntati* (*δια τον ὑποταξαντα*). Corruptioni autem sub-

---

(1) Si vocis etymon attendas, *αποκαραδοκειν τι* est veluti *exporrecto capite spectare* ; hinc notio *sollicitè exspectandi*.

(2) S. Chrys. Hom. XIV in Ep. ad Rom. *Αποκαραδοκια ή σφοδρα προσδοκια εστι.* « Vox *αποκαραδοκια vehementem exspectationem significat*.

(3) S. Chrys. (Hom. XIV. in Ep. ad Rom.) : *Προσωποποιει τον κοσμον άπαντα· άπερ καὶ οἱ προφηται ποιουσιν, ποταμους κροτουντας χερσιν εισαγοντες, και βουνους άλλομενους, και τα ορη σκιρτῶντα.* h. e. *Totum hunc mundum personam esse fingit ; quod et Prophetæ faciunt, dum fluvios manibus plaudentes inducunt, et colles salientes, et montes exsultantes.* Et ibidem post pauca (ad ℣. 22) *Προσωποποιει*, inquit, *την κτισιν ενταυθα, και φησι στεναζειν αυτην και ωδινειν· ουχ επειδη στεναγμου τινος ηκουσεν απο γης και ουρανου φερομενου, κτλ.* h. e. *Creaturam ibi personam esse fingit, aitque illam ingemiscere et parturire ; non quod gemitum quempiam audierit a terra et cælo emissum*, etc.

(4) S. Chrys. Hom. XIV in ep. ad Rom. *Τι εστι, Τῃ ματαιοτητι ή κτισις ὑπεταγη ; Φθαρτη γεγονε. Τινος ἑνεκεν ;.... δια σε τον ανθρωπον.* h. e. *Quid est illud* vanitati creatura subjecta est ? *Corruptioni subjecta est. Quare ? Propter te hominem.* Theodoretus (ad h. l.) : *Ματαιοτητα καλει την φθοραν.* h. e. *Vanitatem appellat corruptionem.*

(5) Sicut infra Cap. X. 3. Confer etiam Aoristos *κολληθεντες* Act. XVII. 34, *χωρισθεις* Ibid. XVIII. 1. *άγνισθητι* et *άγνισθεις* Act. XXI. 24. 26.

jecit se *ουχ ἑκουσα invita*, *non sua sponte*; nam, ut notat S. THOMAS (ad h. l.), corruptio et senium et alii hujusmodi defectus qui consequuntur sensibilis creaturæ *vanitatem* sive mutabilitatem, *sunt contra naturam particularem hujus vel illius rei, cujus appetitus est ad conservationem*, *licet sint secundum naturam universalem*. Itaque *non sponte sua ἡ κτισις* se subjecit corruptioni, sed *δια τον ὑποταξαντα*, *propter eum qui illam corruptioni subjecit*, hoc est, propter voluntatem Dei, qui eam ob peccatum Proto-parentis et lapsam in illo humanam naturam corruptioni voluit esse subjectam, non in perpetuum tamen sed ad tempus, ut statim dicitur: *in spe* etc.

in spe). Græcè *ἐπ' ἐλπίδι*, quod valet Nostratium BY vel rectius OP *hoop*. Verba ista, *ὁτι και αυτη κτλ.*, illius *ελπιδος* exprimunt *objectum*. Itaque Particula *ὁτι* ibi reddenda erat non *quia* sed *quod*, nec ulla interpunctio admittenda inter *ελπιδι* et *ὁτι* (1). Ceterum, *επ' ελπιδι* jungendum est non cum *ὑποταξαντα*, sed cum *ὑπεταγη*. Sensus ergo est: *Nam* fragilitati (*τῃ ματαιοτητι*) *creatura irrationalis se subjecit* (*non sua sponte*, *sed ut obsequeretur subjicienti*), *eam divinitùs spem habens*, *fore ut*, etc.

et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei). His verbis, ut diximus ad ✝. 20, exprimitur quænam sit illa spes facta creaturæ (✝. 20). Est autem hæc, scilicet *fore ut ipsa quoque* (*και αυτη*), *liberetur a servitute Corruptionis ab eâque servitute transeat ad* (*εις*) *libertatem gloriosæ incorruptionis filiorum Dei*. Quod dicit Apostolus *και αυτη ἡ κτισις* eam vim habet ac si dixisset: *non solum filii Dei*, *sed ipsa quoque creatura irrationalis*. *Ελευθερωθησεται απο....εις* prægnanter dictum est pro *ελευθερωθησεται απο....και κατασταθησεται εις*, cet. Opponuntur sibi *ελευθερια της δοξης*, et *δουλεια της φθορας*, adeòque *ελευθερια* ibi intelligitur *libertas* a corruptione, quæ libertas competat *gloriosæ conditioni* filiorum Dei; itaque *της δοξης* Genitivus *subjecti* est.

---

(1) Ita jam S. CHRYSOSTOMUS Particulam *ὅτι* hòc loco intellexerat (Hom. XIV in Ep. ad Rom.): *Ειπε δη, και ποια ελπιδι; ὁτι και αὑτη ἡ κτισις ελευθερωθησεται.* h. e. *Dicito, qua spe? fore ut ipsa quoque ἡ κτισις liberetur.*

Nec aliter THEODORETUS ad h. l.): *Τουτου δε γε δια της αναστασεως την αθανασιαν λαμβανοντος, κἀκεινα ὡσαυτως μεταλαγχανει της αφθαρσιας. Λεγει τοινυν, ὁτι ταυτην αναμενει των πραγματων την μεταβολην ἡ ὁρωμενη κτισις. Τρεπτη γαρ εγενετο, ουχ ἑκουσα μεν, του δε δημιουργησαντος ασπασαμενη τον ὁρον. Την δε περι ἡμας ὁρωσα κηδεμονιαν, εχει της μεταβολης την ελπιδα, ὁτι και αυτη ἡ κτισις ελευθερωθησεται απο της δουλειας της φθορας.* h. e. « Ipso autem (*homine*) per resurrectionem immortalitatem accipiente, illa quoque similiter incorruptionem participat. Dicit ergo quod eam rerum mutationem exspectat creatura visibilis. Mutabilis enim facta est non sua sponte, sed creatoris parens decreto. Videns autem eam nostri curam gerere, habet spem mutationis, fore ut ipsa quoque liberetur a servitute corruptionis.»

℣. 22. *Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit et parturit usque adhuc*). Probat hic (γαρ) Apostolus id quod modo (℣. 21) dixerat de creatura *a servitute corruptionis liberandâ*. Probat autem ex eo quod in confesso sit (οιδαμεν, ut Cap. VII. 14), *creaturam universam* (πασα ἡ κτισις) inde a lapsu proto-parentis *ad præsens usque tempus* (αχρι του νυν) ingemiscere et parturire, puta, ut liberetur ab onere istius servitutis [1].

Præpositio συν in Compositis συστεναζει et συνωδινει hoc loco non eam vim habet ut significetur, creaturam universam *unà nobiscum*, *filiis Dei*, *gemere et parturire;* huic enim interpretationi obstat insequens (℣. 3) Antithesis: *non solum autem illa*, *sed et nos ipsi.* Itaque συν hic refertur ad *creaturarum collectionem* quæ exprimitur per voces πασα ἡ κτισις, ut sensus sit: *creaturæ unà inter se omnes ob communem dolorem ingemiscunt*, cet.

Sed ad distinctiorem intelligentiam eorum quæ hac parte Epistolæ (℣. 19—23) de *creatura gemebunda* ab Apostolo dicuntur, notandum hic est, sanctos Patres magno consensu docere, cum in Adamo lapsa esset natura humana ideoque dejecta ab eo statu in quo fuerat constituta, tunc et reliquam aspectabilis hujus mundi creaturam in deteriorem statum fuisse conversam, ita tamen ut aliquando in pristinum statum esset restituenda, quod quidem futurum sit tum cum fiet illa filiorum Dei *glorificatio* [2].

---

(1) Grotius (ad h. l.): « Translatio, *inquit*, sumpta est a femina, quæ cum magno dolore ac gemitu parturit, exspectans ut onere liberetur; Στεναζειν (*ingemiscere*) est etiam parturientium. »

(2) S. Augustinus (*De civitate Dei* Lib. XX. Cap. XV): « Judicatis, *inquit*, his qui scripti non sunt in libro vitæ et in æternum ignem missis (qui ignis cujusmodi, et qua mundi vel rerum parte futurus sit, hominum scire arbitror neminem, nisi forte cui Spiritus divinus ostendit), tunc figura hujus mundi mundanorum ignium conflagratione præteribit, sicut factum est mundanarum aquarum inundatione diluvium. Illa itaque, ut dixi, conflagratione mundanâ elementorum corruptibilium qualitates, quæ corporibus nostris corruptibilibus congruebant, ardendo penitus interibunt; atque ipsa substantia eas qualitates habebit, quæ corporibus immortalibus mirabili mutatione conveniant; ut scilicet mundus in melius innovatus, apte accommodetur hominibus etiam carne in melius innovatis. »

S. Hieronymus (Commentar. in Isaiam Lib. XIV. ad Isaiæ Cap. ℣. 6), recitatis verbis Psalmi CI. istis, *sicut pallium involves cœlos et mutabuntur*, sic dicere pergit: « Hinc, *inquit*, ostenditur, perditionem cœlorum non interitum sonare sed mutationem in melius. De quibus dicitur (Apoc. XXI): *Erit cœlum novum et terra nova; quæ ego faciam permanere in conspectu meo*....Unde et omnis creatura congemiscit et parturit (Rom. VIII), exspectans revelationem filiorum Dei, ut mutetur in melius... Quum autem cœlum veterascat et terra, consequenter et ea quæ cœli circulo continentur, et homines, qui sunt habitatores terræ, sicut hæc morientur; non in interitum sui, sed in absolutionem vilitatis antiquæ et innovationem futuræ gloriæ, quando *fulgebunt justi sicut sol*, et abeuntibus præteritis atque antiquis, facta fuerint omnia nova. »

S. Chrys. (Hom. XIV in Ep. ad Rom.): Φθαρτη γεγονε (scil. ἡ κτισις). Τινος ἑνεκεν και δια τι; Δια σε τον ανθρωπον.... Κακῶς επαθε δια σε και φθαρτη γεγονεν, ... και αφθαρτος εσται δια σε παλιν· τουτο γαρ εστι το· 'Επ' ελπιδι.... Ειπε δη και ποια ελπιδι; ὁτι και αυτη ἡ κτισις ελευθερω-

Sacrarum Scripturarum oracula quæ huc pertinent præcipua hæc sunt : α) Genes. III. 17 : *Maledicta terra in opere tuo*, ubi primigenius textus habet בַּעֲבוּרֶךָ, hoc est, *propter te*. β) Psalm. CI. 28 : *Sicut opertorium mutabis eos* (scil. *cœlos*), *et mutabuntur*. Cf. S. Hieron. in Isaiam ad Cap. LXV. 17. S. Chrys. Hom. XIV in Ep. ad Rom. γ) 2 Petr. III. 13. *Novos cœlos et novam terram secundum promissa ipsius exspectamus*. Cf. S. Hieron. in Isaiam ad Cap. *LXX*. 17. δ) Apoc. Cap. XXI. 1. *Et vidi cœlum novum et terram novam*. Cf. S. Aug. De Civitate Dei Lib. XX. Cap. 14.

θησεται. Τι εστι· και αυτη; Ουχι συ μονος αλλα και ὁ σου εστι καταδεέστερον, και ὁ ου μετεχει λογισμου ουδε αισθησεως, και τουτο σοι κοινωνησει των αγαθων. Ελευθερωθησεται γαρ, φησιν, απο της δουλειας της φθορας· τουτεστιν, ουκετι εσται φθαρτη, αλλα ακολουθησει τῃ του σωματος ευμορφιᾳ του σου. Ὡσπερ γαρ σου γενομενου φθαρτου, γεγονε φθαρτη και αὑτη· οὑτως αφθαρτου καταστα ντος, και αυτη ακολουθησει και ἑψεται παλιν· ὁπερ ουν και δεικνυς επηγαγεν· εις την ελευθεριαν της δοξης των τεκνων του Θεου... Συ δια σεαυτον πασχεις, ἡ κτισις δια σε. h. e. « *Corruptioni subjecta est* (creatura). *Quare? Propter te hominem.... Male affecta est propter te et corruptibilis facta est,... et propter te incorruptibilis rursum futura est; hoc enim sibi vult illud* in spe (ỷ. 20)...*Dicito qua spe? fore ut* et ipsa creatura liberetur. *Quid est illud* et ipsa? *Non tu solum, sed et quod te inferius est, et quod nec cogitationem nec sensum habet, hoc etiam bonorum tecum consortium habebit*. Liberabitur *enim, inquit*, a servitute corruptionis ; *id est, non ultra corruptibilis erit sed corporis tui pulchritudinem sequetur. Sicut enim te corruptibili effecto, ipsa quoque corruptibilis facta est ; sic cum incorruptibilis factus es, ipsa quoque incorruptibilis fiet. Quod ut ostendet, subjungit* : in libertatem gloriæ filiorum Dei.... *Tu propter te ipsum pateris, creatura propter te.*»

Eusebius Cæsariensis (Commentar. in Psalmos) ad Psalmi CI verba ista : *velut amictum volves eos* (scil. *cœlos*), hæc notat : Και οἱ ουρανοι δε ει και μεγα και εξαιρετον τι τυγχανουσι κτισμα, αλλ' ὁμως και αυτοι ὑποβληθησονται φθορᾳ· ἡ δε φθορα αὑτη γενησεται αυτοις εις ανακαινισμον....Αλλαγησονται και τροπην αγαθην ὑπομενουσι, την απο της παλαιοτητος επι την ανακαινισιν και την αφθαρσιαν. h. e. *Cœli quoque etiamsi magnum præstantissimumque sint opificium, attamen ipsi quoque corruptioni subjicientur. Hæc autem corruptio ipsis in renovationem cessura est.... Mutabuntur atque conversionem optimam subibunt, a vetustate nempe ad renovationem et incorruptionem translati.*

S. Cyrillus Hierosolymitanus (Catech. XV. *de secundo* Christi *adventu*). Ἑιλισσει, inquit, τους ουρανους ὁ Κυριος, ουχ ἱνα απολεσῃ τουτους, αλλ' ἱνα αυτους καλλιονας εγειρῃ. h. e. *Convolvet cœlos Dominus, non ut iis inferat interitum sed ut rursùs excitet pulchriores.*

Theodoretus (in Ep. ad Gal. ad Cap. VI. 15) « Τοτε (scil. *post* resurrectionem mortuorum) και ἡ κτισις της επικειμενης ελευθερουται φθορας, και των ανθρωπων ἡ φυσις την αθανασιαν ενδυεται. h. e. *Tunc et creatura* (rationis expers) *liberatur ab imminenti corruptione, et humana natura immortalitatem induit.*

Gennadius (De dogmatibus ecclesiasticis Cap. LXX) : *Elementa*, inquit, *id est, cœlum et terram non credamus abolenda per ignem, sed in melius commutanda; figuram quoque mundi, id est, imaginem, non substantiam transituram.*

Oecumenius (Commentar. in Ep. ad Rom.) ad verba ỷ. 19 hæc notat : Ὁ δε λεγει τοιουτον εστι· Και αυτη, φησιν, ἡ κτισις σφοδρα προσδοκᾳ την μελλουσαν ἡμων δοξαν. Δια τι; αφθαρτος, φησι, πλασθεισα, δια τας των ανθρωπων ἁμαρτιας φθαρτη γεγονεν, επει και ἡμεις εξ αφθαρτων φθαρτοι γεγοναμεν. Βουλεται ουν ἡ κτισις, φησι, τους ανθρωπους την αφθαρσιαν απολαβειν (εσται δε τουτο εν τῃ αναστασει), ἱνα και αυτη την οικειαν αφθαρσιαν απολαβῃ. Του γαρ ανθρωπου, δι' ὁν γεγονε φθαρτη, την αφθαρσιαν απολαμβανοντος, και αυτη την οικειαν αφθαρσιαν συναποληψεται. h. e. « *Est autem quod dicit hujusmodi : Ipsa quoque creatura futuram nostram gloriam vehementer exspectat. Quare? Incorruptibilis, inquit, formata, propter peccata hominum*

SS. Patrum et veterum scriptorum doctrinæ concinit antiquioris Synagogæ traditio. Audiatur Rabbi Berachjah, cujus verba recitavit Raymundus Martini (in Pugione fidei Part. 3. Dist. 2. Cap. VIII.) אע״פ שנבראו הדברים על מלואתן כיון שחטא אדם הראשון נתקלקלו ועוד אינם חוזרים לתיקונן עד שיבוא פרץ h. e. *Quamquam res creatæ fuerint perfectæ, fuerunt: tamen corruptæ postquam primus homo peccasset, nec redibunt ad rectum statum suum donec veniat filius* Pharetz, *hoc est*, Messias. » In eamdem sententiam dixit Rabbi Bechai (apud Bertholdt in Christologia Judæorum §. 45) : בזמן ההוא ישתנה כל מעשה בראשית לטוב וישוב לשלמותו וזכותו כמו שהיה בזמנו של אדם הראשון קודם החטא h. e. *Tempore illo: mutabitur totum opus creationis in melius, et redibit in statum suum perfectum ac purum, ut erat tempore primi hominis, ante peccatum.*

℣. 23—25. Non solum autem illa, sed et nos ipsi primitias Spiritûs habentes: et ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis nostri. 24 Spe enim salvi facti sumus. Spes autem, quæ videtur, non est spes: nam quod videt quis, quid spe-

℣. 23—24. *Οὐ μόνον δὲ, ἀλλὰ καὶ αὐτοὶ* a) *τὴν ἀπαρχὴν τοῦ Πνεύματος ἔχοντες, καὶ ἡμεῖς* b) *αὐτοὶ ἐν ἑαυτοῖς στενάζομεν, υἱοθεσίαν* c) *ἀπεκδεχόμενοι, τὴν ἀπολύτρωσιν τοῦ σώματος ἡμῶν.* 24 *Τῇ γὰρ ἐλπίδι ἐσώθημεν. Ἐλπὶς δὲ βλεπομένη, οὐκ*

Paraphrasis. Non solum autem universa irrationalis creatura gemebundè exspectat, sed ipsi quoque nos regenerati, quamquam Spiritûs sancti prima dona jam habentes, ipsi quoque in cordis nostri penetralibus ingemiscimus, quippe qui ardenter exspectamus adoptionem nostram perfectam, id est, liberationem corporis nostri a servitute corruptionis. Hanc, inquam, *exspectamus.* Nam adhuc non jam ipsa *re* sed *spe* tantum perfectam illam salu-

---

facta est corruptibilis, postquam etiam nos ex incorruptibilibus facti sumus corruptibiles. Cupit itaque creatura homines suscipere incorruptibilitatem (quod in resurrectione erit), ut et ipsa suam accipiat incorruptibilitatem. Nam homine, propter quem facta est corruptibilis, incorruptibilitatem suscipiente, ipsa quoque unà suam accipiet incorruptibilitatem.»

S. Thomas (ad h. l.) : « *Sensibilis creatura dupliciter aliquid exspectat. Nam exspectatio creaturæ sensibilis, secundum quod est a Deo, ordinatur ad aliquem finem, quod quidem contingit dupliciter: uno modo secundum quod Deus imprimit aliquam formam et virtutem naturalem hujusmodi creaturæ, ex qua inclinatur ad aliquem finem naturalem, puta si dicamus quod arbor exspectat fructificationem, et ignis exspectat locum sursùm; alio modo creatura sensibilis ordinatur a Deo ad aliquem finem qui superexcedit formam naturalem ipsius. Sicut enim humanum corpus induetur quadam forma gloriæ supernaturali, ita tota creatura sensibilis in gloria illa filiorum Dei quamdam novitatem gloriæ consequetur, secundum illud Apocalypseos* (Cap. XXI) : Vidi cœlum novum et terram novam. *Et per hunc modum creatura sensibilis exspectat revelationem gloriæ filiorum Dei.* »

rat ? 25 Si autem quod non videmus, speramus : per patientiam expectamus.

ἔστιν ἐλπίς· ὃ γὰρ βλέπει τις, τί καὶ ἐλπίζει ; 25 Εἰ δὲ ὃ οὐ βλέπομεν, ἐλπίζομεν, δι' ὑπομονῆς ἀπεκδεχόμεθα.

tem obtinemus. Atqui spes non est rei præsentis sed futuræ ; nam quod quis jam obtinet, cur illud porrò speret ? Si autem verum est, ut est verissimum, nos, quam nondum tenemus rem, sperare tamen, profectò consequitur nos patienter eam exspectare.

VARIANS LECTIO.

a) Vocula ἡμεις a nonnullis Codicibus abest, in aliis alio atque alio ponitur loco ; unde magna heic est lectionis varietas, quæ tamen hujus versiculi sensum parum aut nihil afficit.

b) Post αυτοι legitur οἱ sed solùm in Codd. D et nonnullis Minusculis. Correctio Librarii sit.

c) Vox υἱοθεσιαν non legitur in Codd. DFG. Vocem Librarius omiserit ob ỷ. 15.

ỷ. 23. *Non solum autem illa, sed et nos ipsi*, cet.). Certitudinem futuræ glorificationis quam Apostolus modò (ỷ. 18—23) probaverat ex gemebundo illo desiderio quo irrationalis creatura glorificationem filiorum Dei exspectat, nunc (ỷ. 23) confirmat ex ipsorummet filiorum Dei sive regeneratorum desiderio, quo etiam ipsi cum gemitu exspectant corporis sui liberationem *a servitute corruptionis* (Cf. ỷ. 21). Dicit ergo : *Non solum autem universa irrationalis creatura gemebundè exspectat, sed ipsi quoque nos* (και ἡμεις αυτοι[1]) *regenerati, quamquam Spiritûs Sancti primitias habentes, ipsi quoque* (και αυτοι) *in cordis nostri penetralibus* (ἐν ἑαυτοις), *ingemiscimus, quippe qui ardenter exspectamus* (απεκδεχομενοι) *adoptionem nostram perfectam, liberationem, inquam, corporis nostri a servitute Corruptionis.*

Quod hic dixit Apostolus, *sed et ipsi nos primitias* (την απαρχην) *Spiritûs habentes*, utrum dictum ab eo sit in persona omnium regeneratorum, an vero Apostolorum tantùm, inter veteres disputatur. Et Græci quidem interpretes, Chrysostomus[2], Theodore-

---

(1) Sic legitur in Codd. DFG.

(2) Vide infra pag. 260 notam 2.

tus [1], Cyrillus [2], Oecumenius [3], Theophylactus [4], ita præsentem locum exponunt ut dubitare nequeas ipsos sensisse, Apostolum quæ hic dicit dixisse in persona omnium regeneratorum; nec aliter S. Augustinus [5] hoc loco Paulum intellexit. Sanctus Thomas [6] autem existimat verba ista, *ipsi nos primitias habentes*, per periphrasin indicare Apostolos, adeoque Paulum locutum ibi fuisse in persona Apostolorum tantum. In qua sententia fuêre etiam recentiores nonnulli interpretes, inter quos adnumerandi sunt Salmeron (ad h. l.) et Ben. Justinianus. Et hic quidem Apostoli verba hac interpretatione exponit: *Etiam nos Apostoli, quorum singularia munera divinitùs accepta jure miramini, hujus tamen mortalitatis molestissima servitute pene oppressi, unà cum ceteris rebus creatis ex animo dolemus et ingemiscimus.* Sed huic interpretationi plura obstant. Et primò quidem, vocabulum *primitiæ* (απαρχη) Justinianus et qui cum eo faciunt, eo sensu accipiunt ut significet *id quod in genere suo præstantissimum est.* Atqui vox απαρχη, quamquam in Scripturis Novi Testamenti sæpe obvia est, nuspiam tamen ibi hac significatione occurrit [7]. Ad hæc, quum et reliqui regenerati Spiritûs sancti gratiam accepissent et eorum plures certe peculiaribus ejusdem charismatibus essent donati, non tantopere ceteris fidelibus præstabant Apostoli, ut credibile sit Paulum ab hac qualicumque præstantia in præsenti re argumentari voluisse. Præterea, obstat huic interpretationi cum locus parallelus (2 Cor. IV. 17—V. 3) qui ad omnes regeneratos pertinet, tum etiam tota præsentis loci contexta oratio; nam et in antegressis et in iis quæ insequuntur ubique Apostolus loquitur in persona omnium regeneratorum. Itaque Græcorum interpretatio sequenda est, et verba ista, *sed et ipsi nos primitias Spiritûs habentes*, accipienda sunt tamquam dicta a Paulo in persona omnium regeneratorum.

Per formulam istam, ου μονον δε, αλλα και, oratio crescit; at hæc elliptica est; nam plena sit ita: ου μονον δε πασα ἡ κτισις συστεναζει, αλλα και,

---

(1) Ad h. l. Ἡμεις γαρ αυτοι, πολλα των μελλοντων ειληφοτες ενεχυρα, και προ των αλλων την του Πνευματος χαριν, στενομεν της απαλλαγης εφιεμενοι. h. e. *Nos ipsi quoque qui futurorum multa pignora accepimus, et ante omnia gratiam sancti Spiritûs, gemimus liberationem desiderantes.*

(2) Apud Justinianum (ad h. l.).

(3) In Commentario ad h. l.

(4) In Commentario ad h. l.

(5) In opere quod inscribitur, *Expositio quarumdam Propositionum ex Ep.* S. Pauli *ad Romanos.* 53. « Etiam nosmetipsi qui credimus, *inquit*, et Spiritûs primitias habemus, quia jam spiritu adhæremus Deo per fidem... tamen *et ipsi in nobismetipsis ingemiscimus, adoptionem exspectantes, redemptionem corporis nostri.* »

(6) In Commentario ad h. l.

(7) Attamen non negaverim vocabulum απαρχη posse *ex adjuncto* etiam significare *id quod in suo genere eximium est.* Nam et in septuaginta-virali versione vox απαρχη legitur hoc sensu adhibita, et Scholiastes ad Euripidis *Orest.* ℣. 96. dixit: Απαρχη ελεγετο ου μονον το πρωτον τη ταξει, αλλα και το πρωτον τη τιμη. h. e. Απαρχη *dicitur non solum illud quod ordine primum est, verum etiam illud quod pretio primum est.*

cet. Confer quæ notavimus supra ad Cap. V. ℣. 3.—Quum scriptum non sit cum Articulo, οἱ την απαρχην του Πνευματος εχοντες, sed, absque Articulo, την απαρχην τ. Π. εχοντες, ideò nec erat vertendum, ut quidam fecerunt, QUI *primitias Spiritûs habemus*. Resolvendum autem Participium εχοντες est in verbum Finitum per Conjunctionem *etsi*, quam contexta oratio hic postulat, ut et supra Cap. I. 32. Scilicet mens Apostoli est dicere : regeneratos etsi primordia donorum Spiritûs sancti (την απαρχην του Πνευματος) jam possident ideòque in læto præclaroque versantur statu atque ut tales videantur non habere, sicut creaturæ irrationales, cur ingemiscant, nihilominus tamen ingemiscere propterea quod secundum corpus adhuc subjaceant mutabilitati et corruptioni. —Vox απαρχη per Metaphoram ductam a primitiis frugum Deo sub vetere Testamento offerendis, hic dicitur de eo quod ordine primum est; quo sensu απαρχη quoque legitur infra Cap. XVI. 5 et 1 Cor. XV. 20 (coll. Coloss. I. 18). Genitivus του Πνευματος est Genitivus *partitivus*. Itaque ἡ απαρχη του Πνευματος est veluti prælibatio ac pars quædam Spiritûs sancti gratiæ [1], sive prior pars redemptionis, uno verbo, *justificationis gratia* [2]. « Comparantur, inquit ESTIUS (ad h. l.), primitiæ seu primordia Spiritûs hoc loco ad integrum plenumque proventum, id est, ad eam Spiritûs abundantiam, quam accepturi sumus in futuro sæculo. » Si *rem* spectes, non *vocem*, ἡ απαρχη του Πνευματος idem est quod (2 Cor. I. 22) ὁ ἀῤῥαβων του Πνευματος, *pignus Spiritûs*.

Απεκδεχομενοι υἱοθεσιαν quippe qui exspectamus adoptionem; sic enim Participium hoc resolvendum est in verbum *finitum*, quum *ratio* detur *cur* ingemiscamus. At

---

(1) S. IRENÆUS (contra Hær. Lib. V. Cap. VIII) : *Nunc autem partem aliquam a Spiritu ejus sumimus, ad perfectionem et præparationem incorruptelæ paulatim assuescentes capere et portare Deum; quod et pignus dixit Apostolus in epistola quæ ad Ephesios est, dicens : In quo et vos, audito verbo veritatis, Evangelio salutis vestræ, in quo credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ.... Si nunc pignus habentes clamamus Abba, Pater, quid fiet, quando resurgentes, facie ad faciem videbimus eum; quando omnia membra affluenter exsultationis hymnum protulerint, glorificantia eum qui suscitaverit ea ex mortuis, et æterna vita donaverit? Si enim pignus complectens hominem in semetipsum jam facit dicere Abba, Pater, quid faciet universa Spiritûs gratia, quæ hominibus dabitur a Deo.* » THEODORETUS (ad h. l.) : Δια της απαρχης εσημειωσεν ὡς ἐν τῳ μελλοντι αιωνι πολλαπλασιαν την του Πνευματος δεξομεθα χαριν. h. e. « Per *primitias* significavit quod in futuro sæculo multiplicatam Spiritûs gratiam recipiemus. « Atque ita quoque OECUMENIUS την απαρχην interpretatur αρχην τινα μικραν και γευσιν Πνευματος, *parvum aliquod principium gustumque Spiritûs.*

(2) In hanc sententiam jam CHRYSOSTOMUS (Hom. XIV in Ep. ad Rom.) την απαρχην του Πνευματος interpretatus est : Ει γαρ ἡ απαρχη τοσαυτη, inquit, ὡς δι' αυτης και ἁμαρτηματων απαλλαγηναι, και δικαιοσυνης επιτυχειν και ἁγιασμου, τους δε τοτε και δαιμονας ελαυνειν και νεκρους εγειρειν δια σκιας και ἱματιων· εννοησον το ὁλον ἡλικον. *h. e.* » Nam si primitiæ tantæ sunt, ut per illas a peccatis liberemur atque justitiam et sanctificationem consequamur, illi verò, qui tunc vivebant, etiam dæmones pellerent et mortuos suscitarent per umbram ac vestimenta, totum illud cogita quantum sit.

supra (ỷỷ. 15—16) Apostolus dixerat regeneratos *jam accepisse Spiritum adoptionis* (ελαβετε Πνευμα υἱοθεσιας), qui igitur nunc dicat eos *exspectare adoptionem*? Solvendæ huic difficultati suffecerit S. Thomæ ad hunc locum adnotatio : « *Adoptionem*, inquit, *filiorum Dei exspectantes*, id est, completionem hujus adoptionis. Inchoata enim est hujusmodi adoptio per Spiritum sanctum justificantem animam ; *accepistis Spiritum adoptionis filiorum* ; supra ỷ. 15 ; consummabitur autem per ipsius corporis glorificationem, unde supra Cap. V. *gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei* ; et hoc est quod subdit : *redemptionem corporis nostri*; ut scilicet, sicut spiritus noster redemptus est a peccato, ita corpus nostrum redimatur a corruptione et morte. » Præiverat S. Augustinus (in *Expositione quarumdam Propositionum ex Ep. ad Rom.* 53.) « Adoptio, *inquit*, quæ jam facta est in iis qui crediderunt, spiritu non corpore facta est. Nondum enim etiam corpus reformatum est in cœlestem illam immutationem, sicut spiritus jam mutatus est reconciliatione fidei, ab erroribus conversus ad Deum. Ergo etiam in iis qui crediderunt, exspectatur adhuc illa manifestatio, quæ in corporis resurrectione proveniet. » Igitur *adoptionem* hoc loco Apostolus intelligit *corporis liberationem a servitute corruptionis* (ỷ. 21), cui adhuc subjacet. — Την απολυτρωσιν (in *Accusativo* epexegetico) του σωματος ἡμων. Liberationem hanc απολυτρωσιν, *redemptionem*, vocat, quia *pretio* sanguinis Christi comparata est.

ỷ. 24. *Spe enim salvi facti sumus. Spes autem*, cet.). Declarat (γαρ) Apostolus id quod modò (ỷ. 23) dixerat : *adoptionem* exspectamus. Τη ελπιδι *secundum spem*, in Dativo *relationis*, ut suprà Cap. VI. 20. Emphasis est in dictione τη ελπιδι : *Nam*, inquit, *adhuc non jam* ipsa re *sed* spe *tantùm* (τη ελπιδι) *salvati sumus* (εσωθημεν). *Atqui* (δε) *spes quæ jam videtur* (i. e. jam obtinetur) *spes non est ; nam quod quis jam videt* (i. e. obtinet), *cur illud porrò* (και) *speret*?

Quod dicit Apostolus εσωθημεν, *salvati sumus*, salutem intelligit *consummatam* atque perfectam, quæ includit corporum nostrorum glorificationem. *Inchoatam* salutem, quæ præsentis sæculi est, intelligit cum scribit ad Ephesios Cap. II. 8 : *Gratia estis salvati per fidem*.—Aoristus εσωθημεν refertur ad tempus quo per Sacramentum Regenerationis consummatæ illius salutis spes facta ipsis fuerat. Pro τη ελπιδι Apostolus ex æquo scribere hic potuisset κατ' ελπιδα, ut in hoc epistolæ ad Titum (Cap. III. 7) : ἱνα δικαιωθεντες τη εκεινου χαριτι, κληρονομοι γενωμεθα κατ' ελπιδα ζωης αιωνιου. Quod autem dicit Apostolus *spes quæ videtur non est spes*, vocabulum *spes*, priore loco positum dicitur per Metonymiam de *re sperata*. Quare acutè dictum est : *Spes quæ videtur, non est spes*. Eodem tropo usus Apostolus scripsit ad Colossenses (Cap. I. 5) : *Propter spem quæ reposita est vobis in cælis, quam audistis in verbo veritatis Evangelii*.

℣. 25. *Si autem quod non videmus, speramus, per patientiam exspectamus*). Concludit superiorem (℣. 24) argumentationem. *Si autem verum est*, inquit, *ut est verissimum*, *nos*, *quam nondum tenemus rem* (scil. υἱοθεσίαν perfectam), *sperare tamen*, *profectò consequitur nos patienter* (δι' ὑπομονῆς) *eam exspectare*; id quod erat probandum. Ad recte concludendum ex præmissis suffecisset dicere, *consequitur nos eam exspectare*, nec opus erat addere δι' ὑπομονῆς, *patienter*. Hoc tamen conclusioni suæ inserere voluit Apostolus, ut sic unà Romanos suos adhortaretur ad faciendum id quod supra (℣. 17) dixerat conditionem esse, sub qua liceret speratâ illâ felicitate potiri; ibi autem dixerat: *Si tamen compatimur*.

℣. 26 — 27. Similiter autem et Spiritus adjuvat infirmitatem nostram: nam quid oremus, sicut oportet nescimus: sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. 27 Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret Spiritus: quia secundum Deum postulat pro sanctis.

℣. 26 — 27. Ὡσαύτως δὲ καὶ τὸ Πνεῦμα συναντιλαμβάνεται ταῖς ἀσθενείαις a) ἡμῶν· τὸ γὰρ τί προσευξώμεθα καθὸ δεῖ, οὐκ οἴδαμεν· ἀλλ' αὐτὸ τὸ Πνεῦμα ὑπερεντυγχάνει ὑπὲρ ἡμῶν b) στεναγμοῖς ἀλαλήτοις. 27 Ὁ δὲ ἐρευνῶν τὰς καρδίας, οἶδε τί τὸ φρόνημα τοῦ Πνεύματος, ὅτι κατὰ Θεὸν ἐντυγχάνει ὑπὲρ ἁγίων.

Paraphrasis. Sicut autem nostrum est patientiâ uti, ita vicissim Spiritus sanctus infirmitatem nostram adjuvat. Nam in ærumnis positi quid divinæ voluntati convenienter petere debeamus, nos nescimus; sed ipse Spiritus sanctus nostri vice Deum orat per tacita suspiria quibus ingemiscere nos facit. Scrutator autem cordium Deus desiderium illud, quo Spiritus sanctus gemere facit gementem, novit atque probat, quia nempe id quod Spiritus sanctus pro regeneratis a Deo petit tale est, ut conveniat divino beneplacito.

VARIANS LECTIO.

a) Pro ταις ασθενειαις legitur τῃ ασθενεια in Codd. ABCD, ut et in plurimis Minusculis. In Codd. FG est hic της δεησεως, et in Codd. JK ταις ασθενειας. Lectio τῃ ασθενεια, quam Vulgata quoque exhibet, reliquis duabus auctoritate et multitudine testium multùm præstat.

b) Voces ὑπερ ἡμων non leguntur in Codd. ABDFG. Forsitan glossema sunt ex ℣. 27.

℣. 26. *Similiter autem et Spiritus adjuvat infirmitatem nostram*). Dicendo δι' ὑπομονης απεκδεχομεθα, *patienter exspectamus*, Apostolus insinuaverat, interea dum sperata salus exspectatur opus esse patientiâ, quâ comprehendebat malorum illam et tribulationum tolerantiam, quam supra (℣. 17) suaserat dicendo: ειπερ συμπασχομεν, *si tamen compatimur*. Hinc verò petendus est præsentis orationis *nexus*; quem hunc esse putem ut mens Apostoli sit dicere: *Sicut nostrûm est patientiâ uti*, *ita* (ὡσαυτως) *vicissim* (και) *Spiritus sanctus infirmitatem nostram adjuvat*. Hic autem, ut patet ex insequentibus, eam potissimum cogitat *infirmitatem*, quæ sita sit in eo quod a nobis nesciatur quid in tribulatione positi petere secundum Dei voluntatem debeamus. — Συναντιλαμβανεσθαι ut Luc. X. 40.

nam quid oremus sicut oportet, nescimus, sed ipse Spiritus, cet.). Explicat (γαρ) Apostolus quanam ratione Spiritus sanctus infirmitatem nostram adjuvet: *Nam*, inquit, *in tribulatione positi quid divinæ voluntati convenienter* (καθὸ δεῖ=κατα Θεον ℣. 27) *petere debeamus*, *nos nescimus; sed ipse Spiritus sanctus Deum nostri vice orat* (ὑπερεντυγχανει) *per tacita suspiria* (στεναγμοις αλαλητοις), *quibus ingemiscere nos facit*; *Scrutator autem cordium Deus desiderium illud quo Spiritus sanctus gemere facit gementem* (το φρονημα του Πνευματος) *novit atque probat* (οιδε), *quia nempe* (ὁτι) *id quod Spiritus sanctus pro regeneratis a Deo petit tale est*, *ut conveniat divino beneplacito.*

Per Articulum το ponuntur verba ista, τι προσευξωμεθα καθο δει, veluti in Accusativo, qui regitur ab ουκ οιδαμεν. Articulus non raró in scriptis Lucæ et Pauli hoc modo integræ cuipiam sententiæ præpositus occurrit, veluti in hoc Lucæ (Cap. IX. 46): εισηλθε διαλογισμος εν αυτοις, το τις αν ειη μειζων αυτων. — Quum Apostolus ibi non scripserit τι και καθο δει, sed, absque illa copula, τι καθο δει, hæc verba non significant *quid* ET *quomodo*, ut multi interpretantur. Καθο δει notione non differt a κατα Θεον, ut patet ex oratione contexta (℣. 27); κατα Θεον autem illud esse intelligitur quod sit *secundum* sensum sive beneplacitum Dei [2],

---

(1) Exemplo sit Paulus ipse. S. Chrysostomus (Hom. XIV in Ep. ad Rom.): Αδιαλειπτως επι των προσευχων αυτου την Ῥωμην ἰδειν εδεῖτο, και ουχ ὁτε εδεῖτο, τότε επετυχε· και ὑπερ του σκολοπος του δεδομενου αυτῳ εν τῃ σαρκι, τουτεστι, ὑπερ των κινδυνων παρεκαλεσε, και ὁλοσχερως απετυχε. h. e. *Indesinenter* (Paulus) *in precibus suis Romam videre orabat, nec tum tamen cum hoc precaretur, illud impetravit; et pro stimulo sibi in carne dato sæpe rogavit, nec impetravit.*

(2) Jam Syrus interpres κατα Θεον sic interpretatus est; nam verba ista (℣. 27), ὁτι κατα Θεον εντυγχανει ὑπερ ἁγίων reddidit: ܕܐܝܟ ܕܨܒܝܢܗ ܗܘ ܕܐܠܗܐ ܡܬܟܫܦ ܚܠܦ ܩܕܝܫܐ h. e. *Quia sicut voluntas Dei est precatur pro sanctis.*

ut 2 Cor. VII. 9 — 11. Itaque *a Deo postulare* τι καθο δει, quid aliud sit quam *hoc* petere a Deo *quod conveniat* divino ejus beneplacito? Εντυγχανειν τινι *incidere in aliquem*, *adire aliquem*, in usu loquendi etiam valebat *supplicandi causâ quempiam adire*; hinc et εντευξεις *supplicationes* sunt 1 Tim. II. 1. Est autem ὑπερεντυγχανειν τινι ὑπερ τινος, vel, quod purioris Græcitatis sit, ὑπερ-εντυγχανειν τινι τινος, *alterius vice aliquem supplicare*, quemadmodum ὑπεραποθανειν τινος est *alterius vice mori*. Sed Paulus neque ἡμων neque ὑπερ ἡμων scripsisse videtur; et certè post ὑπερεντυγχανει non scripsit τῳ Θεῳ, sed hoc ob contextam orationem abesse poterat. Itaque Spiritus sanctus vice nostri Deum supplicat *sicut oportet*, h. e. ea petendo quæ secundum divinam voluntatem a nobis petenda sunt. Hæc autem Spiritûs sancti supplicatio non fit verbis precanti homini suggestis aut cogitationibus menti illius injectis, sed fit στεναγμοις αλαλητοις (Dativ. *instrumenti*) *per tacita suspiria* a Spiritu sancto precanti mota. *Tacita* (αλαλητοι [1]) sunt illa suspiria, quippe quæ nec ore verbis externis, nec mente verbis internis efferuntur, adeoque talia sunt ut gemens ipse nesciat quid per suos gemitus a Deo postulet [2]. Atque hoc sensu vocem ἀλάλητος hic accipiendam esse, id quidem patet ex ea quæ statim insequitur antitheticâ sententiâ istâ: ὁ δε ερευνῶν τας καρδιας οιδε τι το φρονημα του Πνευματος. Is ergo qui hosce gemitus edit nescit, quidnam sit id quod Spiritus sanctus per hos gemitus ipsi a Deo petit; at *Scrutator cordium* (ὁ δε ερευνων τας καρδιας, Periphrasis Dei argumentosa) quid sit *id quod Spiritus sanctus* per hos gemitus *desideret* (τι το φρονημα του Πνευματος) *novit illudque approbat* (οιδε), *quia postulat* (εντυγχανει scil. τῳ Θεῳ) *pro regeneratis* (ὑπερ ἁγίων) *talia quæ sunt secundum divinum beneplacitum* (κατα Θεον). Quod divinum beneplacitum latere non potest Spiritum sanctum, quum *scrutetur profunda Dei*, ut ait Apostolus 1 Cor. II. 10. — Vocabulum οιδε hoc loco, (ut et 1 Thess. V. 12. 2 Tim. II. 19) prægnanter dictum est ita, ut notet *scit atque probat*.

---

(1) verbalia in τος significatione conveniunt partim cum Participiis et Adjectivis latinis in *tus*, ut ἀπαίδευτος *ineptus*, partim cum Adjectivis in *bilis*, ut ὁρατος *visibilis*.

(2) Card. Toletus (ad h. l.): « Explicat nunc Apostolus, *inquit*, quodnam sit illud Spiritûs sancti adjutorium; et est sensus: Cum nos nesciamus gemere nec petere *sicut oportet*, ipse Spiritus sanctus postulat pro nobis *ut oportet* et ea quæ conveniunt et utilia sunt, et sic fiunt petitiones nostræ impetratoriæ; quod sic fit: ipse Spiritus sanctus facit se auctorem nostrorum gemitûum et petitionum et in nobis pro nobis ipsis petit; et gemitus isti ac petitiones nostræ, quæ non sunt ut oportet, si considerentur ut a nobis et quæ nobis videntur, accipiunt et induunt quamdam rationem petitionis, quæ nobis non apparet ut petentes sæpe quæ nobis non conveniunt, per easdem petitiones obtineamus quæ conveniunt,

ỳ. 28—31. Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti. 29 Nam quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. 30 Quos autem prædestinavit, hos et vocavit: et quos vocavit, hos et justificavit: quos autem justificavit, illos et glorificavit. 31 Quid ergo dicemus ad hæc? si Deus pro nobis, quis contra nos?

ỳ. 28—31. Οἴδαμεν δὲ ὅτι τοῖς ἀγαπῶσι τὸν Θεὸν πάντα a) συνεργεῖ εἰς τὸ b) ἀγαθὸν, τοῖς κατὰ πρόθεσιν κλητοῖς οὖσιν· c) 29 ὅτι οὓς προέγνω, καὶ προώρισε συμμόρφους τῆς εἰκόνος τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν πρωτότοκον ἐν πολλοῖς ἀδελφοῖς· 30 οὓς δὲ προώρισε, τούτους καὶ ἐδικαίωσεν· οὓς δὲ ἐδικαίωσε τούτους καὶ ἐκάλεσε· καὶ οὓς ἐκάλεσε, τούτους καὶ ἐδόξασεν. 31 Τί οὖν ἐροῦμεν πρὸς ταῦτα; εἰ ὁ Θεὸς ὑπὲρ ἡμῶν, τίς καθ' ἡμῶν;

Paraphrasis. Ad hæc, notum nobis est, omnia ad salutem prodesse verisChristianis, utpote talibus quos Deus non ob eorum merita verùm ex æterno misericordiæ et amoris sui decreto ad hanc gratiam elegit; quos ergo non est deserturus, ut deinceps salutem eorum non procuret; proinde quæ illis inferuntur mala, quum hoc sine ejus permissu fieri nequeat, eisdem non nisi adminicula salutis esse poterunt; et quam incœpit in illis salutem, illam et perficiet. Nam quos ab æterno præscivit futuros esse tales qui gratuitò vocati deinceps sui forent eumque diligerent, illos quoque ab æterno prædestinavit ad consortium gloriæ Filii sui, eo fine ut is haberet multos fratres gloriæ suæ cohæredes, inter quos ipse primatum teneret. Quos autem Deus ad illud gloriæ consortium ab æterno prædestinavit, illos quoque in tempore vocavit, et quos vocavit, illos quoque justificavit; quos autem justificavit illos quoque glorificavit. Hanc ergo Dei curam de nobis considerantes nonne profiteri debemus Deum nos tueri? Quod si hoc, quid-ni saluti nostræ prosint afflictiones, persecutiones, quæcumque denique mala? nam quis aut quid tandem nocere nobis poterit, si Deus est pro nobis?

VARIANS LECTIO.

a) Post παντα legitur ὁ Θεος in Codd. AB. Glossema est.

b) Articulus το heic non nisi paucissimos habet testes; expungendus est.

c) Post ουσιν legitur ἁγίοις in Velesiano aliquo Codice; sed Velesianus ille Codex ad versionem Vulgatam interpolatus fuerit. Nam ex tot Codicibus qui adhuc collati fuerunt, ne unus quidem est qui hanc lectionem exhibeat; nulla pariter, *præter Vulgatam*, antiqua versio est quæ lectioni ἁγιοις suffragetur; frustrà quoque hanc lectionem apud Græcos Patres quæsieris.

etiam contraria iis quæ petebamus. Nisi enim Spiritus sanctus nos adjuvaret et per nos postularet, orationes et gemitus sæpe inutiles fierent, quia petimus quæ non conveniunt et sic non impetra-

℣. 28. *Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum,* cet.) In antegressis Apostolus dixerat (℣. 17) *si tamen compatimur*, atque *ad compatiendum* Romanos suos adhortatus fuerat argumentando primùm quidem *a magnitudine futuri præmii* (℣. 18), deinde verò *a Spiritûs sancti auxilio* (℣. 26); quibus duobus argumentis heic (℣. 28) nunc adjungit *tertium* [1], quod ducit ab eo *quod ipsæ quoque afflictiones ad salutem prosint diligentibus Deum, utpote talibus qui ex gratuitæ misericordiæ divinæ decreto ad fidem et gratiam vocati, vocanti obediverunt atque ita ingressi sunt viam salutis factique sunt* εκλεκτοι (℣. 33).

Nota Apostolum quod hic dicit non *de omnibus* dicere sed de iis *qui diligunt Deum*, hoc est, de iis qui Dei mandata observant, adeoque *piè*, *justè*, *ac sobriè* vitam suam instituunt; uno verbo, loquitur Paulus de *veris* Christianis. *His*, inquit, *omnia coöperantur in bonum* (παντα συνεργει εις αγαθον). Afflictiones, quibus istiusmodi Christiani premantur, Apostolus habet pro adminiculis salutis [2], eaque adminicula cogitatione jungens cum ceteris, quæ habeant, salutis subsidiis, *omnia* (παντα) *illis in bonum coöperari* dicit. Hæc parandæ salutis subsidia *unà cum* (συν) afflictionibus illis, adeoque *omnia* (παντα) *coöperantur* (συνεργει) *in bonum diligentibus Deum.* Dixit quidem infinitè εις αγαθον, *in bonum*, absque Articulo, sed tamen definitè cogitavit *supremum* bonum, æternam, inquam, salutem.

iis, qui secundum propositum vocati sunt). Sunt hæc verba ad antegressa *diligentibus Deum* Appositio, qua *ratio* exponitur *cur* diligentibus Deum omnia coöperentur in bonum. Et ratio est, quia οἱ αγαπῶντες Θεον homines sunt ejusmodi qui *ex gratuitæ misericordiæ divinæ decreto* (κατα προθεσιν) *ad fidem et gratiam vocati vocanti obtemperarunt atque ita ingressi sunt viam salutis* (κλητοις ουσιν), quique adeò sunt *electi* (εκλεκτοι). Nam κλητοι (non dixit κεκλημενοι), *geroepenen*, *des appelés*, qui hic dicuntur, tales intelliguntur qui divinæ vocationi paruerunt, uti patet ex contexta oratione; nam κλητοι illi modò dicti sunt οἱ αγαπῶντες τον Θεον, *diligentes Deum*, et mox (℣. 33) iidem vocantur εκλεκτοι, *electi*, quo nomine

---

remus; at dum a Spiritu sancto sunt et ipse est qui per nos petit et gemit, non fiunt inutiles sed impetrant ea quæ conveniunt et nobis sunt utilia, quamvis nos ignorantes non ea petiverimus. Idèo dicitur Spiritus sanctus *gemitibus inenarrabilibus* petere, quia nobis occulta sunt ea, ad quæ Spiritus sanctus dirigit petitiones nostras. Mirabile est profectò hoc beneficium, ut eadem oratio petens sæpe quæ utilia non sunt, impetret ea quæ conveniunt, quia oratio hæc Spiritûs sancti in nobis et per nos postulantis est. »

(1) Ad enunciandum tertium hoc argumentum *transit* per voculam δε, quæ hic est Particula *transeuntis*.

(2) « Sicut sub uno igne aurum rutilat, palea fumat, et sub eadem tribula stipulæ comminuuntur, frumenta purgentur, nec ideo cum oleo amurca confunditur, quia eodem preli pondere exprimitur; ita una eademque vis irruens bonos probat, purificat, eliquat, malos damnat, vastat, exterminat. Unde in eadem afflictione mali Deum detestantur atque blasphemant, boni autem precantur et laudant; tantum interest, non qualia sed qualis quisque patiatur. Aug. *de Civit. Dei Lib.* 1. *Cap. VIII.*

alibi quoque Apostolus (Coloss. III. 12; Tit. 1. 1.) *τους κλητους* designat; ut adeò hic pro *τοις κατα προθεσιν κλητοις ουσιν* scribere potuisset *τοις κατα προθεσιν εκλεκτοις ουσιν*.

Sed jam ulterius hic quæsiveris, *quare* in hoc Dei *proposito* sita *causa* sit *cur κλητοις* sive *εκλεκτοις* omnia cooperentur in bonum. Responsum verò ad hoc quæsitum continent ea quæ statim ibi addit Apostolus (℣. 29): *Nam quos præscivit*, cet.

Disputatur de notione quæ hoc loco subjicienda sit voci *προθεσις*, *propositum*. Cyrillus Hierosolymitanus [1] *προθεσιν* hic intelligit *humanæ voluntatis bonum propositum*; in qua sententia pariter sunt Theodoretus [2], S. Chrysostomus [3], Origenes [4], Jo.

---

(1) In *Præfatione suarum Catecheseon*, statim a principio. Αψευδης, inquit, ὁ ειπων ὁτι τοις αγαπωσι τον Θεον παντα συνεργει εις το αγαθον. Ὁ μεν γαρ Θεος δαψιλης εστιν εις ευεργεσιαν· περιμενει δε ἑκαστου την γνησιαν προαιρεσιν· δια τουτο επηγαγεν ὁ Αποστολος, λεγων· τοις κατα προθεσιν κλητοις ουσι· ἡ προθεσις γνησια ουσα κλητον σε ποιει. h. e. *Neque enim mendax est qui dicit, quod diligentibus Deum omnia coöperentur in bonum. Nam liberalis quidem Deus est in benefaciendo, sed tamen exspectat sinceram cujusque voluntatem; ideo adjecit Apostolus:* secundum propositum vocatis. *Propositum tuum cum sincerum est vocatum te facit.* Catholice hæc intelligas! Sed cum hic locus sat opportunus sit, operæ pretium fuerit hic recitasse Petavianas regulas illas quatuor, apprime utiles ad veteres scriptores, ubi de gratia loquuntur, recte interpretandos. *Prima* est: Nonnumquam illos cum de gratia loquuntur et eam meritis obtineri dicunt, de externa vocatione et beneficio intelligendos esse, non de interiori ac prima motione. *Secunda*: Nihil illos velle aliud, nisi Deum gratiam et inspirationem, quam ex sola gratuita liberalitate impertiri statuit, iis plerumque tribuere, quos consensuros et quo tempore consensuros esse præscivit; non ut meritum sit ista consensio, sed occasio tantum et conditio. *Tertia* regula est: Sæpe gratiæ nomine eam Patres appellare dumtaxat, quæ uberior perfectiorque sit et saluti propior; primam autem motionem et communem, quasi ordinarium aliquid et minus singulare, ac veluti fundamentum spiritualis ædificii prætermittere. *Quarta* regula est: Interdum illos inchoatam et rudem adhuc gratiam perfectæ salutis et æternæ vitæ, hoc est, absolutæ completæque gratiæ nomine significare; quòd initia illa divinæ vocationis afflatusque cœlestis, nisi per nos steterit, certissimâ nos ad salutem viâ perducant. Cf. Petavium *de Deo* Lib. IX, qui *de Prædestinatione* est primus. Cap. IV.

(2) In Commentario in Ep. ad Rom. ad h. l. Σφοδρα δε ακριβως, inquit, συνεζευξε τη κλησει την προθεσιν· ου γαρ ἁπλως καλει, αλλα τους προθεσιν εχοντας· h. e. *Valde autem appositè vocationi propositum adjunxit; non enim vocat simpliciter, sed eos qui propositum habent.*

(3) Hom. XV. in Ep. ad Rom. ad h. l. Προθεσιν δε ενταυθα φησιν, ἱνα μη το παν τη κλησει δῷς.... Ει γαρ ἡ κλησις ηρκει μονον, τινος ἑνεκεν ου παντες εσωθησαν; Δια τουτο φησιν ὁτι ουχ ἡ κλησις μονον, αλλα και ἡ προθεσις των καλουμενων την σωτηριαν ειργασατο· ου γαρ ηναγκασμενη γεγονεν ἡ κλησις ουδε βεβιασμενη. Παντες γουν εκληθησαν, αλλ᾽ ου παντες ὑπηκουσαν. h. e. *Propositum autem hic dicit, ut ne totum vocationi tribuas.... Si enim sola vocatio sufficiebat, cur non omnes salvi facti sunt? Ideo dicit non solam vocationem sed et vocatorum propositum salutem effecisse; neque enim necessitatem aut vim intulit vocatio. Omnes igitur sunt vocati sed non omnes vocanti obedierunt.*

(4) Origenes (apud Petavium. *De Prædestinatione* Lib. IX. Cap. III. 3) ambigit; nam προθεσιν ita ad *humanæ* voluntatis propositum refert, ut tamen significet fieri quoque posse ut ea vox ad *divinæ* voluntatis propositum pertineat.

Damascenus (ad h. l.), Oecumenius [1], et Theophylactus (ad h. l.) [2]. Contrà, ex mente S. Augustini, *propositum* (πρόθεσις) quod hic dicitur, *Dei* sit *propositum* sive decretum, et quidem tale quo Deus ex lapsi humani generis *massâ damnatâ* homines certo numero quosdam secrevisset quos ad cœlestem gloriam destinasset, idque ita ut hæc prædestinatio non pependerit ex prævisis eorum meritis et perseverantia, sed e contrario merita eorum et perseverantia ex illa prædestinatione profluxerint. Illos ergo quibus hæc prædestinatio obtigit Augustinus nominat *vocatos secundum propositum*, quos adeò distinguit ab iis qui vocati quidem sint sed *non secundum propositum*. Hanc nec aliam fuisse Augustini de prædestinatione sive *proposito* sententiam luculenter probat Petavius [3]. Scio Vasquezium (in 1. P. Dist. 89. C. 4 et 8) docuisse *prædestinationis* vocabulum apud Augustinum ad solam *gratiam* esse referendam; scio Gammachæum [4] negasse Augustinum umquam docuisse prædestinationem ad gloriam ante prævisa merita; sed, ut mihi videtur, neque Vasquezio neque Gammachæo facile quis consenserit qui Petavium de Augustiniana prædestinatione disserentem attento animo perlegere voluerit. Quidquid sit, sententiam unius doctoris, etiamsi nomen Augustini illi sit, nemo sequi tenetur [5]. Audiatur Petavius [6] qui in Augustinianam illam prædestinationem inquisiturus, sic præfatur: « Priusquam in Augustini opinionem inquirimus, *inquit*, illa primùm detrahenda est invidia, quam ex Augustini nomine conflare in nos audebunt aliqui; quasi nefas sit ab illius præscriptis quasi dictatis magistri cujusdam desciscere; præsertim iis in quæstionibus quæ ad gratiam et æternæ salutis adipiscendæ rationem spectant: in quibus ducem illum sequi se Romani Pontifices, et vetera concilia quæ sunt adversus Pelagianos coacta, testantur. Verùm non omnia, quæ in refellendis hæreticis istis ab Augustino proposita sunt, pro catholicis immotisque decretis habentur ab iis ipsis, qui illius doctrinam commendant, summis Pontificibus et Synodis. Sed quædam verè certòque constituta, quædam dicta probabiliter arbitrati sunt; ac prioribus ad Catholicæ dogma religionis assumptis, de posterioribus velut in medio positis libera posteritati judicia reliquerunt. Exstat hac de re luculentum Coelestini Papæ decretum (*Epist. ad Episcopos Galliæ*), quod legis instar

---

(1) In Ep. ad Rom. ad h. l. Οἱ κατα οἰκειαν προθεσιν γενομενοι κλητοι. *Qui secundum proprium ipsorum propositum facti sunt* κλητοι (vocati).

(2) Contradicit Justinianus in Commentario (ad h. l.), affirmans Theophylactum vocem προθεσις hoc loco retulisse ad divinæ voluntatis beneplacitum, sed fallitur. Verba, quæ ex latino Theophylacto recitat, hoc quidem sonant quod vult Justinianus, sed Græcus Theophylactus omninò contrarium docet.

(3) Confer Petavium *de Deo* Lib. IX, qui est *De Prædestinatione* primus. Cap. VI.

(4) Gammachæus in 1 P. q. 23. In eadem sententia est etiam Stapleton in oratione ex professo hac de re habita.

(5) Regula quam Tridentini Patres interpreti statuère (Sess. IV.) hæc est, ut *ne sacram Scripturam in rebus fidei et morum ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentium interpretari audeat contra unanimem consensum Patrum.*

(6) *De Deo* Lib. X, qui est de Prædestinatione secundus. Cap. 1.

edidit Gallicanis Episcopis ac toti adeò Catholicæ Ecclesiæ, hodieque Theologis positum ante oculos esse debet, ut quatenus de his rebus sentiendum sit, ex eo cognoscant. Postquam igitur Pelagianæ hæresis capita præcipua damnavit, iisque Catholica dogmata ex Romanorum Pontificum epistolis et Synodalibus sanctionibus opposuit, demum ita concludit: *Profundiores verò difficilioresque partes occurrentium quæstionum, quas latius pertractarunt qui hæreticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus adstruere; quia ad confitendum gratiam Dei, cujus operi ac dignationi nihil penitùs subtrahendum est, satis sufficere credimus quidquid secundum prædictas regulas Apostolicæ sedis scripta nos docuerunt; ut prorsus non opinemur Catholicum, quod apparet præfixis sententiis esse contrarium.* Ex eo genere *profundiorum quæstionum*, quæ nihil ad negotium gratiæ pertinent, est illa de Prædestinatione controversia [1], de qua cuivis utrum volet sequi, Romani Pontificis sententiâ illâ permittitur. Quamobrem sepositâ magnorum virorum auctoritate, causa cum causa, res cum re, rationes cum rationibus comparandæ sunt, ex eoque solo dijudicandum est, utra sit opinio versimilior. » Hactenus Petavius.

Sed jam e diverticulo in viam. Ergo quærebamus quid intelligeretur *propositum* (προθεσις) in verbis Apostoli istis: *qui vocati sunt secundum propositum.* Respondemus autem, sermonem ibi esse non de *humanæ* cujuspiam voluntatis proposito sed de proposito aliquo voluntatis *divinæ*, atque, rejectâ Græcorum sententiâ, hactenùs quidem Augustini sententiam probamus; negamus verò, quod idem affirmavit, *Dei* hoc *propositum* intelligendum esse decretum Dei aliquod quo homines certo numero quosdam non ex prævisis meritis sed ex sola absolutaque sua voluntate ad cœlestem gloriam elegisset. Docemus autem, *Dei propositum* intelligendum ibi esse illud Dei decretum quo ab æterno statuit lapsum perditumque hominum genus ex mera sua bonitate et clementia per Christum restituere in viam salutis. Atque hanc nec aliam esse mentem Apostoli, id quidem luculenter constat ex loco parallelo isto (2 Tim. I. 9): *Vocavit nos Deus non secundum opera nostra sed secundum propositum suum et gratiam* (κατ' ιδιαν προθεσιν και χαριν), *quæ data est nobis in* Christo Jesu *ante tempora sæcularia.*

℣. 29—31. *Nam quos præscivit, et prædestinavit*, cet.). Dicit hic Apostolus *quam ob causam* (ὅτι) diligentibus Deum *ideò* omnia cooperentur in bonum *quia* sunt *secundum propositum* κλητοι sive εκλεκτοι. Verba ista, οὕς προεγνω, præsentis orationis Protasis sunt, cujus Apodosis incipit a verbis (τουτους) και προωρισε. Demonstrativum τουτους supplendum est ex antegresso Relativo οὕς. Versiculus vigesimus nonus cum trigesimo ita cohæret, ut in illo enarrentur *æterni* actus Dei, in

---

(1) Probat Petavius (*ibidem*) quæstionem hanc, *utrum electio ad gloriam fiat nec-ne ex prævisis meritis*, pertinere ad *profundiores illas quæstiones* quas vocat Coelestinus.

(2) *Multi* (omnes) *sunt vocati*, *pauci verò electi*. Matth. XX. 16. Cf. Maldonat. ad h. l.

hoc verò dicatur quid Deus secundum *æternos* hosce actus præstiterit *in tempore*. Sensus autem præsentis loci hic mihi esse videtur : *Nam illos quos Deus ab æterno præcognovit* (προεγνω) *futuros esse* κλητους sive εκλεκτους (℣. 28), *hos quoque ab æterno prædestinavit* (προωρισε) *ad gloriam cœlestem. Quos autem ab æterno ad illam gloriam prædestinavit, illos quoque in tempore ad fidem vocavit ; et quos ad fidem vocavit, illos quoque justificavit ; quos autem justificavit, illos quoque glorificavit.* Declarat igitur hic Apostolus, Deum, *ad se quod attinet*, firmissimo consilio statuisse κλητους sive εκλεκτους illos (℣. 28) ad cœlestem gloriam dirigere eâque illos donare. Ex quo consequebatur, id quod probandum erat, mala illa quibus Christi causâ afficerentur, illis ad salutem prodesse, quum non inferrentur absque Dei prædestinantis permissu. Causa ergo, ob quam diligentibus Deum *ideo* omnia cooperentur in bonum *quia* sunt secundum propositum vocati, in eo sita est quod quæ talibus facere decrevit Deus, hæc, ad se quod attinet, certissime quoque iis sit facturus : ad cœlestem gloriam tales destinavit, ad cœlestem gloriam eosdem quoque certissimè adducet, modo ipsi suâ culpâ ab adducente non se subtraxerint. Itaque afflictiones, persecutiones et quæcumque præterea sunt hujus generis mala, adeò per se non officient prædestinatis, ut contra illis profutura sint, quum illis non inferantur absque permissu illius qui sua providentia ad hanc gloriam illos dirigit. Et verò quomodo tandem mala illa per se officere possint prædestinatis, quum Deus sit pro iis. *Nam si Deus nos defendit, quis tandem nocere nobis poterit* (℣. 31), ut ratiocinium suum concludit Apostolus.

Præpositio προ in Compositis προεγνω (*præscivit, præcognovit*) et προωρισε (*prædefinivit, prædestinavit*), per se non notat nisi *ante* ; sed *ante* illud explicandum esse *ab æterno*, id quidem certissimò constat ex loco parallelo isto (Ephes. I. 4) : εξελεξατο ἡμας εν αυτῳ (εν Χριστῳ) προ καταβολης κοσμου, ειναι ἡμας ἁγιους και αμωμους κατενωπιον αυτου : *Elegit nos in ipso* (*in* Christo) *ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus.*

Προγινώσκειν *propriè* est *ante cognoscere* [1], ut 2 Petr. III. 17, et hic quidem actum notat divini intellectûs. Relativum οὑς refertur ad antegressum κλητοῖς, unde peti quoque possit Accusativus Prædicati ; nam mens Apostoli est dicere : ὁτι οὑς προεγνω τοιουτους vel κλητους, i. e. *tales qui vocanti essent obtemperaturi.* Sumendum est, ut jam diximus, *objectum* Verbi προωρισε, quod est τουτους, ex antegresso Relativo οὑς. Verba και προωρισε κ. τ. λ. sunt Apodosis, nam nisi hoc

---

(1) Cf. dicta infra ad Cap. XI. 2.

sumatur, præsens oratio Apodosi careat. *Προοριζειν* autem simpliciter est *ante* (ab æterno) *destinare*, et hic quidem actum notat divinæ voluntatis; nam *destinare* voluntatis est. *Προορισμος* hic veluti nititur in illa *προγνωσει*[1]).

conformes fieri imaginis filii sui). His verbis exprimitur *ad quid* illos ab æterno destinaverit. Interpres noster de suo addendo *fieri*, verba Græca perspicuè reddidit, nisi quod pro *imaginis* maluissem *imagini*. Cave tamen putes in græca phrasi Infinitivum *γενεσθαι* aut *ειναι* desiderari; hæc enim Verborum *προοριζω*, *αποδεικνυμι* (1 Cor. IV. 9), *ποιεω* (Joh. VI. 15), et similium structura est, ut duplicem admittant Accusativum, unum *Subjecti* et alterum *Prædicati*. Adjectivum *συμμορφος*, quod Philipp. III. 21 structum est cum Dativo, hic jungitur cum Genitivo: *συμμορφους της εικονος*. Utrumque fieri licet. Cf. Matthiä §. 379. Quid vero sit *conformes fieri imagini filii sui* intelligitur ex loco parallelo isto (Philipp. III. 21): *ὁς μετασχηματισει το σωμα της ταπεινωσεως ἡμων εις το γενεσθαι αυτο συμμορφον τῳ σωματι της δοξης αυτου*· quæ verba ita reddiderim: *Qui transformabit corpus nostræ afflictionis, quo fiet ut sit conforme corpori ipsius glorioso* [2]). Itaque *imago* (*εικων*) filii Dei hìc intelligitur *gloriosum* ejusdem *corpus*, ut ad præsentem locum docet etiam Theodoretus[3]). Illius autem *imagini conformari* est indui corpore glorioso simili Christi corpori glorioso, puta, quod attinet ad gloriæ *qualitatem*, non vero quod attinet ad illius *quantitatem*, ut idem Theodoretus alibi [4]) monuit.

ut sit ipse primogenitus in multis fratribus). Hæc verba declarant *in quem finem* (*εις*) Deus illos (*τους κλητους*) prædestinaverit ad eam cum Filio suo *conformitatem*. Qui quidem finis is erat ut Christus, Dei Filius, multos haberet fratres unà cum ipso cœlestis gloriæ *cohæredes* (vide suprà ℣. 17), inter quos omnes ipse primatum teneret tamquam *primogenitus*. Cf. Coloss. 1. 18. Vox *πρωτότοκος* etiam *excellentiæ* notionem hic continet.—« Significat Apostolus, inquit Estius (ad h. l.), conformitatem de qua locutus est, redundare in gloriam Christi. Nam ex ea consequitur quædam dignitas

---

(1) Theodoretus (ad h. l.): *Ουκ ἁπλως προωρισεν, αλλα προγνους προωρισεν*. h. c. *Non simpliciter prædestinavit, sed cum præscisset prædestinavit.*

(2) Videsis quæ ad hunc locum notavi in Commentario in epistolam ad Philippenses (secunda edit.).

(3) *Συμμορφον ἡμων εσται το σωμα τῳ σωματι της δοξης αυτου. Οὑτω κἀνθαυτα τους της κλησεως αξιωθεντας της εικονος του υἱου συμμορφους ωνομασε, τουτεστι του σωματος του υἱου*. h. c. *Conforme erit corpus nostrum corpori gloriæ ipsius. Ita et hic quoque, eos qui vocatione digni habiti sunt, imaginis filii conformes nominavit, hoc est, corporis filii.*

(4) In Commentario in Ep. ad Philippenses; ad Cap. III. 21: *ου κατα την ποσοτητα της δοξης, αλλα κατα την ποιοτητα.*

et prærogativa Christi, ut sit primogenitus inter multos fratres; dum videlicet qui per naturam est unigenitus Dei filius, Deo nos in filios adoptante ac naturali ipsius Filio per gratiam et gloriam conformante, multos fratres acquirit gloriæ suæ cœlestis cohæredes; inter quos omnes ipse primatum teneat, tamquam primogenitus. Etenim Christus Dei filius est quidem *unigenitus* ut Deus, sed *primogenitus* ut homo-Deus; scilicet per gratiam unionis, non per gratiam adoptionis, quam a Christo penitùs removemus, damnantes eorum sententiam, utpote jam olim a Patribus damnatam, qui ex hoc loco et aliis similibus ostendere nitebantur, Christum secundum naturam assumptam esse Dei Filium adoptivum. »

Quos autem prædestinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, hos et justificavit; quos autem justificavit, illos et glorificavit). Apostolus in antegressis (ỳ. 29) assignaverat *æternos* Dei actus, *præscientiam*, inquam, et *prædestinationem*; hic verò exponit quid ad exequendum prædestinationis suæ decretum *in tempore* præstet. Ergo quos *ab æterno* destinavit ad consortium gloriæ filii sui (ỳ. 17), illos quoque *in tempore* vocavit, et quos vocavit, illos quoque justificavit; quos autem justificavit, illos quoque glorificavit. Observa, Apostolum, dum Prædestinationis effectus illos tres ordine recenset, ea tantum respicere quæ in procurandâ æternâ hominum salute præstantur a Deo; nam de eo quod homo salvandus pro liberi sui arbitrii usu ibi præstare ipse debeat, Paulus hic tacet; quum pro instituti sui ratione de hoc non esset nunc dicendum. *Glorificatio* autem, quæ hic dicitur (*illos et glorificavit*), intelligitur ipsum illud *conformari imagini Filii Dei*, de quo modo (ỳ. 29) sermo fuerat; nec differt hoc a perfecta illâ υἱοθεσία, quam paulò ante (ỳ. 23) Apostolus definierat. Ceterum, de *futurâ* glorificatione dixit ἐδόξασε, Præteriti Temporis verbo usus per Prolepsin, ad rei certitudinem indicandam.

ỳ. 31. *Quid ergo dicemus ad hæc?* cet.). Hac formula Apostolus lectores suos invitat ad concludendum ex præmissis, ut et infra Cap. IX. 30. Gallicè dixisset: *Que dirons nous donc, vu tout cela* (πρὸς ταῦτα, *ad hæc*)? Et ad propositam quæstionem respondere potuisset: *Que Dieu est pour nous.* At non ita Paulus, sed ipsam hanc conclusionem, variatâ orationis conformatione, effert per triumphalem exclamationem hanc: *Si Deus nos tuetur, quis tandem nobis noceat?* Sensus est: *Hanc ergo Dei curam circa nostram* (gratis justificatorum) *salutem considerantes, nonne profiteri debemus Deum nos tueri? Quod si hoc, quid-ni saluti nostræ prosint mala quævis, quum hæc inferri nobis non possint nisi ipsius permissu? Et verò quis aut quid tandem nocere nobis poterit, si Deus nos tuetur?* Atque ita Apostolus plenissimè probavit quod supra (ỳ. 28) affirmaverat, scilicet, *omnia coöperari in bonum diligentibus Deum.*

Ex theologis recentioribus plures, nec ii infimi subsellii, præsertim ex sacra Augustinianorum et Dominicanorum familia, doctores suos SS. Augustinum et Thomam secuti existimarunt, Paulum tum infra (Cap. IX.) tum etiam hoc loco (℣. 28 — 32) Christianos Romanos docuisse, Deum æterno decreto ex tota humani generis *massa damnata* homines certo numero quosdam elegisse atque destinasse ad gloriam æternam, idque non *post prævisa* ab ipso eorum *merita* [1], quæ communior est Theologorum hac in re sententia, verùm *ante prævisa* eorumdem *merita*. Probè nota, minime disputari de hoc, utrum nec-ne ex Pauli doctrina hominibus gratuitò et sine ullo suo merito obtingat gratia justificationis. Et verò Catholicæ fidei dogma est, gratiam justificationis homini obtingere ad modum *doni* adeò gratuiti, ut hæc nullo modo aliquam *mercedis* rationem habeat [2]; e contrà, donum *gloriæ* sive vitæ æternùm felicis justificatis proponitur *et tamquam* GRATIA *per* Christum Jesum *misericorditer illis promissa, et tamquam* MERCES *ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus et meritis fideliter reddenda* [3]; quam gratiam atque mercedem Paulus (2 Tim. IV. 7. 8) *vocat coronam justitiæ sibi post suum certamen et cursum a justo Judice reddendam*. Sed hoc quæritur, utrum nec-ne Paulus in præsenti loco (℣. 28 — 32) et infra (Cap. IX) docuerit *prædestinationem*, quam vocant *ad gloriam ante prævisa merita*. Et de argumento quidem quod affirmativæ sententiæ patroni ducunt ex nono hujus epistolæ Capite, ubi Jacobum et Esavum ab Apostolo exhibitos esse dicunt in typum prædestinatorum et reprobatorum, dicturus sum ubi ad eum locum pervenero [4]. Ad præsentem autem locum quod attinet, existimaverim eos, qui illam quam dixi *prædestinationem ad gloriam ante prævisa merita* ibi doceri affirmarunt, et falsas vocabulis subjecisse notiones, et ad institutum Apostoli minimè attendisse.

Nam, ut a priori illo vitio ducam exordium, vox πρόθεσις, absolutè posita [5],

(1) Illa intellige *merita*, quæ sibi, post gratuitam justificationem, justificati, auxiliante eos divinâ gratiâ, comparassent, faciendo id ad quod Apostolus Christianos omnes adhortatur dicens: *Abundate in omni opere bono, scientes quod labor vester non est inanis in Domino.* Cf. Tridentin. Sess. VI. Cap. XVI. Qualia quidem opera docente Ecclesia (Trid. Sess. XVI. Can. 32), *ita sunt dona Dei, ut sint etiam bona ipsius justificati merita.*

(2) *Gratis justificamur*, inquit Apostolus (supra Cap. III. ℣. 24); docent autem Tridentini Patres (Sess. VI. Cap. VIII), nos ab Apostolo *gratis* justificari ideò dici, *quia nihil eorum quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationem promeretur.*

(3) Vide Tridentin. Sess. VI. Cap. XVI; Cf. etiam Can. 32.

(4) Ibidem etiam ad trutinam accuratæ interpretationis revocabimus ea sacrarum Scripturarum effata, quæ prætcrea afferri solent ad probandam *prædestinationem ad gloriam ante prævisa merita.*

(5) Infra Cap. IX. ℣. 11 occurrit dictio ἡ κατ' ἐκλογὴν πρόθεσις *(propositum* sive *decretum quod, facto personarum delectu, fiat secundum illum delectum)*, quæ verba *prædestinationem* quidem aliquam significant; nam decretum Prædestinationis est *electivum* aliquod decretum; sed prædestinatio, de qua ibi agitur, non est prædestinatio *ad gloriam*, ut ibidem sumus probaturi.

nec uspiam de divina Prædestinatione, qualis hìc agitur, a Paulo adhibetur, nec *per se* ea vox hanc potestatem habet, quippe quæ simpliciter notat *propositionem* aut etiam *propositum* aliquod. Quonam verò sensu in præsenti quidem loco vox προθεσις ab Apostolo fuerit adhibita, supra (p. 269) jam diximus. Porrò quod attinet ad vocem προωρισε, recte quidem huic vocabulo subjicitur theologica *prædestinandi* notio; et contexta ibi oratio præcipit ut referatur ad prædestinationem, quam vocant, *ad gloriam;* utrum verò *absoluta* ibi intelligenda sit prædestinatio, an verò talis cujus causa pendeat a prævisis justificatorum meritis, illud quidem ipsa vox προωρισε minimè docet, ut quæ non minus rectè adhiberi possit de decreto aliquo *absoluto*, quam de eo quod non sit tale. Certe προωρισε illud, quod in Actis Apostolorum (Cap. IV. 28) legitur, de *absoluto* decreto nemo Catholicus acceperit [1]. Itaque ex vocibus illis προθεσις et προωρισε minimè conficitur, Paulum Romanos suos hoc epistolæ suæ loco docuisse *prædestinationem ad gloriam ante prævisa merita.*

Verbum προωρισε, ut jam dixi, vox est significationis ambiguæ, ut quæ non minus recte referri queat ad prædestinationem ad gloriam quæ facta sit *post prævisa merita*, quam ad eam quæ facta sit *ante prævisa merita.* Itaque ex contexta oratione et scopo Apostoli discernendum est, utra notio voci προωρισε hoc loco sit subjicienda. Igitur peto, unde egressa est præsens Apostoli oratio? Profectò egressa est ab eo quod supra (℣. 17) dixerat: *Si tamen compatimur ut et conglorificemur*; quibus verbis significaverat sub quânam conditione liceret justificatis sperare fore ut aliquando essent Christi *gloriæ coheredes.* Itaque Apostoli propositum ibi est, Romanos suos adhortari *ad compatiendum* (Χριστῳ συμπασχειν); et statim, quo efficacius illud faciat, rationes *ad compatiendum* adducit tres, quarum prima petita est a magnitudine futuri præmii (℣. 18), altera a Spiritûs sancti auxilio (℣. 26), tertia ab eo quod ipsæ quoque afflictiones diligentibus Deum prosint ad salutem (℣. 28). Cum ergo Apostolus totus in eo sit ut Romanos suos adhortetur ad faciendum id quo pervenire possint ad gloriam cœlestem, sanè parum efficaciter eos excitaret, si idem ibidem doceret, rem omnem pendere a voluntate Dei *absoluta*, hoc est tali, cujus causa minimè pendeat a prævisis justifica-

---

(1) Bene Petavius (*De Deo* Lib. X. Cap. I. III.): « In Actibus Apostolorum (Cap. IV. 27 28) legitur: *Convenerunt in civitate ista adversus sanctum puerum tuum* Jesum, *quem unxisti*, Herodes et Pontius Pilatus *cum gentibus et populis Israël, facere quæ manus tua et consilium decreverunt (προωρισε) fieri.* Ibi Verbum est προωρισε. At perspicuum est, non id *absolutè* decrevisse Deum ut Judæi et Gentiles nefarium illud facinus admitterent, neque ut decretum suum exequeretur voluntates eorum impulisse. Soli hoc Calvinus, Beza, ceteræque pestes usurpare possunt, quæ communem sensum cum pietate perdiderunt. Sanus quidem ac sobrius nemo dixerit, decrevisse Deum ut peccatum ullum fieret. Quare ex verbo προωρισε dijudicari nequit, utrum in merita singulorum futura intuens ab æterno Deus eos ad salutem elegerit ac prædestinaverit, an absoluta voluntate, ex qua merita deinde consecuta sint.»

torum meritis. Quæ cum ita sint, non injuriâ dixerim, eos qui ex præsenti loco Apostoli probare conati sunt *prædestinationem ad gloriam ante prævisa merita*, nec rectas vocabulis subjecisse notiones, nec satis attendisse ad Apostoli institutum.

℣. 32—36. Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? 33 Quis accusavit 1) adversùs electos Dei? Deus qui justificat, 34 quis est qui condemnet? CHRISTUS JESUS, qui mortuus est, immo qui et resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. 35 Quis ergo nos separabit a charitate CHRISTI? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? 36 (sicut scriptum est: Quia propter te mortificamur tota die: æstimati sumus sicut oves occisionis).

℣. 32—36. Ὅσγε τοῦ ἰδίου υἱοῦ οὐκ ἐφείσατο ἀλλ' ὑπὲρ ἡμῶν πάντων παρέδωκεν αὐτὸν, πῶς οὐχὶ καὶ σὺν αὐτῷ τὰ πάντα ἡμῖν χαρίσεται; a) 33 Τίς ἐγκαλέσει κατὰ ἐκλεκτῶν Θεοῦ; Θεὸς ὁ δικαιῶν; 34 Τίς ὁ κατακρίνων; Χριστὸς ὁ ἀποθανὼν, μᾶλλον δὲ καὶ ἐγερθεὶς, ὃς καὶ b) ἔστιν ἐν δεξιᾷ τοῦ Θεοῦ, ὃς καὶ ἐντυγχάνει ὑπὲρ ἡμῶν; 35 Τίς d) ἡμᾶς χωρίσει ἀπὸ τῆς ἀγάπης τοῦ Χριστου; θλίψις, ἢ στενοχωρία, ἢ διωγμὸς, ἢ λιμὸς, ἢ γυμνότης, ἢ κίνδυνος, ἢ μάχαιρα; 36 καθὼς γέγραπται· Ὅτι ἕνεκά σου θανατούμεθα ὅλην τὴν ἡμέραν· ἐλογίσθημεν ὡς πρόβατα σφαγῆς.

Paraphrasis. Qui quidem proprio suo Filio non pepercit, sed pro nostrâ omnium expiatione tamquam victimam piacularem in mortem tradidit, quid-ni is etiam, unà cum Filio, nobis donaturus sit omnia quæ ad perficiendam salutem nostram nobis sunt necessaria? Ecquis accusationem instituet adversus electos Dei? Num forte hoc faciat Deus eorumdem justificator? Ecquis est qui electos Dei condemnet? Num forte hoc faciat JESUS CHRISTUS, qui pro nobis electis mortuus est, imo vero etiam resurrexit, qui etiam sedet ad dexteram Dei, qui etiam deprecatur ibi pro nobis? Quis nos divellere poterit ab amore CHRISTI? Num afflictio? Num angustiæ? Num persecutio? Num fames? Num nuditas? Num periculum? Num gladius? ita ut fiat in nobis sicut scriptum est: *Propter te interficimur tota die; reputamur pro ovibus mactationi destinatis.*

(1) Pro *accusabit* mendosè legitur *accusavit* in tertia Vaticanâ edit. a. 1598.

VARIANS LECTIO.

---

a) Pro Futuro χαρισεται est in Vulgata Præteritum *donavit*; sed Præteritum hoc loco neque in ullo græco codice legitur, neque in ulla antiqua versione, si Italam excipias. Itaque ambigendum non est quin legendum sit non *donavit* sed *donabit*, eoque minus quòd contexta etiam oratio Futurum postulat. Existimaverim præsentem locum pertinere ad ea de quibus in *Præfatione ad lectorem* præmissâ Vulgatæ dictum est: *Sicut nonnulla consulto mutata, ita etiam alia, quæ mutanda videbantur, consulto immutata relicta sunt.*

b) Particula καὶ hoc loco non legitur in Codd. AC. Omissa ibi fuerit aut librarii incuriâ, aut quòd incommoda illi videretur.

c) Voculam συν hoc loco exhibent Codd. FG.

ỳ. 32. *Qui etiam proprio Filio suo non pepercit*, cet.). Conclusionem antegressam (ỳ. 31: *Deus est qui nos tuetur*; *ipsi salus nostra curæ est*) Apostolus hic *confirmat* (*γε*)[1] argumentando a summo Dei erga homines amoris documento, ut qui non dubitaverit Pater vitam proprii Filii in illorum impendere salutem. Itaque argumentatio fit *a majori ad minus*. Ad formam autem dictionis quod attinet, notandum est, Apostoli sermonem tota hac parte epistolæ (ỳ. 32—36) interrogativis tantùm constare sententiis, quo fit ut maximè incitata ac veluti vibrans sit ejusdem oratio. Præsentis versiculi sensus hic est: *Qui quidem* (ὅσγε) *proprio suo Filio non pepercit sed pro nostra omnium expiatione* (ὑπερ ἡμων παντων) *cum tamquam victimam piacularem in mortem tradidit* (παρεδωκεν. Cf. Cap. IV. 25), *quid-ni is etiam* (πῶς ουχι και), *quum proprium suum Filium nobis donaverit, unà cum Filio* (συν αυτῷ) *nobis donaturus sit omnia quæ* (τα παντα) *ad perficiendam salutem nostram nobis sunt necessaria*? Quum maxima dederit, profectò non recusabit ea quæ sunt minora[2];

---

(1) De vi *confirmante* Particulæ γε videsis HARTUNG. 1 Th. pag. 344 sqq. Particulam γε Belgicè hoc loco reddiderim *ja*; puta, si dixerim: *die, ja, zynen eigen zoon niet gespaard heeft,* cet.

(2) S. CHRYS. Hom. XV in Ep. ad Rom. ad h. l. Ο δε λεγει, τοιουτον εστι· ει τον υἱον εχαρισατο, και ουχ ἁπλως εχαρισατο; αλλα και σφαγῇ παρεδωκε, τι λοιπον περι των αλλων αμφιβαλλεις, τον Δεσποτην λαβων;..... 'Ο γαρ το μειζον τοις εχθροις δεδωκως, πως τα ελαττονα ου δωσει τοις φιλοις; h. e. *Quod autem dicit, tale est: Si filium suum largitus est, nec modo largitus est, sed et neci tradidit, quid postea de reliquis ambigis, cum Dominum acceperis?.... Qui enim id quod majus erat inimicis dedit, quomodo non minora dabit amicis?*

atque adeò non potest non tueri suos. Quonam vero sensu Deus intelligatur Filium suum morti tradidisse, diximus in Commentario in Acta Apostolorum ad Cap. II. ℣. 23.

℣. 33. *Quis accusabit, cet.*). Duas præsens versiculus interrogativas sententias continet; *unam* hanc: *Quis accusationem instituet* (εγκαλεσει) *adversus* (κατα cum Genit.) *electos Dei?* alteram hanc plenam sanctâ quâdam ironiâ: *Num forte facturus hoc sit Deus eorumdem justificator* (ὁ δικαιῶν)? Quod autem etiam posterius hoc membrum, Θεος ὁ δικαιων, interrogativam sententiam continet[1]), id quidem satis jam docet collatio præsentis versiculi cum insequenti, cujus pars posterior Χριστος ὁ αποθανων—ἡμων interrogativè legenda est, quum, uti patet, haberi nequeat pro responso ad antegressam interrogationem istam: τις ὁ κατακρινων; Quum ergo versus trigesimus quartus duas interrogationes contineat, ipsa jam orationis concinnitas suadet ut existimemus etiam antegressum versum duabus interrogationibus constare[2]). Accedit quod si membrum istud, Θεος ὁ δικαιων (℣. 33), responsum sit ad antegressam interrogationem τις εγκαλεσαι κατα εκλεκτων Θεου, scribendum fuisset Θεος ε σ τ ι ὁ δικαιῶν.

Ceterum, notandum est, ea quæ versibus hoc et insequenti leguntur, respicere ad id quod Apostolus in principio hujus capitis dixerat (℣. 1): *Nihil ergo nunc damnationis est iis quæ sunt in* Christo Jesu; adeòque eò nunc redit ejus oratio, undè fuerat egressa; ita tamen ut unà hic distinctius explicet antegressum illud (℣. 31) τις καθ' ἡμων.

Alibi (Act. XXIII. 28) εγκαλειν construitur cum Dativo Personæ, hìc vero cum Præpositione κατα et Genitivo Personæ, *contra*, *adversus*. Sophocles (*Philoct.* 327) sic dixit: χολον κατ' αυτῶν εγκαλῶν εληλυθας (apud Fritsche ad h. l.). Κατα εκλεκτων Θεου, *contre des élus de Dieu*, i. e. contra tales quos Deus elegit. Intelliguntur autem ipsi illi quos supra (℣. 28) vocavit τους κατα προθεσιν κλητους. Bene Cornelius a lapide (ad h. l.): *Electos*, inquit, *hic et alibi* Paulus *intelligit eos qui electi sunt ad fidem et gratiam Christianismi. Omnes ergò verè Christiani sunt electi, nimirum completè ad gratiam, inchoatè verò ad gloriam.* Ὁ δικαιῶν, Participium Præ-

---

(1) Secundum interpunctionem Vulgatæ verba ista, *Deus qui justificat*, jungenda sint in unam sententiam cum insequentibus illis, *quis est qui condemnet*, ut sensus sit: *Quum Deus eos justificet, ecquis illos condemnet?* At verò si Paulus hoc dicere voluisset, omninò otiosum erat addere id quod porrò ibi legitur, *Christus Jesus, qui mortuus est*, cet.

(2) S. Aug. *De Doct. Christ.* III. 3: « Pronuntiabitur ergo ita, ut post percontationem, qua dicimus: *Quis accusabit adversus electos Dei?* illud quod sequitur sono interrogantis enuntietur: *Deus qui justificat?* ut tacite respondeatur: Non. Et idem percontetur: *Quis est qui condemnet?* rursusque interrogemus: *Chrsitus Jesus*, cet.

sentis cum Articulo ad modum Substantivi : *Justificator*. Est autem hic intelligenda illa δικαιοσυνη Θεου, de qua dixerat Apostolus in principio suæ epistolæ, Cap. 1. ℣. 17. Confer quæ ad hunc locum adnotavimus.

℣. 34. *Quis est qui condemnet?* CHRISTUS JESUS, *qui*, cet.). Sententiam antegresso versiculo (℣. 33) propositam Apostolus hic replicat, ita tamen ut pro *accusatione* ponat *condemnationem*, et quod ibi dixerat de Deo, hoc nunc transferat in CHRISTUM. Ceterum eadem est utriusque versiculi sententia. Est autem hic verborum sensus: *Ecquis est qui electos Dei* (ex versu 33) *condemnet* (ὁ κατακρινων)? *Num forte hoc faciat* JESUS CHRISTUS *qui pro nobis electis* (℣. 33) *mortuus est, imò verò* (μαλλον δε) *etiam* (και) *resurrexit; qui etiam* (και) *sedet ad dexteram Dei ; qui etiam* (και) *deprecatur ibi pro nobis?*

Pertinet ὑπερ ἡμων ad ὁ ἀποθανων et ad reliqua membra hujus interrogationis. Cf. Cap. IV. 25. Μαλλον δε formula est *se corrigentis*. Nimirum ad præsens Apostoli institutum CHRISTUS, ut S. THOMAS notat (ad h. l.), *potius commemorandus erat ex virtute resurrectionis, quam ex infirmitate passionis*. Magna quædam emphasis est in repetito illo ὁς και. Ειναι εν δεξιᾳ τινος est IN eo loco esse ubi alicui dexter assideas. Metaphorica autem locutio est. Quonam vero sensu CHRISTUS intelligendus sit *esse* vel *sedere ad dexteram Dei Patris*, explicavimus in Commentario in Acta Apostolorum ad Cap. II. ℣. 35 De notione Verbi εντυγχανειν diximus suprà, ad ℣. 26 pag. 264. Benè ESTIUS (ad h. l.): «Quod CHRISTUS ad dexteram Dei collocatus adhuc dicitur *interpellare* sive *intercedere pro nobis*, non ita accipiendum est ac si in cœlo supplicem se Patri prosternat; uti fecit in diebus mortalitatis et humanitatis suæ, quemadmodum satis imperitè docet ORIGENES (Hom. 7 super Levituicum), addens id eum facere non sine lacrynis et mœrore quo de malis nostris afficitur. Quem sensum sana fides omnino respuit. Neque enim sinit Pater Filium suum jam in gloria assumptum amplius humiliari quoquo modo nostri causâ. Sed interpellat pro nobis CHRISTUS, quomodo post veteres interpretes et GREGORIUM (Lib. XII Moral. Cap. 13) doctè et breviter id explicat THOMAS in commentario; quatenùs humanitatem pro nobis assumptam, et mysteria in ea celebrata conspectui paterno repræsentat, utique cum desiderio nostræ salutis. Neque enim negandum est, quod ob invidiam intercessionis sanctorum negant hæretici quidam nostræ ætatis, CHRISTUM in cœlo verè et propriè Patrem suum pro nobis orare. Nam dicta repræsentatio cum salutis nostræ desiderio conjuncta, non consistit absque oratione saltem interiore. Quamquam nec vetat quin etiam voce exprimat illud desiderium, sed verbis convenientissimis. Tantum illa supplicandi humilitas, CHRISTO jam glorificato indigna, ab ejus oratione removenda est.»

℣. 35. *Quis ergo nos separabit a charitate* CHRISTI ?) Particula *ergo*, ut dixi (vide Var. Lect.), non videtur ad contextum pertinere; certe eam non poscit con-

texta oratio. Futurum χωρισει hic valet *separare poterit*. Nimirum, de Futuro illud notandum, significari eo interdum *id, quod possit fieri*, veluti Act. VII. 49. Cf. Hermannum ad Vigerum, p. 747. Scripsit Apostolus τις *quis*, non τι *quid*, quamquam enumeraturus erat non *personas* sed *res*; forsitan quia *res* illas per Prosopopœiam finxerit personas. Quod autem ibi dicitur απο της αγαπης του Χριστου, Genitivus του Χριστου non *Objecti* Genitivus est sed *Subjecti*, adeòque ibi intelligitur amor non is quo Christum diligunt justificati, sed is quo illos diligit Christus. Interpretes plerique, tam veteres quam recentiores, existimarunt sermonem ibi esse de amore illo quo justificati Christum diligunt; sed contexta oratio perspicuè docet Apostolum loqui de amore Christi *erga nos*. Nam post enumerata gravissima aliquot mala quæ justificatis Christi causâ accidere possint, statim addit (℣. 37), eosdem de illis omnibus plus quam triumhare δια του αγαπησαντος, *per eum*[1]) *qui eos* dilexit (non dixit *per eum quem* diligunt), hoc est, per Christum eos opitulantem; ubi profectò non alius intelligitur amor quam illius de quo modo dixerat: *Quis nos divellere poterit* (χωρισει) *ab amore* Christi? Ad hæc, nota, ipsam illam sententiam, *quis nos divellere poterit ab amore* Christi (απο της αγαπης του Χριστου), iterari versibus trigesimo octavo et sequenti; atqui ibi pro απο της αγαπης του Χριστου legitur απο της αγαπης του Θεου, της εν Χριστῳ Ιησου, *a charitate Dei, quæ est in* Christo Jesu; quibus verbis profectò significatur non amor quo justificati Deum diligunt, sed amor ille quo Deus justificatos diligit [2]; cujus quidem amoris documentum est in Christo Jesu, ut qui merito suarum perpessionum atque mortis hunc Dei erga nos amorem nobis conciliavit. Ceterum, vide quæ scripsimus infra ad ℣. 38 et seq.

℣. 36. *Sicut scriptum est: quia*[3], *propter te mortificamur tota die: æstimati sumus sicut oves occisionis*). Nihil opus erat hæc verba habere pro interposita sententia sive Parenthesi; neque enim interrupta est Syntaxis, et quod versu 37 dicitur, etiam ad versum 36 refertur. Adducit præsentem Psalmi (Vulg. 43. ℣. 22. Hebr. 44. ℣. 23) locum Apostolus ad declarandum id quod postremò dixerat: *an gladius?* Inquiunt ibi pii Iehovæ cultores, *se* (nunc hos, nunc illos,) *ipsius causâ* (ἑνεκα σου) *continuò ac veluti quotidie* (Hebr. כָּל־הַיּוֹם [4]) *mortis supplicio affici atque*

---

(1) Interpres noster habet *propter eum*; nimirum legerit δια τον αγαπησαντα. Sed huic lectioni omninò præferenda est lectio δια του αγαπησαντος, ut dicturi sumus infra ad ℣. 37.

(2) Card. Toletus: *Hæc sententia*, inquit, *confirmat de dilectione Dei activa, qua diligit electos*, Paulum *loqui*.

(3) *Quia* non est ibi logica Particula Apostoli, sed pars citati testimonii.

(4) Ὅλην την ἡμεραν, quod Paulus hic habet secundum LXX, proprie valet Nostratium *den ganschen dag*.

adeò haberi (ελογισθημεν) *veluti pro grege mactando*. Quæ verba quonam modo Apostolus ad propositum suum accommodet ex Paraphrasi intelligi poterit.

℣. 37—39. Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos. 38 Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo [b], 39 neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in CHRISTO JESU Domino nostro.

℣. 37—39. *Ἀλλ' ἐν τούτοις πᾶσιν ὑπερνικῶμεν διὰ τοῦ ἀγαπήσαντος ἡμᾶς* [a]. 38 *Πέπεισμαι γὰρ, ὅτι οὔτε θάνατος, οὔτε ζωὴ, οὔτε ἄγγελοι, οὔτε ἀρχαὶ, οὔτε δυνάμεις, οὔτε ἐνεστῶτα, οὔτε μέλλοντα*, 39 *οὔτε ὕψωμα, οὔτε βάθος, οὔτε τίς κτίσις ἑτέρα δυνήσεται ἡμᾶς χωρίσαι ἀπὸ τῆς ἀγάπης τοῦ Θεοῦ, τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ Κυρίῳ ἡμῶν.*

Paraphrasis. At enim verò in his omnibus egregiè victores sumus per auxilium nobis latum ab eo qui nos dilexit. Certus enim sum, neque mortem, neque vitam, neque ullam vim angelicam, neque præsentia, neque futura, neque sublimia, neque infima, neque aliam quamvis rem creatam divellere posse nos justificatos ab amore Dei nobis exhibito in JESU CHRISTO salutis nostræ mediatore.

VARIANS LECTIO.

a) Pro δια του αγαπησαντος ἡμας legitur δια τον αγαπησαντα ἡμας in Codd. DEFG, quam lectionem exhibent quoque Itala et Vulgata. Contrà, Codd. ABCI, antiquæ versiones pleræque, multique Patres Græci habent δια του αγαπησαντος ἡμας. Itaque hæc lectio alteri omnino præferenda videtur, eoque magis quòd contexta quoque oratio (℣. 39) eidem favet.

b) Voces illæ *neque fortitudo* in Græco non leguntur.

℣. 37. *Sed in his omnibus superamus, propter eum qui dilexit nos.)* Jam diximus (vide Var. Lect.), præferendam esse lectionem δια του αγαπησαντος ἡμας, h. e. *per eum qui dilexit nos.* Ὑπερνικῶμεν, *plus quam vincimus*, non tantùm non ab hoste opprimimur, verum etiam multum sumus illo superiores. Amat Paulus istiusmodi Composita : ὑπερπλεοναζω (1 Tim. 1. 14.), ὑπεραυξανω (2 Thess. 1. 3), ὑπερυψοω (Philipp. II. 9), ὑπερεκτεινω (2 Cor. X. 14), alia. Sensus est : *At enim* (αλλα) *ubi positi sumus* in (εν) *his malis* (℣. 35, in tribulatione, in angustiis, in periculis, cet.), *in illis omnibus egregie victores sumus* (ὑπερνικῶμεν), *idque per eum* (per auxilium nobis latum ab eo) *qui nos dilexit*, h. e. per Deum. Aoristus (αγαπησαντος) refertur ad eximium illud amoris argumentum, de quo Apostolus paulo ante (℣. 32) locutus fuerat. —Αλλα eam hoc loco vim habet ut *opponat* aliquid ex quo infertur remotio illius quod objectum fuerat.

℣. 38—39. *Certus sum enim, quia neque mors, neque vita*, cet.). Id quod modò (℣. 37) dixerat Apostolus, *in his omnibus egregiè victores sumus*, illud hic *confirmat* (γαρ) profitendo, certò sibi constare (πεπεισμαι), in tota rerum universitate nihil esse quod efficiat ut Deus justificatos deserat, puta, ipsis Deum non deserentibus. Sed quo efficacius doceat Apostolus, *nihil quicquam* esse quod justificatos removere queat ab amore Dei, *multa* enumerat quibus id fieri posse negat. *Neque mors, neque vita ;* h. e. sive vivant justificati, sive moriantur, in utrovis statu versentur, amor Dei erga illos perseverat. *Neque angeli, neque principatus, neque virtutes ;* tribus hisce nominibus integrum Angelorum chorum significat. Cf. Ephes. 1. 21. Coloss. I. 16. Sensus est : Nulla vis angelica, si qua attentaret [1] nos divellere ab amore Dei, efficere illud possit. *Neque instantia* (ενεστῶτα, *præsentia*), *neque futura ;* h. e. neque res quæ nunc sunt, neque illæ quæ futuræ sunt. *Neque altitudo, neque profundum ;* obscurum est quid rerum Paulus his verbis significare voluerit. Ἡ αγαπη του Θεου quæ hic dicitur, intelligendus est *amor Dei erga justificatos*, ut diximus ad ℣. 35. Qui verò existiment intelligendum esse *amorem justificatorum erga Deum*, videant quid respondeant illis qui hoc sensu præsentem locum interpretati eumdem opposuêre Catholicæ Ecclesiæ doctrinæ [2] *de finalis perseverantiæ incertitudine.*

De amore Dei erga justificatos præsentem locum interpretatus quoque est S. Athanasius (Orat. 3. contra Arianos) : *Id quod Verbo in Patre naturâ inest*, inquit, *hoc nobis per Spiritum ita vult dari ut sit irrevocabile. Quod cum non ignoraret Apostolus, ait : Quis nos separabit a charitate* Christi ? *Nam Dei dona et gratia vocationis irrevoca-*

---

(1) Ratiocinatur Apostolus *ab impossibili*, ut Gal. 1. 9 : *Sed licet nos aut Angelus de cœlo evangelizavimus vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.*

(2) Trident. Sess. VI. Cap. XIII, et Can. XVI.

bilia sunt[1] (Cf. Cap. XI. 29). Et iterum in decimâ epistolarum ejusdem festivalium [2]), ubi hæc leguntur : *Quamquam enim et afflictionibus istis eram oppressus gravibusque tentationibus subjectus , attamen , Deo nos roborante et consolante in afflictionibus , non timuimus ab extremitatibus terræ obsignare litteras vobisque notificare salutare festum nostrum paschale. Scripsi etiam ad presbyteros Alexandriæ ; noveram timorem qui et ipsis quoque injectus erat ab adversariis; monui autem illos ut in memoriam revocarent effatum Apostolicum, et dicerent : Nihil quicquam nos removet a dilectione* Christi : *neque afflictio , neque angustiæ , neque persecutio , neque fames , neque nuditas , neque periculum , neque gladius.*) Concinit et S. Ambrosius (*De Fide* , Lib. V. Cap. XV.) « Etiam illud, *inquit* , est considerandum , quod cum in superioribus dixerit : *Quis nos separabit a caritate* Christi ? subter posuit : *Neque mors , neque vita , nec alia creatura separare nos poterit a caritate Dei quæ est in* Christo Jesu. Videmus ergo eamdem caritatem Dei esse quæ Christi est. »

---

(1) Το γαρ κατα φυσιν ὑπαρχον τω Λογῳ εν τῳ Πατρι, τουτο ἡμιν αμεταμελητως δια του Πνευματος δοθηναι βουλεται· ὁπερ ὁ Αποστολος γινωσκων , ελεγε· Τις ἡμας χωρισει απο της αγαπης του Χριστου ; Αμεταμελητα γαρ τα χαρισματα του Θεου και ἡ χαρις της κλησεως.

(2) Epistolarum illarum, quæ omninò deperditæ putabantur, recentissimè reperta est Syriaca versio, quam publici juris fecit *Gulielmus Cureton*, Anglus. Titulus libri est : *The festal letters of* Athanasius , *discovered in an ancient Syriac version , and edited by* William Cureton. (Syriacè tantùm).London 1848. Quum locum quem inde adduximus esset prolixior, in recitando hic illic omisimus quæ ad rem nostram non faciebant. Athanasianas illas epistolas ex Syriacis Germanicas fecit F. Larsow. Lipsiæ 1852.

(3) ܐܦ ܓܝܪ ܘܡܐܘܠܨܢܐ ܐܠܝܨܝܢ ܐܢܫ
ܗܘܝܬ ܘܢܣܝܘܢܐ ܩܫܝܐ ܫܩܝܠܝܢ ܗܘܘ ܠܟܠܗ.
ܐܠܐ ܡܢ ܡܪܝܐ ܗܘ ܡܚܝܠܢ ܗܘܐ ܘܡܒܝܐܢ
ܠܢ ܒܐܘܠܨܢܝܢ . ܠܐ ܕܚܠܢ ܕܡܢ ܠܥܒܪ̈ܝܗ
ܕܐܪܥܐ ܢܚܬܘܡ ܘܢܘܕܥܟܘܢ ܦܨܚܐ ܦܪܘܩܝܐ
ܕܝܠܢ ✣ ܐܦ ܠܩܫܝ̈ܫܐ ܕܐܠܟܣܢܕܪܝܐ
ܡܢ ܟܬܒܬ ܗܘܝܬ . ܡܢ ܚܝܠ ܗܘܝܬ
ܠܕܚܠܬܐ ܕܫܩܝܠܐ ܗܘܬ ܐܦ ܠܗܘܢ ܡܢ
ܒܥܠܕܒܒܐ . ܡܪܬܐ ܗܘܬ ܕܝܢ ܥܗܕ
ܠܡܠܬܗܘܢ ܠܬܐܘܪܝܐ ܫܠܝܚܝܬܐ
ܘܠܡܐܡܪ . ܠܐ ܡܕܡ ܦܪܫ ܠܢ ܡܢ
ܚܘܒܗ ܕܡܫܝܚܐ . ܠܐ ܐܘܠܨܢܐ . ܠܐ ܐܠܨܐ
ܠܐ ܪܕܘܦܝܐ . ܠܐ ܟܦܢܐ . ܠܐ ܥܪܛܠܝܘܬܐ .
ܠܐ ܩܘܕܝܢܘܣ . ܠܐ ܣܝܦܐ ✣

CAPUT NONUM.

Argumentum. *Pertractato præcipuo suæ epistolæ themate de gratuita justificatione per fidem, Apostolus deinceps, capitibus tribus insequentibus, agit de Judæorum plerorumque exclusione ab evangelica illa gratia deque Gentilium ad eamdem admissione. Dicturus ergo de exclusione Judæorum, ne forte cuipiam videretur eâ de re sermonem instituere ex odio suorum popularium ut a quibus acerbissima quæque fuisset perpessus, orditur a declarando quantopere doleat vicem gentis suæ, cujus et dignitatem, quam habeat præ ceteris gentibus, ibi prædicat. Exclusionem tamen illam, de qua dicturus erat, cum res odiosa esset, nondum exprimit, sed tamen aliquo modo significat (* 1—6 *). Atque ita disputationem dexterè ingressus primùm docet, quòd pars Abrahamidarum exclusa sit ab evangelica salute, non ideò putandum esse eventu carere promissionem Dei* Abrahæ *et semini ejus factam de salute per Messiam obtinendâ; neque enim promissionem hanc pertinere ad omnes, sed dumtaxat ad electos; id quod ex typica* Isaaci *et* Jacobi *historia ostendit (* 6—14 *). At si Deus non omnibus evangelicam salutem impertitur, nonne injustus videatur? Respondet Apostolus impiam hanc cogitationem abominando, et docendo Deum nemini quidquam debere, sed in tribuendis suis beneficiis agere pro libertate gratuitæ suæ bonitatis; idque tùm ex aliquo Scripturæ sacræ effato tum ab exemplo* Pharaonis *indurati comprobat (* 14 — 19 *). Fingit porrò, esse qui sumpto argumento a* Pharaonis *illa obduratione, falsò inde inferat Deum injuriâ punire rebelles ut qui velit eos esse tales. Et ad blasphemam hanc illationem Apostolus respondet primò quidem indirectè, retundendo impudentem audaciam hominis qui non vereatur disceptare cum Deo quasi is injustè quid ageret; deinde verò directò, et responsum suum applicando materiæ quam tractat, scilicet ad Judæorum plerorumque exclusionem a salute evangelica et Gentilium ad illam salutem admissionem; quod utrumque ibi demonstrat a Prophetis quoque fuisse prædictum (* 19—30 *). Postremò declarat causam cur plerique Judæi exclusi sint a salute evangelicâ ipsorummet esse incredulitatem* (30—33).

℣. 1 — 5. Veritatem
dico in Christo , non men-
tior : testimonium mihi per-
hibente conscientia mea in
Spiritu sancto : 2 quo-
niam tristitia mihi magna
est , et continuus dolor
cordi meo. 3 Optabam enim
ego ipse anathema esse a
Christo pro fratribus meis,
qui sunt cognati mei se-
cundum carnem , 4 qui
sunt Israëlitæ , quorum
adoptio est filiorum , et
gloria , et testamentum , et
legislatio , et obsequium ,
et promissa : 5 quorum
patres , et ex quibus est
Christus secundum car-
nem, qui est super omnia
Deus benedictus in sæcula.
Amen.

℣. 1 — 5. Ἀλήθειαν
λέγω ἐν Χριστῷ , οὐ
ψεύδομαι , συμμαρτυ-
ρούσης μοι τῆς συνει-
δήσεώς μου ἐν Πνεύ-
ματι ἁγίῳ , 2 ὅτι λύπη
μοί ἐστι μεγάλη , καὶ
ἀδιάλειπτος ὀδύνη τῇ
καρδίᾳ μου· 3 ηὐχό-
μην γὰρ αὐτὸς ἐγὼ a)
ἀνάθεμα εἶναι ἀπὸ τοῦ
Χριστοῦ ὑπὲρ τῶν ἀδελ-
φῶν μου , τῶν συγγε-
νῶν μου κατὰ σάρκα·
4 οἵτινές εἰσιν Ἰσραη-
λῖται , ὧν ἡ υἱοθεσία ,
καὶ ἡ δόξα, καὶ αἱ δια-
θῆκαι b) , καὶ ἡ νομο-
θεσία , καὶ ἡ λατρεία ,
καὶ αἱ ἐπαγγελίαι· 5
ὧν οἱ πατέρες , καὶ ἐξ
ὧν ὁ Χριστὸς τὸ κατὰ
σάρκα , ὁ ὢν ἐπὶ πάν-
των Θεὸς εὐλογητὸς εἰς
τοὺς αἰῶνας. Ἀμήν.

Paraphrasis. Veritatem dico Christo unitus, non mentior , rem unà mecum attestante meâ sub ductu Spiritûs sancti conscientiâ : magnâ me affici tristitiâ et animum meum in continuo esse dolore. Optarem enim , si hoc modo saluti eorum consulere possem , æterno exitio a Christo separari pro salute fratrum meorum , cognatorum , inquam , meorum secundum carnem ; quippe qui Israëlitæ sunt , ii , quos Deus præ aliis gentibus sibi in filios adoptavit , quos sensibili sua præsentia dignatus est , cum quibus pacta iniit, quibus legem dedit , et religiosum præscripsit cultum , et Messiam promisit ; qui progenitores habent Patriarchas Abrahamum , Isacum et Jacobum ; denique , ex quibus ortus est Christus secundum humanam naturam, qui Deus est super omnia , laudandus in æternum. Amen.

VARIANS LECTIO.

a) Voces istæ , αυτος εγω , leguntur post αναθεμα ειναι in Codd. ABDEFG , eaque lectio alteri præferenda est.

b) Pro Plurali αἱ διαθηκαι est Singularis ἡ διαθηκη in Codd. BDEFG.

Ex iis quæ Apostolus hactenùs docuerat *de justificatione* sive Evangelica salute *gratuitò per fidem in* Christum obtinendâ, consequebatur exclusos ab hac salute fuisse Judæos plerosque, ut qui Christo fidem habere denegassent; e contra Gentiles magno jam numero ad hanc salutem fuisse admissos, ut qui Christo credidissent. Atqui ea vulgò erat Judæorum falsa persuasio ut putarent, salutem a Messiâ afferendam ex Dei promissione pertinere, Gentilibus exclusis, ad omnes et solos Israëlitas. Itaque duplex heic erat offensio: *una*, quòd plerique Judæorum ab hac salute excidissent; *altera*, quòd Gentiles quoque illius salutis facti fuissent participes. Paulus igitur corrigere volens falsam hanc persuasionem, deinceps (Cap. IX—XII) disputat de Judæorum a Messiana salute exclusione, deque Gentilium ad eamdem admissione. Atque hoc logico nexu dici potest hæc pars (Cap. IX—XII) epistolæ cum prima ejus parte (Cap. I—IX) cohærere.

ỳ. 1. *Veritatem dico in* Christo, *non mentior*, cet.). Dicturus ergo de Judæorum ab evangelica salute exclusione, ne cuipiam videretur eâ de re sermonem instituere ex odio suorum popularium ut a quibus acerbissima quæque fuisset perpessus, orditur a declarando quantopere doleat vicem gentis suæ et quam impenso amore fratres suos amet. *Αληθειαν* (sine Articulo) λεγω valet Nostratium *waarheid zeg ik*, aut Gallicum *je dis une verité.* Quod additur εν Χριστῳ non est formula juratoria quæ referat Hebraicum נִשְׁבַּע בְּ (Genes. XXII. 16); neque enim Paulus scripsit ὄμνυμι εν Χριστῳ (Cf. Matth. V. 34), sed simpliciter εν Χριστῳ, nec probari potest pro ομοσαι εν τινι alicubi ellipticè dictum fuisse simpliciter εν τινι. Habet tamen, ut mihi quidem videtur, illa dictio εν Χριστῳ hoc loco eam vim, ut mens loquentis sit dicere: *Testis mihi* Christus *est*, *me verum dicere.* Scilicet, dicendo εν Χριστῳ Apostolus se cogitat esse in Christo tamquam mystici ejus corporis membrum, cumque sic sibi præsentem testem invocat se verum dicere. Adjecit ου ψευδομαι, id quod affirmatione dixerat, negatione replicando ad majorem veritatis obtestationem, ut 1 Tim. II. 7. Cf. Joh. I. 20.

testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto). His verbis confirmat Apostolus quod modò dixerat *non mentior.* Græcè est συμμαρτυρουσης μοι της συνειδησεως μου, quæ verba ob Compositum συμμαρτυρουσης maluerim reddere *unà mecum rem attestante conscientiâ meâ*, ut dicere velit Apostolus: Non mentior, nam hoc verbis dico quod mente sentio. Quod autem additur εν Πνευματι ἁγιῳ, jungendum id est cum συμμαρτυρουσης, ut sensus sit: *rem simul attestante meâ sub ductu Spiritûs sancti conscientiâ.*

ỳ. 2. *quoniam tristitia mihi magna est, et continuus dolor cordi meo*). Pro *quoniam* rectius interpres noster scripsisset *quod*; nam ὅτι quod Græcè hic legitur, inservit ad *indicandum* quid sit id quod tantâ asseveratione affirmat. Est autem hoc: scilicet, *magna se affici tristitiâ et animum suum in continuo esse dolore.* Quam

ob rem? Tristitiæ suæ et doloris causam, quæ quidem erat Judæorum plerorumque ab Evangelica salute exclusio, in sequenti versu indicat, non tamen verbis apertis, sed tecto quodam modo, quum res odiosa esset.

℣. 3. *Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, cet.).* Hoc argumento *confirmat* (γαρ) quod dixerat antegresso versiculo, et simul doloris sui causam subindicat.—Vocem ηὐχομην, quam Vulgata reddidit *optabam*, rectius reddideris *optarem*. Vult enim Paulus hoc argumento probare *præsentem* suum erga Judæos amorem; quem profectò malè probasset ex eo quòd *aliquando anteacto tempore* eos amasset. Simile Imperfectum legitur in hoc epistolæ ad Galatas (Cap. IV. 20): Ἤθελον δὲ παρεῖναι πρὸς ὑμας ἄρτι, καὶ ἀλλάξαι τὴν φωνήν μου, ubi rectè Vulgata: *Vellem autem esse apud vos modò et mutare vocem meam.* Hujusmodi Imperfecta, ut monet Fritschius (ad h. l.), ad suppressam sententiam conditionalem referenda sunt [1]. Sensus ergo est: Si *hoc modo possem fratrum meorum saluti consulere, optarem,* cet. Αὐτὸς ἐγω, *ipse ego*, hoc sensu ut valeat *ego*; *ad me quod attinet.* Nota Apostolum scripsisse ἀνάθεμα εἶναι non ὑπὸ Χριστου, sed ἀπὸ Χριστου. Est autem ἀναθεμα ειναι απο Χριστου, dictum *prægnanter* pro αναθεμα ειναι και χωριζεσθαι απο Χριστου. Ab ανατιθημι (*sursum pono*) derivata vox est αναθημα, quo nomine a Græcis significabantur *donaria*, ut puta clypeus, phiala, alia, Diis *consecrata* ideòque in edito aliquo et conspicuo templi loco exposita vel e parietibus templi suspensa. Hoc sensu vox αναθημα in libris sacris Novi Testamenti semel tantum occurrit in hoc Lucæ (Cap. XXI. 5): και τινων λεγοντων περι του ἱερου, ὁτι λιθοις καλοις και αναθημασι κεκοσμηται, cet. Pro ἀνάθημα, quæ scriptura vocis Attica est, in recentiore Græcitate [2] scribi solebat ἀνάθεμα, sub quâ formâ hæc vox in libris Novi Testamenti aliquoties legitur, sed eo sensu ut significet rem aut personam exitio *sacratam* sive devotam. Atque hoc sensu, quo respondet Hebraico חֵרֶם, vox αναθεμα in præsenti quoque loco sumenda est. Dicit ergo Paulus: *Optarem, si hoc modo saluti eorum consulere possem, æterno exitio a* Christo *separari pro* (ὑπερ), *salute fratrum meorum* [3]), *cognatorum, inquam, meorum secundum carnem.*

---

(1) Cf. Kühner §. 438. 3; item Bernhardy p. 374, qui de istiusmodi Imperfectis hæc notat: *In allen solchen Fälle, geht das Imperfectum auf eine begleitende oder vorgängige Bedingung zurück, sie mag nun ausgesprochen oder aus ihm selber zu entnehmen sein.*

(2) Moeris (p. 28 apud Fritschium ad h. l.): Ἀνάθημα ἀττικῶς, ἀνάθεμα ἑλληνικῶς. Cf. Lobeck ad Phrynichum p. 249.

(3) «Hinc patet, ait Cornelius a lapide (ad h. l.), cuilibet viro sancto idem licere optare, scilicet, ut deleatur de libro vitæ, et separetur a fruitione et beata societate Christi et sanctorum in cœlis, sine tamen sua culpa; dummodò hac ratione et conditione positâ, multi alii Deum agnoscerent, diligerent et bearentur. Hoc enim majus est Dei bonum et gloria quam sit mea unius beatitudo.... Optatio hæc Pauli pia, sancta, et efficax fuit ex parte et voluntate ipsius; ex

ỳ. 4—5. *qui sunt Iraëlitæ*, cet.). Græce *οἵτινες* , *quippe qui* , ut supra Cap. I. 25. Apostolus hic exponit varias (ỳỳ. 4—5) rationes ob quas populares suos tantopere diligat, ut optaret pro iis *anathema esse a Christo*. Sunt autem petitæ rationes illæ omnes a Judaicæ Gentis præcellentia. *Israëlitæ sunt.* Hoc *Prædicato* continentur omnes quæ porrò enumerantur Judaicæ Gentis prærogativæ.

quorum adoptio est filiorum). Obscurius hæc reddita sunt. Græce est composita vox *υἱοθεσία* , *adoptio*. Sensus est : Quos Deus præ aliis gentibus elegerat ac veluti in filios adoptaverat. Bene Estius (ad h. l.) : Apostolus , *inquit* , non eam intelligit *adoptionem* , de qua locutus fuerat capite superiori, quæ Novi Testamenti filiis propria est ; dicuntur enim hæc de Judæis reprobis, quorum cæcitatem luget Paulus ; sed *adoptionem* significat , qua filios Israël , præteritis aliis gentibus , sibi in peculium Deus elegerat. unde populum illum ut *filium* habuit ac fovit , multis ac præclaris in eum collatis beneficiis ; imo *filium* nominavit ; ut Exodi IV : *Filius meus primogenitus* Israël ; et iterum (ibid.) : *Dimitte filium meum* , *ut serviat mihi.* »

et gloria). Græcè *καὶ ἡ δόξα*. Intelligitur divinæ majestatis præsentia Israëlitis olim in nube et igne conspicua [1] ; quæ quidem gratiosa Dei præsentia Exod. XL. 34 vocatur כְּבוֹד יְהוָֹה , *ἡ δόξα τοῦ Κυρίου*. Ejus vocis loco Judæi seriores ad hanc rem indicandam usi sunt voce שְׁכִינָה (a שָׁכַן) , h. e. *habitatio* , *cohabitatio* divina , sive Dei præsentia.

et testamentum). Græcè in Plurali , *αἱ διαθῆκαι* , quæ lectio alteri præferenda est. Intelliguntur autem varia illa *pacta* (*διαθῆκαι*) a Deo cum Israëlitarum progenitoribus inita , de possidenda terra Canaan , de sacerdotio , de regno , cetera. Cf. Ephes. Cap. II. 12. Sunt interpretes qui existiment *testamenta* (*αἱ διαθῆκαι*) , ea hic intelligi quæ dicuntur *testamentum vetus et novum ;* sed quid Judæis carnalibus , de quibus hic agitur , cum fœdere gratiæ ? Alii existimarunt designari *duas tabulas* , quibus digito Deo inscripta fuêre Decalogi præcepta ; sed quod Israëlitæ divinitùs legem

---

parte tamen objecti non fuit omninò absoluta et efficax. Optabat enim rem impossibilem et repugnantem ordinationi divinæ. Deus enim ordinavit ut mea salus et beatitudo sit medium ad Dei gloriam et salutem ac beatitudinem proximorum promovendam et augendam ; non autem ordinavit ut privatio beatitudinis meæ sit medium et procuratio salutis alienæ , idque optimè sciebat Paulus ; unde simpliciter loquendo actus hic sive votum et optatio hæc in eo non potuit esse plane absoluta et efficax. »

(1) Exod. XIII. 21 sq. *Dominus autem præcedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis , et per noctem in columna ignis ; ut dux esset itineris utroque tempore. Numquam defuit columna nubis per diem , nec columna ignis per noctem, coram populo.* Confer etiam Exod. XXIV. 17. XL. 32—36. Num. Cap. IX. 15 sqq. 3 Reg. VIII. 10—11.

acceperint , deinceps dicitur ; pergit enim *και ἡ νομοθεσία* , *et legislatio* (scil. Sinaitica).

et obsequium et promissa). Pro *obsequium* Græce est *ἡ λατρεια* , qua voce hic significatur præscriptus a Deo Israëlitis *cultus* externus , cujus potior pars sacrificiis constabat. *Promissa* autem (*αἱ ἐπαγγελίαι*) intelliguntur repetitæ illæ promissiones divinæ de venturo MESSIA.

quorum patres). Græcè *ὧν οἱ πατερες* scil. *εισι*. Sensus est : Qui progenitores habent eximios illos sanctosque viros , Patriarchas ABRAHAMUM , ISACUM et JACOBUM.

et ex quibus est Christus secundum carnem , qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen). Postremo loco recensetur præcipua Israëlitarum prærogativa ; hæc scilicet, quod ex illis [1] ortus esset MESSIAS *secundum humanam naturam* (*τὸ κατα σαρκα*). Quod dicit Apostolus *secundum humanam naturam* , eo præparat insequentem antithesin , qua divinam quoque MESSIÆ naturam prædicat , dicens *qui est super omnia Deus*. Quod additur , *ευλογητος εις τους αἰωνας. Αμην*, *laudandus in æternum. Amen* , doxologia est in CHRISTUM Deum-hominem.[2] Præsens locus imprimis notandus est ob præclarissimum CHRISTI divinitatis testimonium . Quare et antiqui Patres , ATHANASIUS [3] , HILARIUS [4] , AMBROSIUS [5] , CYRILLUS ALEXANDRINUS [6] , alii , hoc Scripturæ testimonio passim usi sunt contra Arianos. Ex quo concludere licet quid dicendum sit

---

(1) Ex illis , scil. Israëlitis ; scribitur enim ET *ex quibus* ; si deesset conjunctiva Particula ET , εξ ὧν referendum foret ad antegressum οἱ πατερες.

(2) Aliquantulum liberius ; ceterum perspicue Syrus Interpres hunc locum sic reddidit :

ܘܡܢܗܘܢ ܐܬܚܙܝ ܡܫܝܚܐ ܒܒܣܪ
ܕܐܝܬܘܗܝ ܐܠܗܐ ܕܥܠ ܟܠ . ܕܠܗ
ܬܫܒ̈ܚܢ ܘܒܘܪ̈ܟܢ ܠܥܠܡ ܥܠܡܝܢ ܀

h. e. *Ex quibus apparuit* MESSIAS *in carne , qui est Deus super omnia , cui* (sint) *laudes et benedictiones in sæculum sæculorum. Amen.*

(3) Ep. ad EPICTETUM contra Hæreticos ; item Orat. 1. contra Arianos.

(4) De Trinitate, Lib. VIII. 37.

(5) De Fide , Lib. 1. Cap. IX.

(6) Ῥωμαιοις δε παλιν επιστελλων , inquit , οὑτω φησιν (ὁ Παυλος)· ἐξ ὧν ὁ Χριστος το κατα σαρκα, ὁ ων επι παντων θεος ευλογητος εις τους αιωνας· αμην. Ει δε ανθρωπον ηπιστατο τον Χριστον , εδει λεγειν· εξ ὧν ὁ Χριστος το κατα σαρκα , εν ᾧ ὁ επι παντων θεος· νυν δε τουτο μεν ουκ ειρηκε, θεον δε τον Χριστον επι παντων μεγαλοφωνως απεφηνεν. Ου μην δε, αλλα γε κακεινο διασκεψωμεθα, ὡς ει μη θεον ἁμα και ανθρωπον ηπιστατο τον Χριστον , ουκ αν ελεγεν το κατα σαρκα· τουτο γαρ φανερως επι τον μη μονον ανθρωπον αλλα και καθ' ἑτερον τι την ουσιαν οντος λεγεται· ὡσπερ ουν και επηγαγεν , ὁ ων επι παντων θεος· διπλην γαρ ενταυθα την περι του σωτηρος ἡμων ὁμολογιαν παραδεδωκεν, και το κατα σαρκα επιδειξας , και θεον ανακηρυξας. S. CYRILLUS ALEXANDRINUS. *Homilia de virgine Deipara.* Hoc CYRILLI opus recentissime in Codicibus Vaticanis repertum fuit editumque ab Em. Card. ANG. MAIO in *Scriptorum Veterum Nova Collectione* , *Romæ* , 1833. *Tom. VIII. p.* 118 , ad calcem voluminis , sed græcè tantum ; quare meam hic subjicio latinam Cyrilliani illius loci interpreta-

de Henr. Meyero exclamante, rem notatu dignam esse, præsentem Apostoli locum a Patribus non fuisse adhibitum in controversiis cum Arianis [1]).

De Accusativo το in dictione το κατα σαρκα, videsis Kuehnerum §. 557. *Anm.* 4. Ceterum, observandum est ὁ ων dici *relativè* pro ὁς εστι, ut 2 Cor. XI. 31: ὁ Θεος και πατηρ του Κυριου Ιησου οιδεν, ὁ ων ευλογητος εις τους αιωνας, ὁτι ου ψευδομαι; et Joh. I. 18: ὁ μονογενης υἱος ὁ ων εις τον κολπον του Πατρος, εκεινος εξηγησατο. Confer etiam Joh. XII. 17. In dictione illa ὁ ων notandus est usus Articuli loco Pronominis Relativi. Qua de re vide Matthiä §. 292 et Kuhner §. 482. Itaque verba ista, ὁ ων επι παντων Θεος, Prædicatum sunt Christi Jesu. In dictione επι παντων, vox παντων Neutro Genere sumenda est et referenda ad creatarum rerum universitatem [2]); dicitur autem Christus Θεος επι παντων, quia, sicut alibi (Coloss. I. 17—16.) docet Apostolus, εν αυτῳ εκτισθη τα παντα, τα εν τοις ουρανοις και τα επι της γης, τα ὁρατα και τα αορατα, τα παντα δι' αυτου και εις αυτον εκτισται, και εν αυτῳ συνεστηκε. Verba ὁ ων επι παντων Θεος Belgicè reddiderim *die over alles God is*: ὁ παντοκράτωρ, Apoc. XV. 3.

Tischendorfius, Erasmum secutus, præsentis loci verba in recentissima sua Novi Testamenti Græci editione ita interpunxit: και εξ ὧν ὁ Χριστος το κατα σαρκα. Ὁ ὢν επι παντων Θεος ευλογητος εις τους αιωνας, αμην. Quæ interpunctio si admittenda foret, jam nullum amplius ex hoc loco haberetur divinitatis Christi testimonium, quum sic verba illa, ὁ ὢν επι παντων Θεος ευλογητος, non ad Christum sed ad Deum essent referenda. Atque ipsa hæc Rationalistarum de Paulino hoc loco sententia est; et monent, istiusmodi doxologias, qualem verba illa

---

tionem. « *Et iterum ad Romanos scribens sic dicit* (Paulus): Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen. *Si autem hominem tantum cognovisset* Christum, *oportebat eum dicere*: Ex quibus est Christus secundum carnem, in quo est super omnia Deus. *Nunc verò non hoc dixit, sed* Christum *sublimiter Deum super omnia prædicavit. Neque hoc solum, sed et illud consideremus, quod nempe si* Christum *non cognovisset Deum pariter atque hominem, non diceret*, secundum carnem, *hoc enim evidenter dicitur de eo qui non solummodo homo est sed et secundum aliud quid* ουσιωδως *existit, quemadmodum igitur etiam adjecit*, Qui est super omnia Deus. *Etenim duplicem ibi de Salvatore nostro confessionem tradidit, et hominem eum secundum carnem demonstrans, et eumdem Deum prædicans.*

(1) Henr. Meyer (*Kommentar uber den Römerbrief.* Gottingen. 1836. ad h. l.): « Merkwurdig, *inquit*, dass in den Arianischen Streitigkeiten kein Gebrauch von unsere Stelle gemacht ward. Erst Spätere wenden sie ausdrücklich gegen Arius an, zum Beyspiel, Oecumenius. »

(2) S. Hilarius, *de Trinitate* Lib. VIII. 37: « Non ignorat Paulus, *inquit*, Christum Deum, dicens: *Quorum patres et ex quibus* Christus, *qui est super omnia Deus.* Non hic creatura in Deum deputatur; sed creaturarum Deus est, qui *super omnia* Deus est.

ὁ ὢν ἐπι, cet. exprimunt, nuspiam de CHRISTO dici, imò nec omnino CHRISTUM a PAULO Deum vocari.

Sed WINERI isthæc interpunctio et falsissima est, et maximam arguit in editore temeritatem; nam ex Codicibus, qui quidem verborum interpunctionem habent, Wineriana illa interpunctio in uno tantum Codice 47 cernitur. Ad hæc, antiquæ versiones aut omninò eam respuunt, aut certè eidem non suffragantur. Denique ex Græcis Patribus nullus est qui in hoc loco aut interpretando aut usurpando verba Apostoli sic intellexerit ut intelligenda forent secundum Winerianam illam interpunctionem [1].

---

(1) Negat hoc HENR. MEYERUS (ad h. l.), ut qui WETSTENIUM (ad h. l.) secutus affirmat, IGNATIUM, ORIGENEM, ATHANASIUM, BASILIUM, et GREGORIUM NYSSENUM illa PAULI verba, ὁ ὢν ἐπι παντων Θεος cet., non retulisse ad CHRISTUM, sed ea habuisse pro doxologia ad Deum Patrem referendâ.

Falsa heic omnia. Nam ut ab IGNATIO ordiamur, is, quem citat WETSTENIUS, non est IGNATIUS, sed auctor epistolarum ad Tarsenses et ad Philippenses; quæ epistolæ feruntur quidem sub nomine IGNATII, sed supposititiæ sunt. Ad hæc, pseudo-Ignatius ille non agit de Paulino illo loco; imo PAULUM ne nominat quidem, sed simpliciter increpat (Ep. ad Tarsenses Cap. II et V, et Ep. ad Philippenses Cap. VII) *quosdam ministros Satanæ* (sc. Novatianos. Cf. EPIPHAN. Hær. 57), qui dicebant CHRISTUM *non esse ex Virgine sed esse ipsum eum qui est super omnia Deus*, negantes divinarum Personarum trinitatem.

Ad ORIGENEM verò quod attinet, apertè ille PAULINUM illum locum ad CHRISTUM refert. « Miror, *inquit* (Commentar. Lib. VII ad h. l.), quomodo quidam legentes quod idem Apostolus in aliis dicit: *Unus Deus Pater, ex quo omnia, et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia*, negent Filium Dei Deum debere dici, ne duos Deos dicere videantur. Et quid de hoc loco Apostoli (Cap. IX. 5) facient, in quo aperte Christus *super omnia Deus* esse perhibetur?

Porrò, de ATHANASIO suffecerit monuisse, eum in epistola secunda ad SERAPIONEM scripsisse in hanc sententiam: Αιδιου τοιγαρουν οντος του Πατρος, αναγκη και τον υἱον αιδιον ειναι· ἁ γαρ αν εν τῳ Πατρι νοησωμεν, ταυτα και εν τῳ υἱῳ ειναι ουκ αμφιβολον, λεγοντος αυτου του Κυριου· Παντα, ὁσα εχει ὁ Πατηρ, εμα εστι· και τα εμα παντα του Πατρος εστιν. Αιωνιος γουν εστιν ὁ Πατηρ· αιωνιος εστι και ὁ υἱος· δι' αυτου γαρ οἱ αιωνες γεγονασιν. Ὢν εστι ὁ Πατηρ, αναγκη και ὁ υἱος, ὁ επι παντων θεος ευλογητος εις τους αιωνας, αμην, ὡς ειπεν ὁ Παυλος. *h. e.* « Itaque quia æternus est Pater, necesse est Filium quoque esse æternum. Quæcumque enim in Patre esse intellexerimus, non est dubitandum quin hæc eadem sint in Filio, cum ipse Dominus dicat: *Omnia quæcumque habet Pater mea sunt*, et mea omnia Patris sunt. Itaque æternus est Pater; æternus item est Filius, siquidem per illum facta sunt sæcula. Æternùm existens est Pater; æternùm existens quoque est Filius, *qui* ὢν (æternùm exsistens) *est super omnia Deus benedictus in sæcula, Amen*, ut ait PAULUS.»

BASILIUS itidem (adv. EUNOMIUM Lib. IV. Cap. 2) disertis verbis docet PAULI illa verba, ὁ ὢν επι παντων θεος ad CHRISTUM esse referenda: Πασαν δε φιλονεικιαν αυτων, inquit, αποκλειουσιν αἱ θειαι γραφαι, Μωσεως μεν βοῶντος περι του υἱου· ὁ ὢν με απεστειλε· του δε ευαγγελιστου· εν αρχῃ ην ὁ λογος· και ὁ Παυλος· ὃς ων απαυγασμα της δοξης· και· ὃς εν μορφῃ θεου ὑπαρχων· και παλιν· ὁ ων επι παντων θεος ευλογητος. h. e. « Omnem autem ipsorum contentionem excludent divinæ Scripturæ, cum MOSES quidem clamet de Filio: *Qui est misit me*; et Evangelista: *In principio erat Verbum*; et PAULUS: *Qui cum sit splendor gloriæ*; et, *Qui cum in forma Dei esset*; et rursus, *Qui est super omnia Deus benedictus.*»

Denique GREGORIUS NYSSENUS et ipse quoque

Quod verò dicunt Rationalistæ, doxologias, qualem præsens Pauli locus continet, nuspiam alibi de Christo adhiberi, id quidem falsissimum est. Nam et similis doxologia in Christum legitur 2 Petr. III. 18, et ipse Paulus in posteriore epistola ad Timothéum (Cap. IV. 18) in *Dominum* Jesum dixit: ῷ ἡ δοξα εις τους αιωνας των αιωνων. Αμην. Scio esse qui negent posteriorem hunc locum ad Christum esse referendum; sed eum, quem Apostolus ibi κυριον vocat, intelligendum esse τον κυριον Ιησουν Χριστον, certum est ex contexta oratione. Conferantur (ibid.) versus octavus t vigesimus secundus.

Tandem, quod iidem affirmant Christum a Paulo nuspiam Deum vocari, id etiamsi verum esset, causam tamen eorum nihil juvaret. Fac enim, Paulum Christo passim ea tribuisse, ut re vera fecit, quæ soli Deo conveniunt, profectò non minus apertè eum sic Deum prædicasset quam si ipsum hoc nomen *Dei* eidem tribuisset. Verùm falsissimum est, Christum nuspiam a Paulo *Dei* nomine vocari. Nam, ut hoc utar, in Paulino illo sermone, quem Lucas recitavit (Act. Ap. Cap. XX. 28), Apostolus τον Θεον vocat eum *qui suo sanguine Ecclesiam* sibi acquisivit. Et in epistola ad Titum Christus vocatur a Paulo ὁ μεγας Θεος και σωτηρ ἡμων [1]. Addantur Philipp. II. 6. Coloss. II. 9.

Rationalistarum interpretationi etiam hoc obstat, quod, si verba ista, ὁ ων επι παντων Θεος ευλογητος εις τους αιωνας· αμην, doxologia forent non in Christum, quod SS. Patres docent, sed in Deum Patrem, quod ipsi volunt, Paulus non illo ordine verba sua posuisset, sed scripsisset ευλογητος εις τους αιωνας ὁ ων επι παντων Θεος, quemadmodum fecit 2 Cor. I. 3 et Ephes. I. 3. Confer etiam Luc. I. 68 et 1 Petr. I. 3. Obstat etiam hoc, quod scilicet nulla ratio apparet cur Apostolus heic doxologiam in Deum Patrem dicere voluisset, quum de Deo Patre non loqueretur, sed de Christo et de gentis Israëliticæ prærogativis.

---

apertissimis verbis Paulinam illam doxologiam ad Christum retulit in decima sua oratione contra Eunomium. Παυλος, inquit, ὁς ου μονον Θεον, αλλα και μεγαν Θεον, και επι παντων Θεον ονομαζει τον Κυριον, προς μεν Ρωμαιους λεγων· ὁτι ὡν οἱ πατερες και εξ ὡν ὁ Χριστος το κατα σαρκα, ὁ ων επι παντων Θεος ευλογητος εις τους αιωνας· Προς δε τον μαθητην ἑαυτου Τιτον γραφει· κατα την επιφανειαν του μεγαλου Θεου και σωτηρος ἡμων Ιησου Χριστου. Τιμοθεῳ δε διαρρηδην βοᾷ· ὁτι ὁ Θεος εφανερωθη ν σαρκι, εδικαιωθη εν πνευματι. h. e. « Paulus, qui non solum Deum, sed etiam magnum Deum, et super omnia Deum nominat Dominum; ad Romanos quidem dicens: *Quorum patres, et ex quibus est Christus secundum carnem qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.* Ad Titum autem discipulum suum scribit: *In apparitione magni Dei et Salvatoris nostri* Jesu Christi; et ad Timotheum aperte clamat: *Deus manifestatus est in carne, justificatus in Spiritu.* »

(1) Vide quæ de hoc loco notavi in *Grammatica Græcitatis librorum Novi Testamenti*, quæ nunc prælo subjecta est. Pag. 123, sqq.

ŷ. 6—9. Non autem quòd exciderit verbum Dei. Non enim omnes qui ex Israël sunt, ii sunt Israëlitæ : 7 neque qui semen sunt ABRAHÆ, omnes filii : sed in ISAAC vocabitur tibi semen : 8 id est, non qui filii carnis, hi filii Dei : sed qui filii sunt promissionis, æstimantur in semine. 9 Promissionis enim verbum hoc est : Secundum hoc tempus veniam : et erit SARÆ filius.

ŷ. 6—9. Οὐχ οἷον δὲ ὅτι ἐκπέπτωκεν ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ· οὐ γὰρ πάντες οἱ ἐξ Ἰσραὴλ, οὗτοι Ἰσραὴλ [a]· 7 οὐδ' ὅτι [b] εἰσὶ σπέρμα Ἀβραὰμ, πάντες τέκνα· ἀλλ' ἐν Ἰσαὰκ κληθήσεταί σοι σπέρμα· 8 τουτέστιν, οὐ τὰ τέκνα τῆς σαρκὸς, ταῦτα τέκνα τοῦ Θεοῦ· ἀλλὰ τὰ τέκνα τῆς ἐπαγγελίας λογίζεται εἰς σπέρμα. 9 Ἐπαγγελίας γὰρ ὁ λόγος οὗτος· Κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον ἐλεύσομαι, καὶ ἔσται τῇ Σάῤῥᾳ υἱός.

Paraphrasis. Quamquam verò lugeo tot Israëlitarum a Messiana salute exclusionem, nequaquam tamen dixerim irritas factas fuisse promissiones Dei de beandis Abrahamidis per MESSIAM. Neque enim omnes qui carnali propagatione ex ISRAËLE orti sunt, jam eo ipso Israëlitæ sunt tales ad quos Dei illæ promissiones pertinent. Neque omnes qui ex semine ABRAHÆ nati erant pro filiis ejus fuêre habiti, sed solus ISAAC, dicente Deo ABRAHÆ : ISAAC filius et heres tuus erit. Qua re gesta typicè significabatur, eos demum pro Dei filiis censeri non quos naturalis vis generandi procreasset, sed qui filii essent promissionis, hoc est qui supernaturali divinæ gratiæ virtute nascerentur. Nam divinitùs promissus fuit ISAAC parentibus ad generandum ineptis hoc sermone : Ipso hoc tempore post annum revolutum redibo, et erit SARÆ filius.

VARIANS LECTIO.

a) Pro Ισραηλ est Ισραηλειται in Codd. DFG, et nonnullis Minusculis, eamque lectionem exhibent quoque versiones Itala et Vulgata. Lectio Ισραηλειται correctio videtur librarii, qui quum sentiret vocem Ισραηλ secundo loco positam referendam esse ad ISRAËLIS sive JACOBI posteros, putaverit pro Ισραηλειται mendosè scriptum fuisse Ισραηλ.

b) Pro ὅτι est in Vulgata *qui* ; sed putaverim auctorem Vulgatæ scripsisse *quia*, quum ὅτι hoc loco constanter legatur in Græcis Codicibus et antiquis versionibus. Accedit, *quia* heic lectum quoque fuisse AMBROSIO, PRIMASIO, aliis. Vide SABATIER. Nec desunt Codices Vulgatæ qui lectionem *quia* exhibent.

℣. 6. *Non autem quod exciderit verbum Dei).* Quum Judæi vulgo essent in falsa illa sententia ut putarent salutem a Messia afferendam ex Dei promissione pertinere, Gentilibus exclusis, ad omnes et solos Judæos, jam ex illa tot Judæorum ab illa salute exclusione, quam Paulus deplorabat, consequi videbatur irritam factam fuisse promissionem Dei de semine Abrahæ sive Israëlitica gente per Messiam beandâ. Quam falsam consequentiam Apostolus hic præoccupaturus hac transitione utitur ut dicat: *ουχ οἱον δε ὁτι εκπεπτωκεν ὁ λογος του Θεου.* Quorum verborum sensus hic est: Quamquam verò lugeo tot Israëlitarum a Messiana salute exclusionem, nequaquam tamen dixerim irritas factas fuisse *promissiones Dei* (*τον λογον του Θεου*) de beandis Abrahamidis per Messiam.—Elliptica est hoc loco Apostoli oratio, et supplenda vox *λεγω, dico.* Puta Paulum scripsisse: *ου λεγω δε οἱον ὁτι εκπεπτωκεν ὁ λογος του Θεου*, *non dico autem* (per id quod dixi me deplorare, cet.) *quale est hoc quod exciderit verbum Dei.* *Ὁ λογος του Θεου* intelliguntur illæ *επαγγελιαι*, quas paulò ante (℣. 4) memoraverat. Quæ *irrita* cadunt promissa, *excidere* (*εκπιπτειν*) dicuntur, hebraica phrasi, ut videtur [1]. Confer נָפַל, *cecidit*, in illo Josue Cap. XXI. 45: לֹא נָפַל דָּבָר מִכֹּל הַדָּבָר הַטּוֹב אֲשֶׁר־דִּבֶּר יְהוָֹה אֶל־בֵּית יִשְׂרָאֵל הַכֹּל בָּא; quæ in Vulgata liberius sic reddita sunt: *Ne unum quidem verbum, quod illis præstiturum se esse promiserat, irritum fuit, sed rebus expleta sunt omnia.* Pro simplici נָפַל plenius quoque dicebatur נָפַל אַרְצָה *cecidit in terram*, ut in hoc 2 (Vulg. 4) Reg. X. Cap. 10: לֹא יִפֹּל מִדְּבַר יְהוָֹה אַרְצָה. Verbo נָפַל hoc sensu adhibito respondet בָּא, *evenit.* Metaphora unde ducta sit, non satis constat.

non enim omnes qui ex Israël sunt, ii sunt Israëlitæ). Assumptum *probat* (*γαρ*), monendo non omnes qui carnali propagatione ex Israële (h. e. Jacobo) orti sunt, jam eo ipso esse Israëlitas, quos divinæ promissiones respiciant. *Neque enim omnes*, inquit, *qui ex* Israële, h. e. *ex* Jacobo *patriarcha* (Cf. Genes. XXXII. 28) *carnaliter sunt prognati, eo ipso jam sunt verus* Israël, Israël, inquam, ille ad quem propriè pertinent divinæ promissiones (*ὁ λογος του Θεου.* ℣. 4). Vocem Israël bifariam hoc versu Apostolus adhibet. Nam priori quidem loco dicitur de Israële sive Jacobo patriarcha (Cf. Genes. XXXII. 28), posteriori verò de Israëliticâ Gente ex ipso oriundâ. Quinam verò sint Israëlitæ tales ad quos divinæ promissiones pertinent, Apostolus hic nondum dicit, dicturus infra.

℣. 7—8. *Neque qui semen sunt* Abrahæ, *omnes filii, sed in* Isaac *vocabitur tibi semen; id est: non qui filii carnis, cet.).* Quod antegresso versu

(1) Nam et Græcos simili modo locutos invenias. Certe Pindarus (Pyth. VI, 37) dixit χαμαιπετὲς ἔπος. Latinis quoque *vota cadere* dicuntur cum irrita fiunt.

Apostolus universè monuerat, hoc distinctius hic explicat, argumentando ex iis quæ de varia Abrahami progenie sacra historia enarrat; cujus historiæ typicum sensum (ỳ. 8. *τουτεστιν*) aperit.

Oeconomia salutis in regno Christi sive in Ecclesia consequendæ per quædam veluti lineamenta adumbrata fuit in rebus et personis theocratici illius regni, quod exordium duxit a vocatione Abrahæ ex ur civitate Chaldæorum. Typicum hunc sacræ historiæ sensum Apostolus cum alibi docuit, tum etiam in præsenti loco indicat.

Filios Abraham progenuit, ut sacra historia narrat, ex Agare, ex Cetura, et ex Sara. Atqui exclusis Ismaële et qui deinceps ex Cetura nati sunt filiis, solus Isaac ex Sara genitus a Deo electus est qui pro Abrahæ filio haberetur. Hoc Apostolus significat dum dicit: *Neque proptereaquod* (ὅτι) *semen* Abrahæ *sunt* (ex semine Abrahæ nati sunt), *jam eo ipso omnes qui inde nati sunt pro* Abrahæ *filiis habentur; sed solus* Isaac *pro* Abrahæ *filio habitus fuit, sicut Deus illi dixit* (Genes. XXI. 12): In Isaac vocabitur tibi semen; h. e. Isaac, promissionis sive gratiæ filius, hic demum, non Ismaël, filius tuus erit et heres bonorum quæ tibi spopondi.

Erat in quo Isaaci nativitas a ceterorum Abrahæ filiorum nativitate differebat; nam ceteri omnes sola naturali gignendi virtute fuêre procreati, Isaac autem progenitus fuit præter naturæ vim, a parentibus, inquam, jam per ætatem ad generandum ineptis, imo et e matre per naturam sterili; divinitùs quoque *promissus* filius erat Isaac, non item reliqui Abrahæ filii. Igitur pro Abrahæ filio a Deo habitus is tantum fuit, qui non simpliciter ab Abrahamo fuerat procreatus sed hoc fuerat vi divinæ promissionis et gratiæ, qua parentibus ceteroquin ad generandum jam ineptis concessa fuit nova generandi facultas; ut adeò Isaac ob supernaturalem ejus nativitatem esset quodam modo filius Dei. Erat autem, interprete Apostolo (ỳ. 8), Isaaci hæc nativitas figura sive typus illius nativitatis, qua ex Abrahamo nati renasci debebant quotquot futuri essent participes salutis a Messia afferendæ. Cum ergo Abrahamidæ sive Israëlitæ, ad quos quidem promissa Abrahæ Messiana salus pertineret, ii demum essent qui divinâ gratiâ adeoque supernaturaliter essent nati, eaque nativitas penderet a fide Messiæ habendâ, consequebatur id quod erat probandum, scilicet, *verbum Dei non excidisse* (ỳ. 6), quamquam Israëlitarum plerique a participatione Messianæ salutis fuissent exclusi, quum hi, utpote increduli adeoque nec sicut Isaac supernaturaliter nati, non ii essent Israëlitæ, ad quos *Dei* illud *verbum* pertinebat.

---

(1) Nota, Apostolum hoc loco verba S. Scripturæ ista, *εν Ισααχ κληθησεται σοι σπερμα*, orationi suæ inseruisse, nulla præmissâ formulâ, quâ moneret lectores, ire se Scripturæ effatum aliquod adductum. Adduxit autem secundum Versionem Septuaginta-viralem, quæ hic verbotenus refert Hebraicum בְּיִצְחָק יִקָּרֵא לְךָ זָרַע, *In* (personâ) Isaac *vocabitur tibi* (in Dativo Commodi) *semen*=proles, filius.

Messias *in propria venerat, sed sui magnam partem eum non receperant. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus; qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Joh. I. II. 13 11—13.

Typicum historiæ Ismaelis et Isaaci sensum de quo diximus, Apostolus aperit (℣. 3) hisce verbis: *Id est, non filii carnis*, h. e. non ii qui humana tantum et naturali generatione Abrahæ filii sunt, jam eo ipso quoque *sunt filii Dei* [1]), *sed illi demùm pro Dei filiis censentur* (*λογιζεται εις σπερμα*) *qui filii sunt promissionis*, hoc est, nati supernaturali divinæ gratiæ virtute [2]).

Σαρκος est Genitivus *causæ* sive *originis*: *quos caro genuerit*. Dictio *λογιζεται εις*, *reputari in*, refert Hebraicam נֶחְשַׁב לְ.

℣. 9. *Promissionis enim verbum hoc est: secundum hoc tempus veniam; et erit* Saræ *filius*). Typica Apostoli argumentatio in eo nitebatur quod natus esset Isaac non naturalibus parentum ad procreandum viribus, sed divinæ promissionis gratiâ atque virtute. Hoc ergo hic *probat* (*γαρ*) Apostolus; sed cum historia esset notissima, contentus est tribus verbis lectorum suorum animos revocare ad memoriam rei Geneseos Capite XVIII. 9—16 enarratæ. Quæ autem inde affert, verba sunt angeli ex persona Dei ad Abrahamum loquentis. Ceterum locum adduxit non verbotenùs, sed ad sensum. Nam in versione Septuaginta-virali legitur ibi: *επαναστρεφων ἥξω προς σε κατα τον καιρον τουτον εις ὥρας, και ἕξει υἱον Σαῤῥα ἡ γυνη σου.* Hebræus autem habet: שׁוּב אָשׁוּב אֵלֶיךָ כָּעֵת חַיָּה [3]) וְהִנֵּה־בֵן לְשָׂרָה אִשְׁתֶּךָ; quo loco כָּעֵת חַיָּה

---

(1) Etiam hoc, quod Apostolus hic dicit *filii Dei* non vero *filii* Abrahæ, argumento est, eum typicum historiæ sensum hic aperire. Idem conficitur ex eo quod dicit in Plurali *τεκνα της επαγγελιας*, quum secundum historiæ litteram *unus* Isaac fuerit *τεκνον της επαγγελιας*.

(2) Theodoretus (ad h. l.): *Καλει δε σαρκος μεν τεκνα, τα κατα την της φυσεως ακολουθιαν γεγεννημενα· επαγγελιας δε, τα κατα χαριν παρεσχημενα.* h. e. *Vocat autem carnis quidem filios, qui naturæ propagatione sunt geniti; promissionis autem, qui ex gratia dati sunt.*

(3) Voces כָּעֵת חַיָּה in Vulgata redditæ sunt *vita comite*. Quam versionem minime probaverim, tum quòd Hebraica verba eam non ferunt (Cf. 2 Reg. Cap. VI. 171: וַתַּהַר הָאִשָּׁה וַתֵּלֶד בֵּן לַמּוֹעֵד הַזֶּה כָּעֵת חַיָּה אֲשֶׁר־דִּבֶּר אֵלֶיהָ אֱלִישָׁע.) tum etiam quòd dicere *vitâ comite* non convenit illi qui ibi cum Abrahamo loquebatur. Itaque putem hoc loco interpretem nostrum verba Scripturæ non satis recte reddidisse; sicut a sensu Scripturæ aberravit quoque Sophon. III. 18, ubi Hebraica נוּגֵי מִמּוֹעֵד אָסַפְתִּי reddidit *nugas qui a lege recesserant congregabo*; atqui vox נוּגֵי (Particip. Nikt. a יָגָה pro נוּגֵי, ut Thren. I. 4 נוּגוֹת pro נוּגוֹת, Syntaxis ut חוֹסֵי בוֹ Ps. II. 12) vertenda erat *mæstos* ut est apud LXX: *τους συντετριμμενους*. Satis autem mirari nequeo Hieronymum in Commentario ad hunc Sophoniæ locum scribere potuisse: « *Id quod diximus* nugas, *sciamus in Hebræo ipsum Latinum esse sermonem, et propterea a nobis ita, ut in Hebræo erat, positum.* »

proprie valet *quando* (כְּ temporis) *hoc* (præsens) *tempus* (הָעֵת) erit *vivus* (חַיָּה), i. e. Quando revixerit, redierit præsens dies [1]. Nota כָּעֵת valere כְּהָעֵת. Illo sensu LXX quoque voces כָּעֵת intellexerunt; nam reddunt *κατα τον καιρον τουτον* [2].

℣. 10 — 13. Non solum autem illa: sed et REBECCA ex uno concubitu habens, ISAAC patris nostri. 11 Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, (ut secundum electionem propositum Dei maneret) 12 non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: 13 Quia major serviet minori, sicut scriptum est: JACOB dilexi, ESAU autem odio habui.

10 — 13. *Οὐ μόνον δὲ, ἀλλὰ καὶ Ῥεβέκκα ἐξ ἑνὸς κοίτην ἔχουσα, Ἰσαὰκ τοῦ πατρὸς ἡμῶν. 11 Μήπω γὰρ γεννηθέντων, μηδὲ πραξάντων τι ἀγαθὸν ἢ κακὸν* [a], *ἵνα ἡ κατ' ἐκλογὴν τοῦ Θεοῦ* [b] *πρόθεσις μένῃ, 12 οὐκ ἐξ ἔργων, ἀλλ' ἐκ τοῦ καλοῦντος, ἐῤῥέθη αὐτῇ· Ὅτι ὁ μείζων δουλεύσει τῷ ἐλάσσονι· 13 καθὼς γέγραπται· Τὸν Ἰακὼβ ἠγάπησα, τὸν δὲ Ἠσαῦ ἐμίσησα.*

Paraphrasis. Non solum verò SARÆ filius typicè hoc docuit, sed docuit etiam REBECCA, cum ex uno ISAACO patre nostro concepisset. Nam pueris nondum natis adeoque nec boni aut mali quidquam operatis, ut immobile esse cognosceretur Dei secundum electionem factum propositum, factum, inquam non propter opera sed gratuitò, ideò REBECCÆ divinitùs dictum fuit: Major natu serviet minori; sicut de hæc JACOBI præ ESAVO prælatione scriptum est apud MALACHIAM: JACOB dilexi, ESAU autem odio habui.

VARIANS LECTIO.

a) Pro *κακον* est *φαυλον* in Codd. AB.

b) Voces *του Θεου* leguntur post vocem *προθεσις* in Codd. ABDEFGJK multisque Minusculis ac plerisque antiquis versionibus.

---

(1) Verba כָּעֵת חַיָּה ℣. 9 in versione Septuagintavirali reddita sunt *κατα τον καιρον τουτον εις ὡρας*. Videtur autem illud *εις ὡρας* a glossatore quopiam illic illatum fuisse ex versu decimo quarto, ubi *εις ὡρας* respondet Hebraico לַמּוֹעֵד. Nota, promissionem Angeli Genes. XVIII. ℣. 9 relatam ibidem iterum legi versu decimo quarto; sed pro אָשׁוּב אֵלֶיךָ כָּעֵת חַיָּה לַמּוֹעֵד quod illic legitur, est hic כָּעֵת חַיָּה אָשׁוּב אֵלֶיךָ, quæ verba LXX reddiderunt: *Εις τον καιρον τουτον αναστρεψω προς σε εις ὡρας.*

℣. 10. *Non solum autem illa : sed et* Rebecca *ex uno concubitu habens* Isaac *patris nostri).* Opponi poterat Apostolo , Isaacum et Ismaëlem ex diversis matribus fuisse genitos , Ismaëlem ex Agare ancilla , Isaacum verò ex Sara libera uxore ; adeòque nec debuisse Ismaëlem pro Abrahæ filio et herede reputari. Apostolus ergo hanc exceptionem præoccupaturus alio utitur argumento et eo quidem ducto a typicis personis Jacobi et Esavi , ex quibus Deus , jam antequam in lucem editi fuissent , alterum tantùm voluisset pro filio et herede haberi , quamquam uterque ab eodem patre eademque matre Sara , libera uxore , imo et gemelli fuissent procreati. Ex quo profectò consequebatur , pro veris Abrahamidis reputatos fuisse non eos qui hoc tantùm essent carnali propagatione , sed eos quos gratuita Dei electio ad hoc designasset. Atque ita , translatâ re a typo ad antitypum , thesin suam Apostolus firmissime probaverat.

Versio Vulgatæ hoc loco , ut nunc ibi legitur , nullum habet intellectum. Notat Estius (ad h. l.) , veteres Bibliorum , ut vocant , *Concordantias* ut et nonnullos Codices exhibere *non solum autem* , nec addere *το illa ;* item Codices non paucos , suffragantibus iterum Concordantiis , pro *patris nostri* exhibere *patre nostro*. Observat idem , proclive fuisse librariis ut *concubitum* , quod ex Græco hic legendum est , mutarent in *concubitu ,* propter antegressum *ex uno.* Græci codices , nullâ lectionis varietate , constanter hic habent : *ου μονον δε , αλλα και Ῥεβεκκα εξ ἑνος κοιτην εχουσα , Ισαακ του πατρος ἡμων.* Quare credibile non est , sic a principio hunc locum in Vulgata lectum fuisse , ut nunc ibi legitur. Si putemus primitivam lectionem fuisse hanc , *Non solum autem , sed et Rebecca ex uno concubitum habens , Isaac* (Isaaco) *patre nostro* , omnia rectè habent , et Vulgatæ versio Græco textui ad amussim respondet.

Sermo Apostoli in præsenti loco bis imperfectus est ; nam et quod dicit *ου μονον δε* dictum est per Ellipsin , et reliqua quoque hujus versûs oratio , quum Verbo Finito careat , pariter manca est. Puta Apostolum voluisse dicere : *Ου μονον δε Σαῤῥα τουτο δεικνυσι , αλλα και Ῥεβεκκα* , cet. , ut sensus sit : *Non solum verò* Sara (Saræ filius typice hoc quod dico docet) , *sed docet hoc etiam* Rebecca *ex uno viro* (*εξ ἑνος*) *genituram* (*κοιτην*) *habens* , *ex* Isaaco , inquam , *patre nostro.*

Κοιτη (*α κειω , κειμαι)* primum notat *cubile* , *lectum* (Luc. XI. 7) , et mox *thalamum conjugalem* (Hebr. XIII. 4) ; hinc autem translata vox est ad ipsum *coitum* verecunde significandum , ut infra Cap. XIII. 13 , et Sapient. Cap. III. 13. In præsenti verò loco quum dicatur *κοιτην εχειν εκ τινος* , vocem *κοιτη* putaverim respondere Hebraico שִׁכְבַת , quo sensu hoc vocabulum legitur Levitic. Cap. XX. 15 ; pro voce שִׁכְבַת illo sensu adhibita , alibi (Levit. XV. 17) dicitur שִׁכְבַת זֶרַע , quod LXX reddunt per *κοιτη σπερματος*. —Genitivi *Ισαακ του πατρος* Appositio sunt ad *ἑνος* , pendentque ab antegressa Præpositione *εκ.*

℣. 11—13. *Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali, cet.)* Hic *probat* (*γαρ*) Apostolus id quod modò (℣. 10) dixerat: *αλλα και Ῥεβεκκα*, cet. Ad formam orationis (℣. 11—12) quod attinet, notandum est, Protasin contineri verbis *μηπω—κακον*, Apodosin autem inchoari a verbis *ἵνα ἡ κατ' εκλογην*; denique, præmitti propositionem illam *finalem* *ἵνα ἡ κατ' εκλογην* cet., quam a fine totius hujus orationis exspectasses. Sensus est: *Nam pueris* (Jacobo et Esavo) *nondum natis* (*γεννηθεντων* scil. *αυτων*) (Genes. XXV. 23), *adeòque neque boni aut mali quidquam operatis* (*πραξαντων*), *ut firmum esse cognosceretur* (*ἵνα μενη*) *Dei secundum electionem factum propositum* (*ἡ κατ' εκλογην προθεσις του Θεου*), *factum non propter opera sed gratuitò* (*εκ του καλουντος*), *ideò* Rebeccæ (*αυτῃ*) *divinitùs dictum fuit: Major natu serviet natu minori*; *sicut de hac prælatione* Jacobi *præ* Esavo *scriptum est apud* Malachiam: Jacob *dilexi*, Esau *autem odio habui*.

Subjectum Participiorum *γεννηθεντων* et *πραξαντων* ex versu undecimo (*ὁ μειζων*, cet.) intelligitur. Voces *κατ' εκλογην* non sunt jungendæ cum insequenti *μένῃ*, sed cum voce *προθεσις*[1], quam illud *κατ' εκλογην* ad modum Adjectivi afficit; nam scribitur, præmisso Articulo, *ἡ κατ' εκλογην προθεσις*. Porrò quod ibi dicitur, *ουκ εξ εργων, αλλ' εκ του καλουντος*, jungi nequit cum *ἐῤῥεθη αυτῇ*; nam si hoc voluisset Apostolus, aut aliâ usus esset orationis conformatione, aut certe pro *αλλ' εκ τοῦ καλουντος* dixisset *αλλα χαριτι του καλουντος*. Cf. Cap. XI. 6. Pariter nec potest illud *ουκ εξ εργων, αλλ' εκ του καλουντος* jungi cum *μενῃ*; nam, quid tandem, quæso, hoc sit, *propositum Dei firmum esse* (*μενῃ*) *non ex operibus sed ex vocante?* Relinquitur ergo ut verba ista, *ουκ εξ εργων, αλλ' εκ του καλουντος*, jungantur cum *ἡ κατ' εκλογην προθεσις του Θεου*; idque ita ut proxime pertineant ad vocem *προθεσις*, quæ adeò Dei *προθεσις* hic, sicut 2 Tim. Cap. I. ℣. 9, dicitur esse *prorsus gratuita*; nam hoc significatur per verba ista: *non ex operibus sed ex vocante*.

Dicitur autem illud *propositum* Dei tale quod *factum* sit *secundum electionem*, (*ἡ κατ' εκλογην προθεσις*), quia cum potuisset ad hanc gratiam admittere *qualescumque*, non hoc fecit, sed decrevit admittere *electos tantum*; elegit autem *omnes qui essent credituri*[2]; et præscivit quinam futuri essent tales ut vocanti ad fidem obtemperarent; quorum fides tamen non habitura erat rationem aliquam meriti, cujus causâ gratia illa ipsis obtingeret, sed mera foret *conditio sine qua non*. Nam ea

---

(1) Legendum est non *του Θεου προθεσις* sed *προθεσις του Θεου*, ut jam diximus; itaque nec jungendum est *κατ' εκλογην* cum *του Θεου*.

(2) Confer ℣℣. 31—33, et porrò Cap. X. 4—13. XI. 20—23.

est illa Dei *προθεσις*, ut sit *ουκ εκ εργων αλλ' εκ του καλουντος*, *non ex operibus, sed ex pura vocantis misericordia*[1]).

Quod dicit Apostolus *ἱνα μενῃ*, *logicè* hoc sumendum est, sicut supra Cap. II. ℣. 4 *γενεσθω*, et ibid. ℣. 19 *γενηται*, et Cap. III. ℣. 26 *εις το ειναι*. Neque enim in Deum cadit facere aliquid in eum finem ut aliquod ejus propositum *firmum sit*; sed potest aliquid facere in eum finem ut aliquod ejus propositum esse *firmum* ab hominibus *cognoscatur*. Illa verò *κατ' εκλογην προθεσις του Θεου* intelligitur *Dei decretum quo statuit perditum humanum genus ex mera sua bonitate et clementia per Christum restituere in viam salutis*. Confer quæ diximus supra pag. 269. Vocationem ad hanc salutem, hoc est, ad Evangelium Christique gratiam non pendere a carnali ab Abrahamo origine aut a cujuspiam operibus (*ουκ εξ εργων*), sed a pura vocantis Dei gratia (*εκ του καλουντος*) et misericordia, hoc, interprete Apostolo, typicè divinitùs declaratum fuerat, primùm quidem in Isaaco electo præ Ismaële, et iterum, ad ostendendam hujus propositi firmitatem, in Jacobo electo præ Esavo.

Quod hic priori loco Apostolus adducit Scripturæ testimonium, depromptum est hoc ex libro Geneseos Cap. XXV. 23, ubi legimus Rebeccam cum in utero materno conceptos fœtus inusitato motu veluti conflictare sensisset, eâ de re sollicitam consuluisse Jehovam, illique divinitùs responsum fuisse in hanc sententiam: *Duæ gentes sunt in utero tuo, et duo populi ex ventre tuo dividentur, populusque populum superabit, et major* (natu) *serviet* (natu)[2]) *minori*. Quæ verba ad duas gentes, Israëliticam et Idumæam, ita pertinent, ut tamen ipsi quoque harum Gentium satores, Jacobus et Esavus, unà spectentur; patet hoc ex postremis illius oraculi verbis istis, *major serviet minori*; ubi voces illæ, *major* et *minor*, commodè non nisi *ad ætatem* referri possunt. Paulum quoque præsens oraculum ad ipsas Jacobi et Esavi personas retulisse, manifestum est ex contexta ejus oratione; nam cum dicit *major serviet minori*, eos profectò cogitat de quibus modò in principio præsentis periodi (℣. 11) dixerat: *cum nondum nati essent pueri*.

Alterum quod ibi recitat Apostolus Scripturæ testimonium (Jacob *dilexi*, Esau *autem odio habui*) ex Malachia (Cap. I. 3) depromptum, per solitam formulam *sicut scriptum est*, in confirmationem prioris testimonii ab eodem adducitur. Rectè; nam et Malachiæ ille locus ita ad gentes Israëliticam et Idumæam pertinet, ut tamen utriusque

---

(1) Confer illud 2 Tim. I. 9: *qui nos liberavit et* VOCAVIT VOCATIONE SUA SANCTA, *non secundum opera nostra sed secundum propositum suum et gratiam* (h. e. *secundum gratuitum suum propositum*).

(2) Gen. XXV. 24: *Jam tempus pariendi advenerat, et ecce gemini in utero ejus reperti sunt. Qui prior egressus est, rufus erat, vocatumque est nomen ejus* Esau. *Protinus alter egrediens plantam fratris tenebat manu; et idcirco appellavit eum* Jacob.

gentis satores, Jacobus et Esavus, unà et primùm quidem spectentur. Memorat enim ibi Deus per os prophetæ, qualiter jam ab ipsa gentis origine Israëlitas dilexerit. In quam sententiam Hieronymus quoque Malachiæ locum interpretatus est, Dei illa verba, Jacob *dilexi* Esau *autem odio habui*, hac periphrasi exponens: *Ut cetera taceam, et quod nuper de Babylonica captivitate venistis, incunabula vestra tractabo: antequam nasceremini, imo priusquam* Rebecca *utero suo* Esau *et* Jacob *funderet, in* Jacob *vos dilexi, in* Esau *Idumæos odio habui.*

Exposuit ergo Apostolus, ex duobus Isaaci filiis iisque gemellis, Esavo et Jacobo, nullo eorum merito sive bono sive malo, alterum præ altero a Deo, fuisse electum qui inter Abrahamidas recenseretur; ex quo novo argumento patebat, non omnes qui carnali propagatione ab Abrahamo ducerent originem jam eo ipso pro Abrahamidis a Deo fuisse habitos, sed eos dumtaxat quos gratuita Dei electio ad hanc felicitatem vocasset, quique adeo ab ipso Deo filii Abrahæ constituerentur. Hinc vero, translatâ re a typico populo Dei ad anti-typicum, consequebatur id quod Apostolus assumserat probandum (ẏ. 6), scilicet, *quòd Israëlitarum plerique exclusi essent a Messiana salute, non ideò putandum esse irritam factam fuisse promissionem Dei de semine Abrahæ per Messiam beando.*

Operæ pretium fuerit hic observasse, quam longe a mente Apostoli adeòque a vero Scripturæ sensu aberraverint qui ex præsenti potissimum loco efficere voluerunt, Deum homines certo numero quosdam, quorum typus sit Jacob, ad æternam gloriam prædestinasse, idque decreto absoluto adeòque *ante prævisa*, ut ajunt, ipsorum *merita*, ea, puta, quæ gratiæ cooperando sibi parassent. At, si Jacob sit typus prædestinatorum, profecto Esau vicissim typus erit reprobatorum; et quemadmodum illi dicendi sint absoluto decreto ad æternam gloriam destinati, ita et hi vicissim dicendi erunt absoluto decreto ad æternum destinati supplicium. Nam quod ibi dicitur *cum nondum nati essent aut aliquid boni egissent aut mali*, id profectò eodem jure tam ad Jacobum pertinet quam ad Esavum; et si *diligere sit ad æternam prædestinare gloriam*, id quod in Antithesi dicitur *odio habere*, quid aliud sit *quam ad æternum prædestinare supplicium?* Atque hoc sensu Calvinistæ [1], Prædestinatos [2]

---

(1) Ut Marckius (*Exercit. Vet. Test.* Amstelodami 1700. Exercit. IV. p. 299): *Hinc*, inquit, Paulus *argumentum petiit ad asserendam personalis electionis et reprobationis divinæ summam absolutamque a præviso bono et malo omni libertatem.*

(2) Prædestinatorum Heresin, quæ sæculo V Ecclesiam turbavit, commentitiam esse, probare conatus est Jansenius Yprensis in Tractatu *de Hæresi Pelagiana*, quem præmisit Augustini sui libro octavo (ad Cap. 23). Eidem causæ patrocinatus quoque est Cabassutius, secundum quem *semi-Pelagiani Catholicis affinxissent falsa quædam dogmata, quasi ex* Augustini *doctrina consectanea, eosque tamquam hæreticos sub nomine* Prædestinatorum *traduxissent.* Petavii autem (*De Prædestinatione* Lib. IX. Cap. II. 2), hac de re judicium tale est: «Non approbo, *inquit*, illorum conjecturam, qui Prædestinatorum

secuti, illud Esau *autem odio habui* reapse interpretantur indèque docent, *Deum absoluto decreto, adeòque ex solo suo beneplacito absque ulla prævii peccati prævisione, homines certo numero quosdam positivè reprobasse*. A qua blasphema impietate catholici interpretes quotquot sunt abhorrent omnes, quamquam eorum plures in ea sunt sententia ut credant Paulum hoc loco reapse docere hinc quidem *prædestinationem ad gloriam ante prævisa merita*, illinc vero reprobationem sed ejusmodi quæ facta sit *post prevísa mala merita*; et Jacobum quidem gerere typum prædestinatorum, reprobatorum autem Esavum. Quâ verò exegeticâ ratione ex hoc loco efficiant, prædestinationem ad gloriam fieri *ante prævisa merita*, prædestinationem autem ad supplicium *post prævisa merita*, illorum nemo, quod sciam, exponere conatus est.

Sed ad propositum redeamus. Nam ex ea quam fecimus præsentis loci exegetica expositione, ostendere volebamus quam sint a vero Scripturæ sensu remoti interpretes illi qui verba ista, Jacob *dilexi*, Esau *autem odio habui*, ad æternam prædestinationem et reprobationem referunt voluntque Jacobum quidem ibi gerere typum prædestinatorum, reprobatorum autem Esavum. Et verò Malachiæ illa verba, Jacob *dilexi*, Esau *autem odio habui*, nequaquam dicta sunt de æterna utriusque fratris salute aut interitu, neque agitur ibi de *salvifico* Dei erga Jacobum et Esavum amore, sed de ejusdem erga eos amore *benefico*, quo, ad temporalia et terrena bona quod attinet, Jacobo posthabuit [1] Esavum. Contexta Malachiæ oratio (℣. 3 *et posui montes ejus in solitudinem*) apertissimè hoc indicat. Patet hoc quoque ex antegresso effato (*major serviet minori*), cujus probandi causâ Malachiæ illa verba Apostolus adduxit. Nam ad temporalem felicitatem effatum illud referendum esse, indubium est. Legatur Genes. XXVII. 29, ubi Isaac Jacobo: *Esto*, inquit, *Dominus fratrum tuorum*, Esavo autem (℣. 37): *Dominum tuum illum constitui*, *et omnes fratres ejus servituti illius subjugavi;* quibus verbis quum Esau constituatur *servus*, eo ipso excluditur a paterna hereditate, Deo volente ut hæc obtingeret soli Jacobo, quem et voluit, Esavo neglecto, pertinere unà cum Abrahamo et Isaaco ad populum suum electum.

Sed et ex scopo Apostoli et ex tota contextâ præsentis loci oratione refellitur sen-

---

hæresin nullam in rerum natura fuisse putant, sed meram Augustinianæ doctrinæ calumniam.... Apparet Augustini quidem sententiam ab æmulis et obtrectatoribus hac infami appellatione traductam esse, non tamen idcirco nulli exstiterunt, qui, quod scriptores a nobis supra laudati referunt, illâ Augustini opinione freti extra Catholicæ fidei regulas procederent. Quemadmodum non ideo nulli vel Eutychiani vel Nestoriani fuerunt, quod Catholicos in medio positos utroque nomine ex diverso appellarent contrariæ invicem hæreses. Igitur Prædestinatos proprium quemdam errorem habuisse ex Lucidi presbyteri recantatione verisimile est.»

(1) Quod ibi dicitur *odio habui*, comparativè dictum est valetque *minus amavi*; de qua loquendi ratione confer Genes. XXIX. 31. Deuteron. XXI. 15—16. Luc. XIV. 26. Joh. XII. 25.

tentia illorum qui dicant sermonem ibi esse de æterna prædestinatione et reprobatione. Nihil enim aliud ibi agit Apostolus quam ut doceat, ex eo quòd Israëlita quis sit et ad typicum Dei populum pertineat, non jam eo ipso illum pertinere ad populum Dei antitypicum sive Christianos habereque jus ad gratiam evangelicam; sed quemadmodum in typico Dei populo illi demum habebantur pro Abrahamidis qui ad hanc felicitatem gratuita electione a Deo vocabantur, ut, Ismaele excluso, vocatus fuit Isaac, et Jacob, excluso Esavo, — ita quoque fieri in antitypico Dei populo, ut scilicet ad hunc nemo pertineat nisi qui divinitùs ad hanc felicitatem vocetur, quæ quidem vocatio pariter prorsus gratuita sit, minime vero hoc pendere ab eo quod quis natus sit Israëlita; adeoquè *ex eo quod Israëlitarum plerique exclusi essent a Messiana salute, nequaquam inde conficiendum esse irritam factam fuisse promissionem Dei de semine Abrahæ per Messiam beando.* Itaque Apostolus de prædestinatione *ad gloriam* aut de reprobatione ne verbo quidem loquitur, sed *tantum agit de gratuita ad evangelicam gratiam vocatione.* Ii ergo qui ex præsenti [1] loco firmare conantur sententiam suam de prædestinatione ad gloriam *ante prævisa merita* sive prorsus gratuita, illi in hoc interpretationis vitium incidunt ut ex iis quæ Apostolus de *gratuita ad evangelicam gratiam electione* disseruit, suo marte, nullo exegetico jure conficiant, *gratuitam* pariter esse *electionem ad gloriam æternam* eamque unà hic ab Apostolo doceri; quæ interpretandi ratio profectò improbanda est etsi auctorem habet S. Augustinum. [1]

---

(1) Is, quem hic tractavimus, Scripturæ locus imprimis urgetur ab iis qui propugnant *prædestinationem ad gloriam ante prævisa merita.* De iis verò Scripturæ testimoniis, quæ præterea adducuntur ab illius sententiæ patronis, dicturi sumus ad calcem præsentis Capitis.

(2) Rectissimè Petavius (*De Prædestinatione* Lib. X. Cap. 1. 5): De solâ, *inquit*, vocatione ad Evangelium Christique fide mt gratiam propositum est Apostolo scribere. Electio vero ad gloriam nonnisi consequenter et ex accidenti locum habet in illa disputatione, quatenus quos vocat, et quibus gratiam istam Evangelii ac vocationis impertit, non alium in finem destinat, quam salutem et gloriam. Non tamen necesse est eodem modo disponi et ordinari utrumque, ut ad gloriam una sit atque ad gratiam perveniendi ratio.... Ad gratiam vocari homines ac trahi nullis suis meritis, sed absoluta Dei voluntate, inter omnes convenit; ut qui aliter sentiat, non Catholicus sed Pelagianus habeatur. Ad salutem autem et sempiternam gloriam destinari eosdem ex prævisione bonorum operum ac meritorum, salva integritate fidei complures existimant. Quare non est consequens, ea quæ Paulus de vocatione ad Evangelium et Christi fidem docuit, de electione ad gloriam et salutem interpretari. Quod tamen argumentando sumpsit Augustinus ac pro concesso habuit. Nisi enim id certo persuasisset sibi, non ex illis verbis Apostoli concludisset perinde ad gloriam destinari eligique homines a Deo ex sola voluntate et gratuita propensione, atque ad gratiam et evangelicam fidem. Atqui si ea mens fuisset Apostoli, atque ita judicassent Romani Pontifices et Ecclesia ipsa in Synodalibus decretis loquens; cum ex illis Pauli testimoniis primam gratiam nullis ex meritis destinari statuebant, idem etiam de gloria ipsa constituissent, et Augustini sententiam hac etiam ex parte ratam esse jussissent. Quod quia minime fecerunt, et disertè, præter gratiam, cetera doctorum arbitrio ac disputationi permiserunt, evidens est, de æterna salute nullam ab Apostolo mentionem illic habitam fuisse. »

℣. 14—18. Quid ergo dicemus ? numquid iniquitas apud Deum ? Absit. 15 Moysi enim dicit : Miserebor cujus misereor : et misericordiam præstabo cujus miserebor. 16 Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. 17 Dicit enim Scriptura Pharaoni : Quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam : et ut annuntietur nomen meum in universa terra. 18 Ergo cujus vult miseretur, et quem vult indurat.

℣. 14—18. Τί οὖν ἐροῦμεν; μὴ ἀδικία παρὰ τῷ Θεῷ; Μὴ γένοιτο. 15 Τῷ γὰρ Μωϋσῇ λέγει· Ἐλεήσω ὃν ἂν ἐλεῶ, καὶ οἰκτειρήσω ὃν ἂν οἰκτείρω. 16 Ἄρα οὖν οὐ τοῦ θέλοντος, οὐδὲ τοῦ τρέχοντος, ἀλλὰ τοῦ ἐλεοῦντος Θεοῦ. 17 Λέγει γὰρ ἡ γραφὴ τῷ Φαραώ· Ὅτι εἰς αὐτὸ τοῦτο ἐξήγειρά σε, ὅπως ἐνδείξωμαι ἐν σοὶ τὴν δύναμίν μου, καὶ ὅπως διαγγελῇ τὸ ὄνομά μου ἐν πάσῃ τῇ γῇ. 18 Ἄρα οὖν ὃν θέλει ἐλεεῖ, ὃν δὲ θέλει σκληρύνει.

Paraphrasis. Quid igitur inde colligemus ? Num putemus, injustum esse Deum in hac agendi ratione? Absit! Ipse enim Moysi dicit : *Beneficia mea nemini debeo ; benignum me præsto cui volo, et cujus misereri volo, ejus misereor.* Itaque Dei gratiam consequi non pendet ab humano desiderio aut studio, verùm ex libero beneplacito miserentis Dei. Nam, ut ab exemplo negatæ gratiæ rem confirmem, Pharaoni Deus dicit : *Hoc fine incitavi te ad mihi resistendum, ut ostenderem in te potentiam meam et prædicaretur nomen meum in universa terra.* Ergo, unius miseretur, alterum reddit pervicacem, pro suo beneplacito ; neque ulla est in hac agendi ratione injustitia.

℣. 14—15. *Quid ergo dicemus ? numquid iniquitas apud Deum ? Absit. Moysi enim dicit : Miserebor, cet.)* Apostolus in antegressa disputatione (6—14) significaverat, vocationem ad gratiam evangelicam esse prorsus gratuitam nec pendere a cujuspiam rectè aut pravè factis. Hinc verò nonnemo intulerit, iniquum videri Deum, ut qui probè factis hanc gratiam non rependat. Apostolus ergo falsam hanc illationem repulsurus, eamdem per interrogationem proponit, præmissâ formulâ τι ουν ἐρουμεν, ut supra Cap. III. 5 et VI. 1. Sensus est : *Quid igitur* (ουν h. e. cum res ita sit ut dixi ℣℣. 6—14) *inde colligemus ? An non sit injustitia in hac Dei erga homines agendi ratione ? Absit !* Falsam illationem Apostolus, adhibitâ solitâ formulâ μη γενοιτο, cum detestatione rejicit ; et statim (℣. 15) cur rejiciat *rationem reddit* (γαρ) ex Scripturæ aliquo effato ostendens, *Deum beneficia sua nemini* debere. Quæ ibi adducuntur Scripturæ verba, leguntur Exod. Cap. XXXIII. ℣. 19 ; dicta autem fuêre ad Moysen cum is a Deo petivisset *ut illi ostenderet gloriam suam*. Hebraice ibi est : חַנֹּתִי אֶת־אֲשֶׁר אָחֹן וְרִחַמְתִּי אֶת־אֲשֶׁר אֲרַחֵם, quæ verba Latine reddiderim : *Faveo cui faveo, et misereor cujus misereor.* Cujus interpretamenti rationes exponere longum sit, nec in præsenti necessarium est.

ỳ. 16. *Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei*). Infert (*αρα ουν*) ex Dei illo effato (ỳ. 15), *Dei gratiam consequi non pendere ab humano desiderio* (*του θελοντος*) *aut studio* (*του τρεχοντος*), *verùm ex libero beneplacito miserentis Dei.* Ad formam orationis quod attinet, nota ex antegresso effato sumendum esse *το ελεηθῆναι* (begenadigd worden) *misericordiam consequi*, et supplendum *εστι*. Puta Paulum scripsisse ita: *Ἄρα ουν το ελεηθῆναι ουκ εστι του θελοντος ουδε του τρεχοντος, αλλα εστι του ελεοῦντος Θεου.* Dictio autem *ειναι τι τινος* inter alia plura etiam significat *aliquid ex aliquo pendere*. Cf. Kuhner §. 517. Quod dicit Apostolus *του τρεχοντος*, *currentis*, Metaphorâ utitur desumtâ a stadiodromorum contentione, ut fecit sæpe alibi.

ỳ. 17. *Dicit enim Scriptura* Pharaoni: *Quia in hoc ipsum excitavi te*, cet.) Id quod modò (ỳ. 16) intulerat, hic *confirmat* (*γαρ*) sed *a contrario*; scilicet Deum beneficia sua nemini debere ostendendo ex *negatâ* Pharaoni abundantiori gratiæ mensurâ. Nam Pharao, qui alibi (Exod. VIII. 15. IX. 35) *ipse indurasse cor suum* dicitur, hic (ỳ. 18) a Deo esse induratus eatenùs tantum intelligendus est, quatenùs Deus, concessâ illi gratiâ quæ cooperanti ad recte operandum suffecisset, gratiam uberiorem negavit neganti cooperari, atque ita hominem in malo *obdurari permisit*, vel, si ita loqui mavis, *obduravit*; de qua Scripturæ loquendi ratione conferenda sunt quæ notavimus supra Cap. 1, 24 (pag. 35. sqq.) ad verba ista: *tradidit illos Deus in immunditiam.*

Sed jam ipsa Pauli verba inspiciamus. *Dicit*, inquit, *Scriptura Pharaoni.* Est hic quædam sermonis improprietas, ut Gal. III. 8; neque enim Scriptura locuta est Pharaoni, sed Moyses ex persona Dei. *Ὅτι* non est pars recitandi testimonii sed est *ὅτι recitativum.* Vide supra ad Cap. III. 10. pag. 87. Scripturæ testimonium quod ibi recitat Apostolus, depromptum est ex libro Exodi Cap. IX. 16; sed Apostolus illud hic recitat paulò aliter quam apud Septuaginta legitur. Nam pro eo quod Paulus dicit *εις αυτο τουτο εξηγειρα σε*, apud Septuaginta est *ἕνεκεν τουτο διετηρηθης*, *propter hoc conservatus es* (in vita). In Hebraico texto legitur hic הֶעֱמַדְתִּיךָ (*feci consistere te*, Hikt. a עָמַד), quod ob contextam ibi orationem[1] omninò reddendum est *incolumem te servavi*, quo sensu eam vocem reddiderunt Septuaginta. Concinit Chaldæus, qui vertit קַיֵּמְתָּךְ *stare feci te.* Quod autem dicit Paulus *εξηγειρα σε*, illud non rectè aliter reddideris quam *excitavi te*, ut est in Vulgata. Quamnam verò notionem huic voci Apostolus hoc loco subjicere voluerit, non parum disputatur. Ego quidem existimaverim,

---

(1) Versus 15 et 16, quibus illa quam dico contexta oratio continetur, minus recte redditi fuêre in Vulgata. Equidem Hebraica sic reddere maluerim: *Nam jam nunc extendissem manum meam et percussissem te populumque tuum peste fuissesque deletus de terra; verumtamen ideo te stare feci* (הֶעֱמַדְתִּיךָ, incolumem hactenus te servavi) *ut tibi potentiam meam demonstrarem, et ut prædicaretur nomen meum in universa terra.*

quæ et antiquorum nonnullorum sententia est, ex mente Pauli illud εξηγειρα σε eo sensu hic sumendum esse ut valeat *incitavi te*, scilicet *ad resistendum mihi*. Atque hanc interpretationem quodammodo postulat collectio Apostoli ista (℣. 18): *Ergo cujus vult miseretur, et quem vult indurat*; nam ex hac collectione patet eum verbo εξηγειρειν hoc loco notionem subjecisse talem ex qua το σκληρυνειν logicè consequeretur. Legitur autem vox εξηγειρειν hac *excitandi* notione adhibita etiam 2 Macc. XIII. 4 et apud Herodianum (Lib. I. 6. 6. V. I. 6. apud Adalb. Maier ad h. l.)[1]. Ceterum, *incitare ad malum* Deus hic dicitur, sicut mox (℣. seq.) dicitur *hominem indurare;* quod quo sensu intelligendum sit, ibidem dicemus.

ut ostendam in te virtutem meam, et ut annuntietur nomen meum in universa terra.) Consecutio Temporum postulabat ut verteretur: *ut ostenderem.... et ut annuntiaretur*, cet. His autem verbis exprimitur *in quem finem* (ὅπως) Deus Pharaonem incitaverit ad resistendum. Et finis hic erat ut *in personâ* Pharaonis (εν σοι), stupendis ad vincendam ejusdem pervicaciam patrandis miraculis, *potentiam suam* (την δυναμιν μου) ostenderet, atque ita fieret ut nominis sui fama *divulgaretur* (διαγγελη) in toto orbe terrarum.

℣. 18. *Ergo cujus vult miseretur, et quem vult indurat*). Generalis est conclusio ex utroque (℣. 15 et ℣. 17) Scripturæ loco. Ut autem absoluta sit argumentatio, ex ℣. 14 mente addas: *ergo nulla est apud Deum injustitia*; nam hoc Apostolus probandum susceperat[2]. Ceterum observa, ellipticam heic esse Pauli orationem; nam, ut plena esset, scribendum erat: Αρα ουν ὁν θελει ελεεῖν, ελεεῖ· ὁν δε θελει σκληρυνειν, σκληρυνει. Mens autem Apostoli est dicere: Ex utroque illo, quod recitavi, Dei de se effato consequitur, Deum in conferendo gratiæ suæ beneficio agere pro sua libertate et arbitrio.—Potuisset Deus, si hoc illi placuisset, uberiorem Pharaoni concessisse gratiam et talem quæ hujus pervicaciam certo fregisset; noluit autem ita cum Pharaone agere hominemque suæ malitiæ permisit, et hoc fecit ad finem op-

(1) Ex recentioribus interpretibus Adalb. Maier (ad h. l.) quoque in hanc sententiam præsentem locum interpretatus est: *Man nimmt* εξεγειρειν *besser*, inquit, *im Sinne* aufregen, *nämlich zur widersetzlichkeit;* zum Widerstande erwecken, *was dem Sprachgebrauche und dem gefolgertem* σκληρυνειν *entspricht.*

(2) Præsens locus adhiberi potest ad probandam omnimodam *gratuitatem* gratiæ justificationis. Nam is qui *jam est* justificatus, docente Ecclesiâ (Trid. Sess. VI. Can. 32), mereri potest augmentum gratiæ sanctificantis. Ex quo consequitur eum per justificationem acquirere jus ad gratias actuales, quæ necessariæ sunt ad opera bona perficienda ex quibus illud augmentum pendet. Cf. Perrone. Tract. de Gratia. Part. III. Cap. IV.

timum [1]) suâque omnia regente providentiâ dignissimum. *Indurasse* autem Deus Pharaonem eatenùs dicitur [2]), quatenùs per ea omnia quæ ad frangendum pervicacem ejus animum benigne ab illo præstita fuerant, quibusque et poterat et debuerat animus ejus emolliri ad obedientiam, negatâ ei uberiori illâ gratiâ quæ ejusdem pervicaciam certò superasset, occasio imo et causa *negativa* [3]) exstitit illius obdurationis [4]); atque eo quoque sensu sumendum est id quod suprà (℣. 17) dicitur: *incitavi te* (*ἐξεγειρα σε*), scil. ad mihi resistendum.

℣. 19--21. Dicis itaque mihi: Quid adhuc queritur? voluntati enim ejus quis resistit? 20 O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit: Quid me fecisti sic? 21 An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in

℣. 19--21. *Ἐρεῖς οὖν μοι· Τί ἔτι μέμφεται; τῷ γὰρ βουλήματι αὐτοῦ τίς ἀνθέστηκε;* 20 *Μενοῦνγε* a) *ὦ ἄνθρωπε, σὺ τίς εἶ ὁ ἀνταποκρινόμενος τῷ Θεῷ; μὴ ἐρεῖ τὸ πλάσμα τῷ πλάσαντι· Τί με ἐποίησας οὕτως;* 21 *ἢ οὐκ ἔχει ἐξουσίαν ὁ κεραμεὺς τοῦ πηλοῦ*

Paraphrasis. Ad id quod dixi, *pervicaces reddit quos vult*, mihi ergo ita repones: *Quum ipse Deus illos reddat pervicaces, cur idem adhuc eosdem reprehendit? Pervicaciam istorum sibi imputet, non ipsis! nam voluntati ejus quis resistere potest?* Imo verò, O homuncule, quin tu mihi dicito: tu quis tandem es, qui responsas Deo? quum tantillus tu sis, pudeat te obloqui Deo conditori tuo! Numquid licebit vasi fictili fictori suo dicere: cur mihi hanc dedisti formam? Aut num forte potestatem non habet

---

(1) Boetius (Lib. IV. De consolat. Philosophiæ): *Sola*, inquit, *est divina vis, cui mala quoque bona sunt, cum competenter eis utendo, boni alicujus inde elicit effectum. Ordo enim quidam cuncta complectitur, ut quod ab assignata ordinis ratione discesserit, hoc idem, licet in alium, tamen in ordinem relabatur; ne quid in Providentiæ regno liceat temeritati.*»

(2) Probè notandum est, in illo Scripturæ loco ubi Pharaonis enarratur historia, frequenter quoque dici, Pharaonem ipsum suum indurasse animum. Vide Exod. VIII. 15. IX. 34. Confer etiam Cap. X. 3, et XIII. 15.

(3) Confer quæ notavimus supra ad Cap. 1. ℣. 24. p. 35, sq.

(4) In hanc sententiam Card. Toletus quoque præsentem locum interpretatus est. « Dicitur Deus indurare, *inquit*, quando permittit hominem in sua malitia perseverare, et secundum eam agere; ipso enim non permittente, nemo malus malè ac perversè ageret. Igitur non emollire cor hominis nec a malitia retrahere est indurare hominem. Sic induravit Deus cor Pharaonis, quem sivit et reliquit in populum Judæorum invehi, ipsumque affligere; tot etiam ac tantis signis editis non credere nec moveri ut populum dimitteret.»

honorem, aliud verò in contumeliam?

ἐκ τοῦ αὐτοῦ φυράματος ποιῆσαι ὃ μὲν εἰς τιμὴν σκεῦος, ὃ δὲ εἰς ἀτιμίαν;

figulus in terram figlinam ut non liceat illi ex eadem luti massa fingere aliud quidem vas in usus honestos, aliud verò in sordidos?

VARIANS LECTIO.

a) Dictio ista μενοῦνγε abest a Codd. D*EFG, sed legitur in Codd. D***JK et in plerisque versionibus antiquis; item apud Orig. Chrys. Theod. alios; et Codd. AB exhibent μενουν. Itaque censuerim eam dictionem ad genuinam Pauli scripturam pertinere.

ỳ. 19. *Dicis itaque mihi: Quid adhuc* (Deus) *queritur? Voluntati enim ejus quis resistit?*) Fingit Apostolus, esse qui ex eo quod modò (ỳ. 18) dixerat, *quem vult indurat*, jam inferat, Deum injuriâ culpare induratos, quandoquidem ipse *velit* eos esse tales ejusque voluntati nemo resistere possit. — Quæ hic leguntur verba sic explicaverim: *Dices* (ἐρεῖς) *itaque* (οὖν, h. e. quoniam dixi: et quem vult indurat) *mihi*: *Cur* (τι) *Deus adhuc* (ετι, h. e. postquam ipse voluit eos esse induratos) *queritur* (μεμφεται, h. e. culpat, reprehendit, scil. induratos)? *Pervicaciam istorum sibi imputet, non ipsis! nam* (γαρ) *voluntati ejus quis resistere potest* (ανθέστηκε)?

Τί, cur, ut Luc. XX. 23. *Τί* ibi positum est in *Accusativo Adverbiali*, de quo videsis Kuhnerum §. 557, et Bernhardy p. 130. — Particula ετι hoc loco, ut et supra Cap. III. 7, non temporaliter sed *logicè* significat. — *Μεμφεται* *Hesychio* valet *αἰτιᾶται, ἐξουδενεῖ, καταγινώσκει*. Utrumque, et *Subjectum* (Deus) et *Objectum* (induratos) Verbi *μεμφεται*, ex contexta oratione (ỳ. 18) intelligebatur. — *Ανθεστηκε*, *resistit*, (ab *ανθιστημι*) forma Præteriti est cum notione Præsentis, ut *οἶδα* (*novi*) quod valet *scio*. Hac de re videsis Winerum §. 41. 4. b. Matthiä §. 211.

ỳ. 20—21. *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum, cet.*). Quid Paulus ad illam (ỳ. 19) expostulationem? Non statim ad eam respondet, sed *primum* retundit taliter expostulantis impudentiam, *deinde* verò (ỳ. 22—24) recta solutione id quod objectum fuerat expedit. Sensus versiculorum vigesimi et sequentis hic est: *Imo verò* (μενοῦνγε), *O homuncule, tu quis es qui responsas* (ὁ ανταποκρινόμενος) *Deo* (τῷ Θεῷ), (qui êtes-vous donc, qui con-

testez avec Dieu, qui osez répliquer a Dieu?) ? q. d. O homuncule, quum tantillus sis, pudeat te obloqui Deo conditori tuo !— Quam verò turpe sit creaturam obloqui Deo creatori declarat adhibitâ similitudine vasis figlini, quod cum figulo suo expostulet cur se in hanc potius quam in aliam formam finxerit. Quam similitudinem per interrogationem proponit, quod quidem orationi ejus majorem quamdam vim conciliat [1]). Dicit ergo : *Numquid licebit vasi fictili* (το πλασμα) *fictori suo* (τῳ πλασαντι) *dicere* (ἐρεῖ) : *Cur mihi hanc dedisti formam? Aut num forte potestatem non habet figulus in terram figlinam, ut non liceat illi ex eadem massa fingere aliud quidem vas in usus honestos, aliud verò in sordidos?* Qua similitudine, ut ex contexta oratione patet, nihil aliud Apostolus intendit quam docere dilucidius quam turpe sit homini disceptare cum Deo ; quod et S. Chrysostomus ad præsentem epistolæ locum observat et diligenter explicat [1]). Itaque massa quæ hic dicitur, *lutea massa* simpliciter intelligitur ; nec dubitamus pro erroneâ habere interpretationem Augustini existimantis, Apostolum *massam* ibi intellexisse *naturam humanam originali peccato infectam.* Audiatur Petavius, qui postquam notavit præsentem Pauli locum imprimis usurpari ab *absoluti decreti* propugnatoribus, sic dicere pergit : « Hunc locum, *inquit*, Augustinus sic passim accipit, ut ex eo concludat, Deum sola inductum voluntate sua, quos libitum est ad æternam salutem eximere et detrahere de corrupta et damnabili massa : alios in ea relinquere ac reprobare. Massam enim intelligit genus omne hominum ac naturam ipsam, non ex sese ac secundum id quod a Creatore primum accepit, sed ut primi nostri vitio parentis infecta, tota in labem ac damnationem incurrit....Atque hæc Apostolici dicti illius explicatio, ut massa in similitudinem assumpta non naturam simpliciter multitudinemque hominum significet, sed peccato contaminatam depravatamque naturam ; tum ut vasorum ex illa massa dissimilium molitio, prædesti-

---

(1) Eadem similitudo in Scripturis Veteris Testamenti occurrit : Isaiæ XXIX. 16 : Μη ἐρεῖ το πλασμα τῳ πλασαντι, κ. τ. λ.; et iterum Cap. XLV. 9 : μη ἐρεῖ ὁ πηλος τῳ κεραμεῖ, κ. τ. λ.

(2) S. Chrys. *Hom.* XVI. *in Ep. ad Rom.* ad h. l. : Ενταυθα ου το αυτεξουσιον αναιρῶν τουτο λεγει, αλλα δεικνυς μεχρι ποσου δει πειθεσθαι τῳ Θεῳ. Εις γαρ το τον Θεον απαιθεῖν ευθυνας, ουδεν μαλλον του πηλου διακεισθαι δει. Ουδε γαρ μονον αντιλεγειν ου χρη, ουδε ζητεῖν, αλλ' ουδε φθεγγεσθαι ὁλως, ουδε εννοεῖν, αλλ' εοικεναι εκεινῳ τῳ αψυχῳ και ταις χερσιν ἑπομενῳ του κεραμεως, και περιαγομενῳ ὁπουπερ αν εκεινος εθελῃ. Εις τουτο γαρ μονον το ὑποδειγμα ελαβεν, ουκ εις την της πολιτειας επιδειξιν, αλλ' εις την ὑποτεταγμενην ὑπακοην και σιγην. Και τουτο πανταχου δεῖ παρατηρεῖν, ότι τα ὑποδειγματα ου παντα καθολου δεῖ λαμβανειν, αλλα το χρησιμον αυτων εκλεξαμενους και εις ὁπερ παρειληπτει, το λοιπον ἁπαν εᾶν. h. e. *Hic non liberum arbitrium tollens hoc dicit, sed ostendens quousque Deo obtemperandum sit. Nam ad exigendas a Deo rationes non magis quam lutum paratum esse oportet. Non modo enim contradicere non oportet nec quæstiones movere, sed etiam ne loquendum quidem omnino est nec cogitandum; sed similem esse oportet luto inanimato, figuli manibus obtemperanti et quò ille velit circumacto. Ad hoc enim solum hoc exemplo usus est, non ad instituti vitæ declarationem sed ad subditam obsequentiam et silentium. Et hoc ubique observandum : exempla non in universum assumenda esse, sed quod usu venit eligendum ad quam rem assumptum est, ac reliquum totum missum faciendum esse.* »

natio sit aliorum hominum ad æternam salutem, aliorum ad interitum, — Augustinum habet auctorem, ante quem nemini prorsus Græcorum Latinorumve, post illum verò nec omnibus istis (Latinis), nec illorum (Græcorum) cuiquam ita Paulum interpretari placuit.1) »

Μενοῦνγε heic dictio *corrigentis* est ut et Luc. XI. 28, ubi recte Vulgata *quin imo*; est et *affirmantis* [2]), ut infra Cap. X. 18. Ceterum quod a fronte sententiæ ponitur, hoc ad usum serioris Græcitatis pertinet. Exempla collegit Wetstenius (ad h. l.). Legesis etiam Lobeckium ad Phryn. p. 342. Apostrophen illam, *ω ανθρωπε*, quum sit revocantis hominem ad suæ vilitatis considerationem, explicaverim: *O homuncule!* Hoc sensu eam vocem adhibuit Cicero cum scriberet (Ep. Tam. IV. 5): *Hem! nos homunculi! indignamur si quis nostrûm interiit, cum uno loco tot oppidorum cadavera projecta jaceant.* — *Ανταποκρινεσθαι* est *respondendo contradicere* [3]), ut Luc. XIV. 6. Latinorum *responsare*, quum *respondendi* simul et *repugnandi* notionem habeat, præsenti loco satis convenit. — *Μὴ ἐρεῖ*, *Futurum* est latine reddendum per Præsens conjunctivi: *num dicat.* — *Του πηλου* jungendum est non cum proximo *ὁ κεραμευς* sed cum antegresso *ἐξουσιαν*. Recte hoc jam viderunt interpretes Syrus [4]) et Arabs [5]). Nimirum fit nonnumquam, maxime in epistolis Paulinis, ut Genitivus interposito aliquo vocabulo separetur a Nomine abs quo pendet, exempli gratiâ 1 Tim. III. 6; Ephes. II. 3, alibi. *Εις τιμην* et *εις ατιμιαν* referuntur ad vasorum usus varios, *honestos* aut *sordidos*. Cf. 2 Tim. II. 20 et Sapient. XV. 7.

ỳ. 22—24. Quod si Deus volens ostendere iram, et notam facere potentiam suam, sustinuit in multa

ỳ. 22—24. *Εἰ δὲ θέλων ὁ Θεὸς ἐνδείξασθαι τὴν ὀργὴν καὶ γνωρίσαι τὸ δυνατὸν*

Paraphrasis. Quid verò iniqui sit in hoc, quod Deus vasa iram suam merita utque talia ad interitum parata, multâ longanimitate tulit, tan

(1) De *Prædestinatione* Lib. X, Cap. 1. VIII.

(2) Cf. Kühner §. 840. g.

(3) S. Chrys. Hom. XVI in Ep. ad Rom. (ad h. l.): Ουκ ειπε, συ τις ει ὁ αποκρινομενος τῳ Θεῳ αλλ' ὁ ανταποκρινόμενος, τουτεστιν, ὁ αντιλεγων, ὁ εναντιουμενος. Το γαρ ειπειν, ὁτι οὑτως εδει, κα. ουχ οὑτως εδει, ανταποκρινομενου εστιν. h. c. *Non dixit*, tu quis es qui respondes Deo, *sed* ὁ ανταποκρινομενος, *hoc est*, qui contradicis, qui resistis. *Nam dicere*, sic esse oportebat, *vel* non sic esse oportebat, *contradicentis est.*»

(4) ܐܘ ܠܐ ܡܫܠܛ ܦܚܪܐ ܥܠ ܛܝܢܗ ܀ h. c. *Aut non est dominium habens figulus in lutum suum?*

(5) أَوْ لَعَلَّ الْفَاحِرَانِيَّ لَيْسَ لَهُ سُلْطَانٌ عَلَى الطِّينِ ✵ h. c. *Aut fortasse figulo non est dominium in lutum?*

patientia vasa iræ, apta
in interitum, [23] ut os-
tenderet divitias gloriæ suæ
in vasa misericordiæ, quæ
præparavit in gloriam. [24]
Quos et vocavit nos non
solùm ex Judæis, sed etiam
ex Gentibus,

αὐτοῦ, ἤνεγκεν ἐν πολ-
λῇ μακροθυμίᾳ σκεύη
ὀργῆς κατηρτισμένα εἰς
ἀπώλειαν, [23] καὶ [a]) ἵνα
γνωρίσῃ τὸν πλοῦτον
τῆς δόξης αὐτοῦ ἐπὶ
σκεύη ἐλέους, ἃ προη-
τοίμασεν εἰς δόξαν,
[24] οὓς καὶ ἐκάλεσεν
ἡμᾶς οὐ μόνον ἐξ
Ἰουδαίων ἀλλὰ καὶ
ἐξ ἐθνῶν·

dem verò confregit, volens hac agendi ratione hinc quidem ostendere vindicativam suam justitiam notamque facere suam potentiam, illinc verò manifestare eximiam suam benignitatem erga vasa misericordiam suam experta, quæ per hoc præparavit ad consequendam salutem æternam; quæ vasa misericordiæ sumus nos, quos ut per justificationis gratiam ad gloriam præparavit, ita etiam ad fidem vocavit tam ex Judæis quam ex Gentibus.

VARIANS LECTIO.

a) Particulam και hoc loco exhibent Codices unciales omnes, si Codicem B excipias; ut adeò non sit dubitandum quin και ad genuinam Pauli scripturam pertineat.

℣. 22—24. *Quod si Deus volens ostendere iram, et notam facere, cet.)*. Hic jam Apostolus quem sibi finxit (℣. 19) adversarium directè refellit idque ita ut responsum suum accommodando ad materiam quam tractat, scilicet ad Judæorum a Messiana salute exclusionem et Gentilium ad illam salutem admissionem, ostendat in hac Dei agendi ratione nihil esse iniqui.

Ad *directum* illud responsum fit *transitio* per Particulam δε. Sed statim observa, *imperfectam* esse Pauli orationem; caret enim Apodosi et quidem tali: *Quæ tandem iniquitas est in hac Dei agendi ratione?* Quæ Apodosis excipere debebat verba (℣. 24) αλλα και εξ εθνων. Ibi vero Apostolus, dum id quod dixerat variis Scripturarum testimoniis it probatum, Apodosin omittit. Simili modo anapodotica est oratio Joh. VI. 62 et Act. XXIII. 9. Quo facilius præsentis loci sensum exponamus, omissam illam Apodosin vertemus in Protasin, et Protasin in Apodosin. Ergo quod dicere vult Apostolus tale est: *Quid*

verò (δε) *iniqui sit in hoc , quod* [1] *Deus vasa iram suam merita* (σκευη οργης) *atque utpote talia ad interitum parata* (κατηρτισμενα εις απωλειαν) *multá longanimitate* (εν πολλῃ μακροθυμιᾳ) *tulit* (ηνεγκε) *atque toleravit* [2] , *tandem verò confregit* [3] , *volens* (θελων) *hac agendi ratione hinc quidem ostendere vindicativam suam justitiam* (την οργην αὐτου) *notamque facere suam potentiam* (το δυνατον αὐτου) , *illinc verò manifestare eximiam suam benignitatem* (τον πλουτον της δοξης αὐτου) [4] *erga vasa misericordiam suam experta* (επι σκευη ελεους), *quæ per hoc præparavit ad consequendam salutem æternam* (ἅ προητοιμασεν εις δοξαν) , cet.

Deus , docente Apostolo , vasa iræ longanimiter tolerata tandem confregit , in eoque *duplicem* finem habuit : *unum* , ut manifestaret *iram suam et potentiam* , hoc est , vindicativæ suæ justitiæ potentiam ; *alterum* , ut vicissim manifestaret eximiam suam benignitatem. *Unus* illorum finium enunciatur per verba ista, θελων ενδειξασθαι την οργην και γνωρισαι το δυνατον αυτου, *alter* autem finis, variatâ formâ orationis, exprimitur verbis istis : και ἱνα γνωριση τον πλουτον της δοξης αυτου. Si pro και ἱνα γνώριση Apostolus scripsisset και θελων γνωρισαι , eâdem formâ orationis utrumque illum finem expressisset. Causa mutatæ formæ orationis esse potuit , quia utrumque illum finem assignavit non continuo sermone sed interrupto per illud ηνεγκεν — απωλειαν. Puta Apostolum verba sua posuisse hoc ordine atque hac syntaxi : ει δε ὁ Θεος σκευη οργης κατηρτισμενα εις απωλειαν ηνεγκεν εν πολλῃ

---

(1) Græcè est ει ; sed ει ibi valet ὅτι , *quod* , ut 1 Cor. IX. 11. Cf. VIGERUM Cap. VIII. Sect. VI. III.

(2) Vox ηνεγκε per se non notat *sustinuit* , *toleravit* , sed habet eam notionem quia componitur cum vocibus εν πολλῃ μακροθυμιᾳ.

(3) Quod ea *tandem confregerit*, Apostolus non hic dixit quidem , sed tamen sensit , ut constat ex loco parallelo (Cap. XI. 20—22) : *Propter incredulitatem fracti sunt ; tu autem fide stas. Vide ergo bonitatem et severitatem Dei; in eos quidem qui ceciderunt , severitatem ; in te autem bonitatem Dei.* Et vero ex mente Apostoli τὸ *tandem vero confregit* heic esse supplendum , etiam inde constat , quòd ex Dei longaminitate patescat non ira Dei , sed ejusdem bonitas et benignitas improbos ad pœnitendum alliciens, dicente Apostolo (Cap. II. 4—5) : *An divitias bonitatis ejus et patientiæ et longanimitatis contemnis ? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit ? secundum autem duritiam tuam et impœnitens cor thesaurizas tibi iram.*

(4) In dictione τον πλουτον της δοξης vox δοξα Dei *benignitatem* notat. Quæ interpretatio ne cui arbitraria videatur , monendum est , orationem in præsenti loco esse antitheticam , et sicut sibi opponuntur εις δοξαν et εις απωλειαν , ita pariter sibi opponi οργην Θεου et τον πλουτον της δοξης αὐτου , atque adeò *oppositionis* rationem postulare ut vox δοξα versu 23 priori loco posita ad Dei referatur *benignitatem*. Simili modo vox δοξα interpretanda est in hoc epistolæ ad Ephesios (Cap. III. 16) : *ut det vobis secundum divitias gloriæ suæ* (κατα τον πλουτον της δοξης αὐτου) *virtute corroborari per Spiritum ejus in interiorem hominem.* Intelligitur ergo Dei δοξα, *majestas* , ut conspicua in eximia ejusdem benignitate.

μακροθυμια, *θελων ενδειξασθαι την οργην και γνωρισαι το δυνατον αὐτου και θελων γνώρισαι τον πλουτον της δοξης αὐτου*, cet. Ex punitione incredulorum magis elucescit beneficium gratiæ collatum iis qui credentes fuêre justificati.

Σκευη, *vasa*, utroque loco intelliguntur non instrumenta quibus aliquid fit [1], sed vasa quæ aliquid in se recipiunt, ut hic, *iram*. Confer illud Cap. II. 5 : *Thezaurizas tibi iram*. Demtâ autem Metaphorâ, *σκευη*, *vasa*, sunt Judæi aut *increduli* aut *credentes*.

Οργη est Dei *ira* quam sibi contraxerunt Judæi increduli, et per quam exclusi fuêre a salute Messiana. Constat hoc ex loco parallelo, qui legitur infra Cap. XI. 20. Illa Dei *ira* ibidem (℣. 22) Dei *αποτομια*, *severitas*, dicitur. *Ελεος* est Dei *misericordia*, quam Judæis qui crediderant exhibuit, conferendo illis gratuitò nulloque eorum merito gratiam justificationis. Confer Cap. XI. 20. Dei hæc misericordia ibidem vocatur ejusdem *χρηστοτης*, *bonitas*. Igitur Judæi increduli sunt ibi *vasa iræ*, et Judæi credentes *vasa misericordiæ*. Jam *vasa* illa *iræ* dicuntur ibi *κατηρτισμένα* (Particip. Passiv. sumptum *adjectivaliter*) *εις απωλειαν*, hoc est, *ad* sempiternam *perniciem*, quippe vasa iræ, *parata* (tout prêts, tout disposés). *Vasa* autem *misericordiæ* Deus ibi dicitur *præparasse* (*ἅ προητοιμασεν*) *ad gloriam* sive salutem sempiternam (*εις δοξαν*), puta misericorditer nihil tale merentibus largiendo justificationis gratiam, quæ *præparatio* est ad æternam salutem hujusque veluti inchoatio. Itaque *præparare ad gloriam* tantumdem est ac *justificare et per justificationem ordinare ad gloriam*. Ipsam autem justificationem præcessit gratuita ad fidem *vocatio* [2]; quam *vocationem* Apostolus hic quoque memorat, adjiciens *οὓς και εκαλεσεν ἡμας* [3], ubi pro *ἃ* (scil. *σκευη*) scriptum est *οὓς* per Attractionem insequentis *ἡμᾶς*. Sensus est : *quæ vasa misericordiæ sumus nos*, *quos ut per justificationis gratiam ad gloriam præparavit*, *ita etiam ad fidem vocavit* (*και εκαλεσεν*) *tam ex Judæis quam ex Gentibus*.

---

(1) Hoc sensu ab Isaia XIII. 5 Medi et Persæ vocantur כְּלֵי זַעַם *vasa iræ*, h. c. *instrumenta iræ* divinæ ad perdendam Babyloniam.

(2) Cf. Cap. VIII. 30 : *quos vocavit*, *hos et justificavit*.

(3) Nota, non dici *οὓς και ἡμας εκαλεσεν*, sed *οὓς και εκαλεσεν ἡμας*. Itaque Particula *και* non afficit *ἡμας* sed *εκαλεσεν*. Ceterum intelligitur *vocatio* cui obtemperarunt *vocati*; id quod facere noluerunt illi *vocati* de quibus queritur Salvator (Matth. XXIII. 37) : *Jerusalem*, *Jerusalem*, *quæ occidis Prophetas et lapidas eos qui ad te missi sunt*, *quoties volui congregare filios tuos*, *quemadmodum gallina congregas pullos suos sub alas*, *et noluisti*. Qui vero vocati ad fidem vocanti obtemperarunt atque ita consecuti sunt gratiam justificationis, hanctamen consecuti non sunt *merito suæ fidei*, sed prorsus gratuitò, ut adeò *fides* fuerit non *causa meritoria* eorum justificationis sed *conditio sine qua non*.

Superest ut dicam cur existimem Participium κατηρτισμενα heic sumendum esse *adjectivaliter*; id quod et Vulgatæ auctor existimavit, quum κατηρτισμενα reddiderit per *apta*. Igitur, si κατηρτισμενα sumas tamquam *participialiter* dictum, necesse est ut mente addas ὑπ᾽ αὐτου, *a se*, h. e. a Deo, ut sensus sit: *patienter tulit Deus vasa iræ a se* (a Deo) *parata ad interitum*. Sed si hoc dicere voluit Apostolus, quid-ni scripsit κατηρτισμενα ὑπ᾽ αὐτου? aut potius, quum præsens oratio tota antithetica sit, quid-ni pro κατηρτισμενα scripsit ἁ κατηρτισε? Quid-ni, inquam, si hoc dicere voluisset, antitheticâ orationis formâ usus contra ἁ προητοιμασε posuisset ἁ κατηρτισε, sicut contra σκευη ἐλεους posuerat σκευη οργης et εις δοξαν contra εις απωλειαν? Hoc ergo quum non fecerit Apostolus nec scripserit ἁ κατηρτισε, quod conformatio orationis postulabat, non injuriâ inde concluserim, Apostolum neque hoc voluisse dicere quod verbis istis, ἁ κατηρτισε, significatur, adeoque nec vocabulum κατηρτισμενα *participialiter*, sed, quod relinquitur, *adjectivaliter* esse sumendum; eo modo quo Participium κατηρτισμενος adhibitum quoque legitur Luc. VI. 40 et 1 Cor. 1. 10. Nec aliter Participium hoc intellexerunt antiquissimi interpretes Latinus et Syrus[1]. Si quis tamen, his rationibus non persuasus, omninò velit vocabulum κατηρτισμενα sumendum esse participialiter, equidem nolim cum eo multum contendere, modo eo sensu intelligat vasa iræ ad exitium esse *parata a Deo*, quo sensu supra diximus Pharaonem fuisse *a Deo excitatum* ad resistendum, et *induratum* fuisse regis animum.

℣. 25 — 29. sicut in Osee dicit: Vocabo non plebem meam, plebem meam: et non dilectam, dilectam: et non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam. 26 Et erit: in loco, ubi dictum est eis: Non plebs

℣. 25—29. ὡς καὶ ἐν τῷ Ὠσηὲ λέγει· Καλέσω τὸν οὐ λαόν μου, λαόν μου· καὶ τὴν οὐκ ἠγαπημένην ἠγαπημένην· a) 26 Καὶ ἔσται, ἐν τῷ τόπῳ οὗ ἐῤῥέθη αὐτοῖς· Οὐ λαός μου ὑμεῖς, ἐκεῖ

Paraphrasis. Et Gentiles quidem Messianam salutem participaturos esse, olim prædictum erat ab Hosea, in cujus vaticinio Deus sic fatur: *Vocabo non populum meum, populum meum; et non dilectam, dilectam; et misericordiam non consecutam, misericordiam consecutam;*

---

(1) ܡܐܢܐ ܕܪܘܓܙܐ ܕܡܫܡܠܝܢ ܠܐܒܕܢܐ ܀ h. e. *vasa iræ, parata ad perditionem.* Syrus Participium κατηρτισμενος eodem hoc vocabulo reddidit Luc. VI. 40 et iterum 1 Cor. 1. 10. In Leusdiana Novi Testamenti Syriaci latina versione vox ܕܡܫܡܠܝܢ falsò reddita fuit per *quæ perfecta fuerunt.*

mea vos : ibi vocabuntur filii Dei vivi. 27 Isaïas autem clamat pro Israël : Si fuerit numerus filiorum Israël tamquam arena maris, reliquiæ salvæ fient. 28 Verbum enim consummans, et abbrevians in æquitate : quia verbum breviatum faciet Dominus super terram : 29 et sicut prædixit Isaïas : Nisi Dominus sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus, et sicut Gomorrha similes fuissemus.

κληθήσονται υἱοὶ Θεοῦ ζῶντος. 27 Ἡσαΐας δὲ κράζει ὑπὲρ τοῦ Ἰσραήλ· Ἐὰν ᾖ ὁ ἀριθμὸς τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ ὡς ἡ ἄμμος τῆς θαλάσσης, τὸ κατάλειμμα σωθήσεται. 28 Λόγον γὰρ συντελῶν καὶ συντέμνων ἐν δικαιοσύνῃ [b], ὅτι λόγον συντετμημένον ποιήσει Κύριος ἐπὶ τῆς γῆς. 29 Καθὼς [c] προείρηκεν Ἡσαΐας· Εἰ μὴ Κύριος σαβαὼθ ἐγκατέλιπεν ἡμῖν σπέρμα, ὡς Σόδομα ἂν ἐγενήθημεν, καὶ ὡς Γόμοῤῥα ἂν ὡμοιώθημεν.

futurumque est ut ibi ubi prius dicebatur, vos non estis populus meus, ibi vocentur filii Dei. Prædicta autem fuit et Judæorum plerorumque a Messiana salute exclusio ab Isaia ita vaticinante : *Etsi populus tuus Israël*, inquit, *numerosus esset sicut arena in littore maris, attamen pauci tantum ad Deum convertentur. Excidium decisum instar aquarum inundantium inferet justitiam vindicativam; nam excidium et decretam pœnam Dominus exercebit in universa terra Judæorum. Nisi Dominus Deus exercituum reliquisset nobis sementem, sicut Sodoma et Gomorrha penitus periissemus.*

VARIANS LECTIO.

a) Adduntur his in Latina Vulgata verba ista : *et non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam.* Sed hæc verba in nullo græco codice leguntur; absunt pariter ab Itala cetorisque antiquis versionibus. Itaque dixerim ea esse latinum aliquod glossema, undecumque tandem illud provenerit.

b) Voces omnes istæ, εν δικαιοσυνῃ, ὁτι λογον συντετμημενον, non leguntur in Codd. B ut nec in nonnullis Minusculis. Lachmannus verba illa non recepit in textum Græcum Novi Testamenti a se editum; id quod in tanta multitudine et præstantia testium, qui hæc verba retinenda esse docebant, temerarie factum est; eoque magis quòd ob vocum συντεμνων et συντετμημενον similitudinem facile fieri potuit ut oculus librarii a voce συντεμνων ad vocem συντετμημενον aberraverit.

c) Plerique Codices habent και καθως, quam lectionem Latina Vulgata quoque exhibet.

ỷ. 25 *sicut in Osee dicit : Vocabo , cet.).* Id quod Apostolus modò (ỷ. 24) dixerat de Gentilibus quoque ad Messianam salutem admissis , illud hic probat fuisse *etiam* *(και)* multo ante quam fieret prædictum. In quem finem affert Hoseæ prophetæ vaticinia duo , quæ in unum conjungit. Prius , quod hic versu 25 recitatur , sumptum est ex Hoseæ Cap. II. 23—24 (Hebr. ỷ. 25) ; alterum vaticinium quod allegatur versu 26 , ductum est ex Hoseæ Cap. I. 10 (Hebr. Cap. II. 1.). Et prius quidem illud vaticinium apud Hoseam sic legitur : רִחַמְתִּי אֶת־לֹא רֻחָמָה וְאָמַרְתִּי לְלֹא־עַמִּי עַמִּי־אָתָּה : h. e. *Misertus sum* (in Præterito prophetico) *non-miserandæ , et dixi ad non-populum-meum* [1], *populus meus tu es* [2]. Ex quo patet Apostolum non tam verba Prophetæ quam verborum ejus sensum expressisse. Sciendum autem est ad hujus vaticinii intelligentiam, voces illas לֹא־עַמִּי (*le-non-mon-peuple*) et לֹא־רֻחָמָה [3] (*la-non-compassionnée* , sit venia verbo) esse nomina symbolica Hoseæ filio et filiæ divinitùs imposita (Cf. Hos. Cap. I.) , quibus Israëlitis *h. e.* subditis regni decem tribûum significaretur , eos , quippe idololatras et criminosos , haud amplius a Deo haberi pro peculiari suo populo et gravem illis imminere afflictionem. Jam verò in loco Hoseæ a Paulo allegato prædicitur fore ut post gravem illam afflictionem Deus cum Israëlitis in gratiam redeat , ita ut gens quæ hactenus ab eo vocaretur לֹא־עַמִּי (*ὁ ου λαος μου, le-non-mon-peuple*) et לֹא־רֻחָמָה (*ἡ ουκ ελεημενη , la-non-compassionnée*), jam vocentur בְּנֵי אֵל־חָי *filii Dei vivi.* Itaque Hoseæ verba litterali sensu pertinent ad Israëlitas ; Israëlitæ autem idololatræ typum gerebant Gentilium idololatrarum ; Paulus ergo ex Hoseani loci sensu typico , quem hic nobis aperit [4] , argumentatur ut probet prædictam olim fuisse vocationem Gentilium ad populum Dei sive ad Messianam salutem, qua nempe fit ut *filii Dei nominemur et simus* (1 Joh. III. 1) [5] .

---

(1) Puta *non-miseranda* et *non-populus-meus* esse propria Nomina ex pluribus vocibus composita , ut erat compositum nomen Carthaginensis illius Episcopi qui vocabatur Quodvultdeus.

(2) LXX Hebraica sic græce reddiderunt : *Ελεησω την ουκ ηλεημενην , και ἐρῶ τῳ ου λαῷ μου , λαος μου εἶ συ.*

(3) רֻחָמָה est Particip. formæ *Kuttal.* Dictum autem est pro מְרֻחָמָה ut 2 Reg. II. 10 לֻקַּח pro מְלֻקָּח , et Ezech. XXVI. 27 נֻחָמָה pro מְנֻחָמָה. Cf. Gesenii *Lehrgebaüde der hebräischen Sprache* §. 94. *Anm.* 6.

(4) Eumdem Hoseani hujus loci sensum typicum docet quoque S. Petrus (1 Petr. II. 10).

(5) Klee (in Commentario ad h. l.) « Die Stelle des Propheten , *inquit* , bezieht sich auf Israel (die zehn Stämme), von welchem hier vorherverkündet wird , dasz es in die Gefangenschaft geführt , und darnach von Gott wieder zu Gnaden soll aufgenommen werden. Der Apostel deutet aber die auf das den Heiden gleichgewordene Israel sich buchstäblich beziehende Stelle von den Heiden selbst , von welchen auch Petrus sie auslegt ; und wie Israel , das auf eine kleine Weile , in zeitlich theokratischem Sinne , sein Volk nicht war, und nachdem es sich gebessert und seine Sünde gebüszt , wiederum sein Volk wurde und seine geliebte Tochter, so werden die Heiden , welche an der zeitlichen Theokratie keinen Theil gehabt und in diesem Sinne nicht geliebt waren , als Genossen des höheren , geistigen Theokratischen Bundes , in vorzüglicher weise sein Volk und seine Geliebten seyn und heiszen.»

Idem dicito de altero Hoseæ testimonio, quod cum priori Apostolus in unum conjunxit. Nam et ibi secundum litteralem sensum prædicitur Dei cum Israëlitis reditus in gratiam; eo vere reditu typice præsignificabatur Gentilium vocatio ad regnum Dei sive ad Messianam *υἱοθεσιαν*.

Particula *και* non pertinet ad *εν τῳ Ωσηε*, quasi sensus sit: *cum in aliis Scripturis, tum* ETIAM (*και*) *in* HOSEA *propheta*; sed eam habet vim ut significet, Gentilium ad salutem Messianam vocationem quemadmodum erat facta (℣. 24) ita *etiam* (*και*) antea fuisse prædictam. *Λεγει* scil. *ὁ Θεος*. Particula *και* (℣. 27) non est conjunctio qua PAULUS unum Scripturæ locum cum altero nectat, sed est pars contextûs HOSEANI, qui Hebraice sic legitur: וְהָיָה בִּמְקוֹם אֲשֶׁר־יֵאָמֵר לָהֶם לֹא־עַמִּי אַתֶּם יֵאָמֵר לָהֶם בְּנֵי אֵל־חָי; quæ verba a Septuaginta verbotenùs Græce reddita ita sonant, ut a PAULO recitantur.

℣. 27 — 29. *Isaias autem clamat pro Israël: Nisi Dominus, cet.*). Probato ex HOSEÆ prophetia prædictum olim fuisse, fore ut Gentiles Messianam salutem participarent, statim quoque probat, adducto ISAIÆ vaticinio, olim itidem prænunciatam fuisse Judæorum plerorumque a Messiana salute exclusionem. Et duo ad hoc probandum adducit ISAIÆ testimonia; prius recitatur versiculis vigesimo septimo et octavo; posterius vigesimo nono. Leguntur autem apud ISAIAM illa testimonia, prius Cap. X. 22. 23, posterius Cap. I. 9. Et prius quidem Hebraice sic legitur: אִם־יִהְיֶה עַמְּךָ יִשְׂרָאֵל כְּחוֹל הַיָּם שְׁאָר יָשׁוּב בּוֹ כִּלָּיוֹן חָרוּץ שׁוֹטֵף צְדָקָה׃ כִּי כָלָה וְנֶחֱרָצָה אֲדֹנָי יֱהוִה צְבָאוֹת עֹשֶׂה בְּקֶרֶב כָּל־הָאָרֶץ׃ h. e. *Etsi populus tuus Israël* [1], *fuerit* (numerosus) *sicut arena maris*, tamen *reliquiæ* tantum (pauci tantum) *revertentur ex eo* (ad Deum); [2] *excidium decisum inundabit* [3] *justitiam* (vehementer ad instar aquarum inundantium inferet justitiam vindicativam): *nam excidium et decretam pœnam* [4] *Dominus Deus exercitûum facturus est in medio universæ terræ* (h. e. in universa Judæorum terra [5]). Prædicitur autem hoc vaticinio ingens illa clades, quæ

---

(1) Nomine ISRAËLIS hic intelliguntur Judæi, subditi, inquam, regni JUDA. Constat hoc ex contexta oratione præsentis vaticinii.

(2) Hebraicè בּוֹ *in eo*, ubi Affixum pertinet ad antegressum עַמְּךָ, *populus tuus*.

(3) Hebraicè שׁוֹטֵף Particip. cum notione Futuri, ut mox עֹשֶׂה. Verbum autem שָׁטַף, quod alias intransitivam notionem habet, hic *transitivè* significat. Confer Nostratium *stroomen*, quod et intransitive et transitive significat; dixeris hic: *verdelging is besloten, geregtigheid stroomend.*

(4) Vox נֶחֱרָצָה (Particip. Niktal a חָרַץ) hic sumitur ad modum substantivi nominis, ut in hoc DANIELIS (Cap. XI. 36): כִּי־נֶחֱרָצָה נֶעֱשָׂתָה quod valet *nam decretum* (pœna decreta) *peragitur.*

(5) Præsens locus recte in Vulgata redditur, nisi quod pro *consummatio abbreviata* mallem *consummatio decreta*. Item pro *consummationem et abbreviationem* maluerim *consummationem et decretum* (decretam pœnam). Vulgatæ versio hæc est: *Si enim fuerit populus tuus Israël quasi arena maris, reliquiæ convertentur ex eo, consummatio abbreviata inundabit justitiam. Consummationem enim et abbreviationem Dominus Deus exercitûum faciet in medio omnis terræ.*

sub Ezechia rege Judæis illata fuit a Sennacherib rege Assyriorum (Cf. 4 Reg. Cap. XVIII. 13. 2 Paralip. Cap. XXXII. 1.); qua quidem clade plerisque oppressis, pauci illi qui ab eadem superstites (Cf. 4 Reg. Cap. XIX. 4. 30. 31) ad Jehovam sunt conversi, typum gesserunt, Paulo docente, exigui numeri Judæorum qui Jesum Messiam recipiendo viam salutis ingrederentur, plerisque ob incredulitatem suam ab hac felicitate exclusis.

Sed jam age, ipsa quoque Pauli verba consideremus. *Ἡσαΐας δε κραζει*, inquit, *ὑπερ του Ισραηλ*. Probatâ (℣℣. 25 et 26) Gentilium ad Messianam salutem admissione, jam probatum quoque it plerorumque Judæorum ab hac salute exclusionem; ad quam probationem *transit* per Particulam *δε*. Quod autem dicit *κραζει*, *clamat*, emphatica hæc est Scripturas allegandi formula [1]. Præpositio *ὑπερ*, quam Vulgata reddidit *pro*, maluerim reddere *de*, quam notionem præsens locus omninò postulat. Observandum autem est Præpositionem *ὑπερ* eo etiam sensu adhiberi ut valeat *super* [2], *de*, veluti in hoc Pauli (2 Cor. I. 8): *Ου γαρ θελομεν ὑμας αγνοειν, αδελφοι, ὑπερ της θλιψεως ἡμων*; Vulgata: *Non enim volumus ignorare vos, fratres, de tribulatione nostra*. Recitatur autem ab Apostolo Isaiæ illud oraculum iisdem fere verbis quibus legitur in versione Septuaginta-virali, quæ sic habet: *Και εαν γενηται ὁ λαος Ισραηλ ὡς ἡ αμμος της θαλασσης, το καταλειμμα αυτων σωθησεται. Λογον συντελῶν και συντεμνων εν δικαιοσυνῃ· ὁτι λογον συντετμημενον Κυριος ποιησει εν τῃ οικουμενῃ ὁλῃ*. Quæ ibi, ut et in Paulina recitatione, leguntur Participia *συντελῶν και συντεμνων*, suppleto *εσται* [3], valent *συντελησει και συντεμει*, scil. *ὁ Κυριος*. Quid autem Septuaginta dicere voluerint per vocem *λογον* [4] non satis liquet. Obscurum pariter est quanam ratione Græcæ voces Hebraicorum vocabulorum sensum heic exprimant, eoque magis quod in eorum versione nullum est vocabulum quo vox שׁוֹטֵף reddatur. Ut mihi quidem videtur, fieri non potest ut præsentem locum Septuaginta sic legerint, ut is nunc habet in Bibliis Hebraicis. Quidquid sit, ad *rem* quod attinet, non dissonat ab Hebraico textu Græca versio licet obscurior. Græca reddideris: *Verbum* suum, (id quod comminatus est Dominus) *perficiet* (*συντελῶν* scil. *εσται*) *et mature perficiet* (*και συντεμνων*) *in æquitate* (*εν δικαιοσυνῃ*), q. d. ad normam justitiæ vindicativæ; *nam* (*ὁτι*) *utique verbum maturatum* (*λογον συντετμημενον* q. d. cujus eventum maturum esse voluit)

(1) Veteres Hebræorum doctores in allegationibus suis emphaticè exprimendis quoque dicere soliti fuerunt הַתּוֹרָה צוֹוַחַת *lex clamat*, vel הַנָּבִיא צוֹוֵחַ *Propheta clamat*. Cf. Surenhusii Βιβλ. καταλλ. pag. 468.

(2) Confer Virgilianum illud (Æneid. I. 754): *Multa super* Priamo *rogitans, super* Hectore *multa*.

(3) Ob insequens ποιησει.

(4) Quin vocem כִּלָּיוֹן reddiderint per λογον dubitari nequit, quum insequentem ejusdem notionis vocem כָּלָה pariter per λογον reddiderint.

facturus est Dominus in universa (Judæorum) *terrâ*. Patet ex hac versione quid intelligam id quod in Vulgata dicitur *verbum....abbrevians*, et *verbum breviatum*.

℣. 29. *Et sicut prædixit Isaias : Nisi Dominus Sabaoth*, cet.). Alterum hoc est vaticinium (*καθως προειρηκεν Ἡσαΐας*) quod Apostolus affert ad probandam Judæorum plerorumque a Messiana salute exclusionem; et recitat illud iisdem plane verbis, quibus illud legitur in versione Septuaginta Interpretum, qui hoc loco Hebraica [1] perspicue et fere verbotenùs reddiderunt. Loquitur autem Isaias de ingenti clade Judæis ab Assyriis inferenda, a qua non nisi paucissimi forent superstites; hi verò, docente Paulo, typum gerebant paucorum illorum Judæorum, qui in communi ceterorum infidelitate, Evangelio essent credituri atque ita participaturi Messianam salutem. —

Pro Hebraico שָׂרִיד (*superstes*, i. q. פָּלִיט) Græce est *σπερμα*, *semen*, puta quod servatur ad sementem. In dictione ista, *ὡς Γομοῤῥα αν ὡμοιωθημεν* duæ permixtæ sunt structuræ hæ: *ὡς Γομορρα αν εγενηθημεν* et *Γομοῤῥᾳ ὡμοιωθημεν*.

℣. 30—33. Quid ergo dicemus? Quod gentes, quæ non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam: justitiam autem, quæ ex fide est. 31 Israël verò sectando legem justitiæ, in legem justitiæ non pervenit. 32 Quare? Quia non ex fide, sed quasi ex operibus: offenderunt enim in lapidem offensionis,

℣. 30—33. Τί οὖν ἐροῦμεν; Ὅτι ἔθνη τὰ μὴ διώκοντα δικαιοσύνην, κατέλαβε δικαιοσύνην [a], δικαιοσύνην δὲ τὴν ἐκ πίστεως· 31 Ἰσραὴλ δὲ διώκων νόμον δικαιοσύνης, εἰς νόμον δικαιοσύνης οὐκ ἔφθασε. 32 Διατί; ὅτι οὐκ ἐκ πίστεως, ἀλλ' ὡς ἐξ ἔργων νόμου. [b] Προσ-

Paraphrasis. Quum hæc ita habeant, quid igitur ad ea dicendum est? Omnino dicendum est id quod res est, scilicet, quod Gentiles, qui minimè studebant assequendæ justitiæ, justitiam sunt adepti, eam, inquam, justitiam, quam Deus gratuito efficit in credente; Israëlitæ autem dum student assequi justitiam, justitiam non sunt adepti. Et quare hoc? Quia studuerunt eam sibi comparare non ex fide, sed ita quasi ea ex præstitis operibus Legis haberi po-

---

(1) לוּלֵי יְהוָֹה צְבָאוֹת הוֹתִיר לָנוּ שָׂרִיד כִּמְעָט כִּסְדֹם הָיִינוּ לַעֲמֹרָה דָּמִינוּ׃ h. e. *Nisi* Jehovah (Deus) *exercituum fecisset nobis residuum perexiguum* (perpaucos nobis reliquisset superstites), *sicut Sodoma fuissemus et similes Gomorrhæ* (h. e. penitùs periissemus). כִּמְעַט, ut parum, dictio Adverbialis, ubi ad modum Adjectivi jungitur Substantivo, hujus notionem auget.

33 sicut scriptum est : Ecce pono in Sion lapidem offensionis, et petram scandali : et omnis, qui credit in eum, non confundetur.

ἔκοψαν γὰρ c) τῷ λίθῳ τοῦ προσκόμματος· 33 καθὼς γέγραπται· Ἰδοὺ ἐγὼ τίθημι ἐν Σιὼν λίθον προσκόμματος, καὶ πέτραν σκανδάλου· καὶ πᾶς d) ὁ πιστεύων ἐπ' αὐτῷ, οὐ καταισχυνθήσεται.

tuisset. Non ex fide, inquam, justitiam sibi comparare studuerunt; etenim in Christum tamquam in offendiculi lapidem increduli impegerunt; quæ eorum offensatio olim prædicta fuerat hisce verbis : *Ecce pono in Sione lapidem in quem impingent, et petram in quam incurrent; quicumque vero in illum crediderit, non erubescet.*

VARIANS LECTIO.

a) Vox δικαιοσυνη secundo loco posita abest a Codicibus ABDEG. Attamen cum Lachmanno, qui eam e suo contextu expunxit, nolim facere; cum quòd præsens oratio illâ voce carere nequit, tum etiam quia error librarii hoc loco erat proclivis.

b) Vox νομου non legitur in Codd. ABFG, ut nec in nonnullis Minusculis; abest pariter a versionibus Latina (Vulgata) et Coptica. Glossema quidem olet ibi vox νομου, multum tamen dubito an glossema sit.

c) Vocula γαρ non legitur in Codicibus ABD*FG.

d) Vox πας abest a Codicibus ABDEFG.

ỷ. 30—33. *Quid ergo dicemus? Quod Gentes, cet.*) Hic jam declarat Apostolus quam tandem ob rem Judæi plerique exclusi fuerint a Messiana salute sive a gratia justificationis evangelicæ, Gentilibus illam salutem participantibus. Et docet Judæos ab evangelica justificatione ideò fuisse exclusos, quia Christo credere noluerint; atque idem hoc thema toto insequenti capite uberius pertractat. Transit autem Apostolus ad hanc declarationem per formulam τι ουν ερουμεν, ubi ουν referendum est ad antegressa (ỷ. 25—29) de Judæis et Gentilibus vaticinia, quæ eventu comprobata fuisse manifestum erat. Sensus est : *Quum hæc ita habeant, quid igitur* (ουν) *ad ea dicendum est? Omnino dicendum est id quod res est, scilicet, quod Gentiles qui minimè studebant assequendæ justitiæ* (τα μη διωκοντα δικαιοσυνην), *justitiam sunt*

adepti , eam , inquam , justitiam , quæ ex fide oritur , hoc est , quam Deus gratuitò efficit in credente ; Israëlitæ autem dum student assequi (διωκων) *justitiam* (νομον δικαιοσυνης) , *justitiam non sunt adepti. Et quare justitiam non sunt adepti? Quia studuerunt eam sibi comparare non ex fide* (ουκ εκ πιστεως) *sed quasi ex præstitis Legis operibus illa haberi potuisset* (αλλ᾽ ὡς εξ εργων νομου). *Non ex fide , inquam , justitiam sibi comparare studuerunt ; etenim* (γαρ) *in* Christum *tamquam in offendiculi lapidem increduli impegerunt ; quæ ipsa offensatio olim prædicta fuerat hisce verbis : Ecce pono in Sione lapidem in quem impingent , et petram in quam incurrent ; quicumque verò in illum crediderit , non erubescet.*

Εθνη intelliguntur *Gentiles universe.* Articulus abest , ut supra Cap. II. 14 et III. 29 ; et poterat abesse quum vox εθνη in his adhibeatur ad modum Nominis non *appellativi* sed *proprii.* Quod additur τα μη διωκοντα δικαιοσυνην , emphatice hoc additur et in hunc quidem sensum : *Quando Gentiles , ii , inquam , homines , qui minime studebant assequendæ justitiæ.* – Gentiles qui nihil minus curabant quam ut justi essent Deoque accepti , tales tamen effecti sunt ; *justitiam ,* inquam , sunt adepti , Evangelicam videlicet , quæ divinitùs cuicumque credenti tribuitur gratis , illa quæ ab Apostolo vocatur (Cap, III. 22) *justitia Dei per fidem* Jesu Christi . Recolenda hic sunt ea quæ notavimus supra ad Cap. III. 21 , sq. Pro repetito illo (℣. 31) νομου δικαιοσυνης Apostolus bis scribere potuisset simpliciter δικαιοσυνην , neque sic , si *rem* spectes , aliud quid dixisset quam nunc dicere voluit ; sed acutius loqui maluit. Verba διωκειν et καταλαμβανειν ducta sunt a Cursu publico in stadio ; itaque mataphorica est præsens oratio. Videsis quæ notavi in Commentario in Epistolam ad Philippenses ad Cap. III. 12. Quod autem dicit Apostolus προσεκοψαν γαρ , eo *probat* (γαρ) Israëlitas *non ex fide* (ουκ εκ πιστεως) quæsivisse justitiam ; *nam,* inquit, Jesu *Messiæ humilitate offensi fidem illi adhibere noluerunt.* Non erant ex iis de quibus ipse dixerat (Matth. XI. 6) : *Beatus , qui non fuerit scandalizatus in me.* Ceterum *lapis offensionis* dicitur Christus ab eventu , ut ad præsentem locum notat Theophylactus [1]. Ideo autem Paulus hac Messiæ nomenclatura hic usus est , quia ut probaret eam rem olim fuisse prædictam , recitaturus erat vaticinium in quo promissus Messias sic *lapis offensionis et petra scan-*

---

(1) Προσεκοψαν τῳ Χριστῳ, τουτεστιν, ηπιστησαν. Λιθος δε προσκομματος και πετρα σκανδαλου, απο του τελους και της εκβασεως των απιστησαντων ονομασται ὁ Χριστος. Αυτος γαρ καθ᾽ ἑαυτον θεμελιος και ἑδραιωμα ετεθη· φησι γαρ· Πας ὁ πιστευων επ᾽ αυτῳ ου καταισχυνθησεται , καν Ἑλλην, καν Ιουδαιος. h. e. *In* Christum *impegerunt , id est , increduli fuerunt. Lapis autem offensionis et petra scandali a fine et eventu eorum qui non crediderunt* Christus *nominatus est. Ipse enim ad se quod attinet positus est in fundamentum et basin ; ait enim :* Omnis qui credit in eum non pudefiet , *sive Græcus sit sive Judæus.*

dali ab eventu erat vocatus. Quod autem ibi recitat Apostolus vaticinium, est hoc ex duobus ISAIÆ locis compositum; scilicet ex Isaiæ Cap. XXVIII. ỷ. 16 et Cap. VIII. ỷ. 14. Subjicimus hic duo illa ISAIÆ loca: et prior quidem Hebraice sic sonat: הִנְנִי יִסַּד [1] בְּצִיּוֹן אֶבֶן אֶבֶן בֹּחַן פִּנַּת יִקְרַת מוּסָד מוּסָּד הַמַּאֲמִין לֹא יָחִישׁ h. e. *Ecce pono in Sione lapidem, lapidem probatum* (exploratæ firmitatis) *angularem* (lapidem) *pretiosum*, *bene fundatum* [2]; *qui crediderit non trepidabit* [3]; alter vero locus sic legitur: וְהָיָה לְאֶבֶן נֶגֶף וּלְצוּר מִכְשׁוֹל h. e. *et erit lapis offendiculi*, *et petra offensationis* (Vulg. *petra scandali*). Apostolus, uti patet, duo hæc Prophetica loca in unum composuit, idque ita tamen ut pro instituti sui ratione omiserit verba אֶבֶן בֹּחַן פִּנַּת יִקְרַת מוּסָד מוּסָּד. Quod posteriori loco recitavimus ISAIÆ vaticinium in litterali quidem sensu ad JEHOVAM pertinet et ad theocratiam Israëliticam, typice autem ad regem MESSIAM et antitypicam Novi Fœderis theocratiam. Illud verò ISAIÆ vaticinium, quod priori loco posuimus, si litterali sensu non ad MESSIAM pertineat sed ad EZECHIAM, id quod nonnemini placuisse video, typico certe sensu ad MESSIAM erit referendum. Quidquid sit, dubium esse nequit quin utrumque vaticinium ad MESSIAM et Evangelii tempus pertineat, quum hoc Apostoli PETRUS (1 Petr. II. 6—11) et PAULUS disertè nos doceant.

Superest ut hic, sicut promisimus (supra p. 302), ad modum cujuspiam excursûs percurramus ea S. Scripturæ loca, quæ præterea adduci solent a defensoribus *Prædestinationis ad gloriam* quæ facta sit *ante prævisa merita*. Sunt autem quæ huc pertinent loca præcipua hæc: 1. Cor. IV. 7; Ephes. 1. 4; 2 Tim. I. 9; Tit. III. 5; Rom. VI. 23; Act. XIII. 48. De quibus omnibus dicturi sumus eo ordine, quo hic fuêre recensita.

I). 1 Cor. IV. 7: *Quis te discernit? quid autem habes, quod non accepisti?* « His verbis, inquit GOUDINUS [4], omnis discretio bonorum a malis, proindeque electorum a reprobis, quæ omnium præcipua est, gratuito Dei beneficio palam adscribitur.» Ita

---

(1) יִסַּד pro יִסֵּד, ut אִבַּד 2 Reg. XXI. 3 pro אִבֵּד. Syntaxis est 3æ Personæ cum הִנְנִי, quemadmodum Isaiæ Cap. XXIX. 14. XXXVIII. 5. Dictionem הִנְנִי יִסַּד resolvas in הִנֵּה אֲנִי הוּא אֲשֶׁר יִסַּד, *ecce ego is sum qui posuit.*

(2) Hebraice est מוּסָד מוּסָּד, *fundationis fundatæ* (lapidem).

(3) Hebraice est יָחִישׁ, cujus vocabuli notio obscurior est. Septuaginta Interpretes hic pro יָחִישׁ videntur legisse יֵבוֹשׁ *pudefiet*. LXX præsentem locum sic reddunt: Ιδου εγω εμβαλλω εις τα θεμελια Σιων λιθον πολυτελῆ, εκλεκτον, ακρογωνιαιον εντιμον, και ὁ πιστευων επ' αυτῳ ου μη καταισχυνθῇ.

(4) F. ANT. GOUDIN, ordinis Prædicatorum, in sacra Facultate Parisiensi Doctoris Theologi Tractatus de Gratia. Part. 1. pag. 525 sq. Ed. Colon. Agripp. 1723.

Goudinus, qui et putat præsentem Apostoli locum habere præcipuam quamdam vim ad firmandam doctrinam quam propugnat; nam post recitata in eumdem finem alia nonnulla Scripturæ loca, exclamat: *Nisi his testimoniis gratuita meritumque antevertens prædestinatio* (ad gloriam) *exprimatur, non video plane quibus exprimi poterit.*

Theologis qui de re dogmatica scripserunt identidem accidit ut in sacrarum Scripturarum studio non satis versati, ad confirmanda dogmata Catholica aut etiam ad sua placita tuenda incongrua adducant testimonia, atque ita ad suum sensum trahant Scripturam repugnantem. Quod et Goudino hic accidit; enimvero, ut rectissimè jam Petavius [1] admonuit, *nequaquam est Apostolo illic sermo de sempiterna salute et electione vel prædestinatione, sed de ornamentis ac dotibus ob quas aliis alii anteferebant se vel a discipulis præponebantur.* Addit idem (*ibid.*), verba Apostoli in eam quam dixit sententiam explicari tum a Græcis omnibus et vulgò a Latinis, tum etiam ab Arausicana Synodo, Canonibus sexto et vigesimo quinto.

II). Ephes. I. 4: *Sicut elegit nos in ipso* (Christo) *ante mundi constitutionem, ut essemus sancti.* Etiam hunc locum Goudinus recitat [2] ad probandam sententiam suam de *gratuita meritumque antevertente prædestinatione ad gloriam.* Et quasi rem confecisset, triumphabundus exclamat: *Vides, non elegisse quia meliores præviderat, sed ut nos meliores faceret, proindeque ante merita.* Profectò agitur eo loco de electione sive prædestinatione prorsus gratuita, sed de eâ-ne agitur quæ sit *ad gloriam*? Minimè verò. Contra, tota illius loci contexta oratio ostendit sermonem ibi esse de electione, quam vocant, *ad fidem et gratiam Evangelicam.* Paulus in illo Epistolæ suæ ad Ephesios exordio, post solitam *gratiæ et pacis* apprecationem, suo et omnium Ephesiorum Christianorum sive *sanctorum* [3] nomine Deo gratias agit [4], quòd illis in Christo [5] contulisset quævis bona spiritualia, *sicut* (*καθώς*) *in illo ab æterno eos elegisset ut essent sancti* [6].

---

(1) *De Deo Deique proprietatibus* Lib. X (qui est secundus *de Prædestinatione*) Cap. 1. n° 13.

(2) In laud. op. pag. 526.

(3) Paulus *Apostolus omnibus sanctis qui sunt Ephesi.* ℣. 1. De illa nomenclatura qua Christiani in Scripturis Novi Testamenti passim vocantur *sancti*, videsis quæ notavi in Commentario in Ep. ad Philipp. ad Cap. 1. ℣. 1.

(4) Solenne Paulo est epistolarum suarum exordium facere a gratiarum actione. Vide Rom. I. 8. 1. Cor. I. 4. 2 Cor I. 3. Coloss. I. 3. 1 Thess. I. 2. 2 Thess. I. 3. 2 Tim. 1. 3. Philem. ℣. 4.

(5) Quid valeat illud *in Christo*, videsis in Commentario in Ep. ad Philipp. ad Cap. 1. 1. p. 17.

(6) Καθώς, *sicut*, in præsenti oratione eam vim habet ut significet Deum, conferendo illa bona spiritualia, ita fecisse *in tempore* sicut (καθώς) facere *ab æterno* decreverat.

Ergo agitur de electione *ad sanctitatem*. Atqui *sanctitas* illa Apostolo alia non est ac ea quam docet contingere omnibus *justificatis per fidem;* quod vel inde patet quòd eos quos *sanctificatos* vocat, eosdem sub eodem respectu pariter vocat *justificatos* [1]). Sed et contexta Apostoli oratio hoc liquidò probat; nam quos versu quarto dicit a Deo *electos ut essent sancti*, eosdem mox, insequenti versu, eâdem ratione *prædestinatos* dicit *in adoptionem filiorum*, εἰς υἱοθεσιαν; id quod indicio est Apostolum loqui de gratia *justificationis*; nam alibi [2]) *justificatos*, mutatâ denominatione, vocat filios Dei *adoptivos*.

Ad hæc, si putemus Apostolum dicendo, *elegit nos ut essemus sancti*, illis verbis significasse electionem sive prædestinationem ad gloriam, jam, quandoquidem ad omnes Christianos Ephesios sermonem suum dirigit, consequatur eumdem sensisse Christianos Ephesios ad unum omnes esse prædestinatos, eamque rem illis revelasse; ibi verò mirum videri debeat quid causæ sit cur post hæc nihilominus eosdem adhortetur tamquam tales quos minime oporteret de sua salute esse securos. Vide Ephes. Cap. VI. 11—14.

Ex disputatis concludimus, *eligi ad sanctitatem* non esse Apostolo *eligi ad gloriam*, sed eligi *ad gratiam* [3]). Itaque nullum ex illis PAULI verbis duci potest argumentum ad

---

(1) Cf. 1. Ep. ad Corinth. VI. 11: *Et hæc quidam fuistis; sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis* (εδικαιωθητε).

(2) Cf. Rom. VIII. 15. Gal. III. 26. 27. Ibid. IV. 2.

(3) Illos, qui hanc Justificationis gratiam *reapse* jam consecuti sunt, Apostolus promiscue vocat nunc κλητους, nunc κλητους ἁγιους, nunc εκλεκτους. Cf. dicta ad Cap. VIII. 28. Ceterum via ad hanc gratiam consequendam nulli hominum non aperta est; nam *Deus*, docente Apostolo (1 Tim II. 4), *omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire*. « Est autem, ait PETAVIUS (*De Prædest. Lib.* X. *Cap.* III. V.) ex hac generali communique Dei voluntate consequens, ut *omnibus* gratiam ac necessaria comparandæ salutis præsidia et adjumenta suppeditet... Nisi enim ita faceret sed *certis quibusdam* tantummodo necessaria præberet auxilia, cum sine iis salus æterna obtineri nequeat, non *omnes* salvos velle diceretur, sed eos dumtaxat quibus opem ferret, reliquos nolle omnino salvos esse. Habet enim hoc voluntas omnis si est firma et seria, ut quidquid appetit, ejus obtinendi causâ quæ sunt necessaria conquirat ac sibi aliisve procuret; præsertim cum voluntas ista amoris est ac benevolentiæ.... Quare quum voluntas illa Dei, qua salutem vult omnium, ex amore in eos proficiscatur ac benevolentiâ qua nullo suo emolumento illos prosequitur, πρακτικη, id est, *efficax* esse debet eorum quæ sunt ipsis commoda..... Itaque gratiam omnibus necessariam impertitur, et quam vocant *sufficientem*.» De seria Dei omnes homines salvandi voluntate accuratè copiosè eruditè et tersâ latinitate tractavit KAROLUS PASSAGLIA, sodalis e societate JESU, in præclaro suo opere quod inscribitur: *Commentariorum Theologicorum Pars tertia. De partitione divinæ voluntatis in primam et secundam deque universali reparati ordinis amplitudine*. Romæ, 1851.

probandam gratuitam ad gloriam prædestinationem; nam, ut ostendimus, Apostolus ea de re ne loquitur quidem.

III). Præter illa Pauli loca de quibus adhuc disputavimus, Goudinus [1]) adduxit etiam 2 Tim. I. 9 [2]), item Tit. III. 5 [3]), aliaque hujuscemodi; in quo incassum laboravit; nam in omnibus iis locis Apostolo sermo non est nisi de sola gratuita justificatione aut de gratuita vocatione ad fidem et gratiam evangelicam. Quod si hoc nec Goudinum latuit, vitioso tamen usus est interpretandi genere, Pauli effata de gratuita justificatione aut vocatione *ad gratiam* nullâ exegeticâ ratione extendens ad gratuitam prædestinationem *ad gloriam.*

IV). Rom. VI. 23: *Gratia Dei vita æterna.* Ibi, inquiunt, vita æterna vocatur gratia, quia *gratis* ad illam eligimur sive prædestinamur; ergo non ex prævisis meritis. Respondeo, nullo modo ibi sermonem esse de Prædestinatione, sed de æternæ vitæ mercede retribuenda bonis *justorum* operibus, quæ quidem opera ideo *gratiam Dei* Apostolus ibi vocavit, ut hac loquendi ratione unà significaret, justum non suis solius viribus sed gratiâ Dei adjutum vitam mereri æternam. Confer quæ supra ad hunc locum adnotavimus.

V). Act. XIII. 48. *Crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam eternam.* Vide quæ ad hunc locum diximus in Commentario in Actus Apostolorum.—

---

(1) Ibid. p. 527.

(2) *Vocavit nos vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum et gratiam.*

(3) *Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit.*

CAPUT DECIMUM.

ARGUMENTUM. *Quod sub finem antegressi Capitis uno verbo dixerat Apostolus (Cap. IX. 32), scilicet a Messiana salute exclusos fuisse Judæos propter suam incredulitatem, illud toto hoc capite docet explicatius. Orditur autem, quippe dicturus de re odiosa, a declarando se ex animo bene velle suis popularibus Deumque orare pro ipsorum salute, idque quia studiosi essent divinæ legis observandæ; quod bonum testimonium illis haud negaverit; addit verò, ad propositum suum jam veniens, præpostero eos ibi duci studio, quum justi esse coram Deo quærerent per legis observantiam, eam quam Deus instituisset acquirendæ justitiæ rationem ignorantes adeòque divinæ ejus voluntati sese non submittentes;* finem *enim* legis *esse* CHRISTUM ad justitiam cuivis credenti (1—5). *Probat porrò Apostolus, adductis variis sacræ Scripturæ testimoniis, per fidem* CHRISTI *obtineri justitiam quæ coram Deo valeret, et sicut unicuique credenti, nullo gentis discrimine, illa justitia offerretur obtinenda, ita quoque per legatos divinitùs missos qui* CHRISTUM *prædicarent factam esse cuivis credendi potestatem; Judæorum autem plerosque credere noluisse, eâque re eventu fuisse comprobatum quod vaticinatus esset* ISAIAS *quum diceret:* Domine, quam pauci sunt qui fidem adhibent nostræ prædicationi (5—17). *Ex hoc* ISAIÆ *oraculo infert ibi Apostolus, ex divini verbi prædicatione exsistere fidem, prædicationem autem institui ex divino mandato. Atque hac transitione usus, occurrit Judæorum incredulorum excusationi qua forte dicerent, aut ad se non pervenisse Evangelii prædicationem, aut se ignorasse etiam Gentiles ad Messianam salutem esse vocandos, atque ideò noluisse fidem adhiberi prædicato Evangelio, quòd viderent ibi Messianam salutem offerri etiam Gentilibus* (17—21).

ỳ. 1—4. Fratres, voluntas quidem cordis mei, et obsecratio ad Deum, fit pro illis in salutem. 2 Testimonium enim perhibeo illis quod æmulationem Dei habent, sed non secundum scientiam. 3 Ignorantes enim justitiam Dei, et suam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti. 4 Finis enim legis, Christus, ad justitiam omni credenti.

ỳ. 1—4. Ἀδελφοὶ, ἡ μὲν εὐδοκία τῆς ἐμῆς καρδίας καὶ ἡ δέησις ἡ a) πρὸς τὸν Θεὸν ὑπὲρ τοῦ Ἰσραὴλ b) ἐστιν c) εἰς σωτηρίαν. 2 Μαρτυρῶ γὰρ αὐτοῖς ὅτι ζῆλον Θεοῦ ἔχουσιν, ἀλλ' οὐ κατ' ἐπίγνωσιν. 3 Ἀγνοοῦντες γὰρ τὴν τοῦ Θεοῦ δικαιοσύνην, καὶ τὴν ἰδίαν δικαιοσύνην d) ζητοῦντες στῆσαι, τῇ δικαιοσύνῃ τοῦ Θεοῦ οὐχ ὑπετάγησαν. 4 Τέλος γὰρ νόμου Χριστὸς, εἰς δικαιοσύνην παντὶ τῷ πιστεύοντι.

Paraphrasis. Fratres, cordis mei desiderium meæque pro popularibus meis preces sunt ut Messianam salutem participent. Nam hoc bonum illis do testimonium: ducuntur illi zelo observandæ legis divinæ; at verò non intelligenter illo zelo ducuntur. Nam dum ignorant modum quo ex Dei instituto perveniri debeat ad statum justitiæ, illi suo modo eò pervenire quærunt, atque ita fit ut Dei instituto non sint subjecti. *Finis enim legis est* Christus *ad justitiam cuivis credenti.*

VARIANS LECTIO.

a) Articulus ἡ ante προς non legitur in Codd. ABDEFG.

b) Pro του Ἰσραηλ est αυτων in Codd. ABDEFG, quam lectionem Latina Vulgata quoque exhibet. Lectio του Ισραηλ ex aliquo glossemate nata videtur.

c) Voculam εστιν, quæ heic abest a Codd. ABDEFG, pro glossemate habuerim.

d) Post την ιδιαν non legitur vox δικαιοσυνην in Codd. ABDE ut nec in Vulgata aliisque nonnullis antiquis versionibus; sed exhibent ibi vocem δικαιοσυνην Codices FGIK, Minusculi plerique et antiquæ versione pleræque. Ego quidem vocem pro genuina habuerim, quamquam sapit glossema.

ỳ. 1. *Fratres, voluntas quidem cordis mei et obsecratio ad Deum fit pro llis in salutem.)* Id quod modò (Cap. IX. 31. 32) unò verbo dixerat Apostolus, scilicet sui temporis Judæos plerosque, dum præpostere student assequendæ justitiæ

eam minimè fuisse adeptos, eosque ideò ab evangelica justificatione fuisse exclusos quòd Christo credere noluissent, illud heic jam explicatius est docturus unàque ostensurus incredulitatem ipsorum nullam habere excusationem (1—21). Itaque dicturus de re odiosa, quo suspicionem malevolentiæ erga populares suos a se amoveat, exorditur a declarando denuò [1]) quam sit propensâ in eos voluntate ac benevolentiâ. *Desiderium* (ἡ ευδοκια) *cordis mei*, *inquit*, *et* (inde natæ) *preces quas Deo adhibeo pro illis* (ὑπερ αυτων) *sunt ut salventur* (εις σωτηριαν), puta, ut ab incredulitate sua resipiscant atque ita gratiam evangelicæ justificationis participent. Apostoli verba Gallice accuratius sic reddideris: *Le desir de mon cœur et mes prières pour eux a Dieu sont pour leur salut.*

Αδελφοι, *fratres!* Alloquitur eos ad quos scribit, Romanos, inquam, Christianos, tam ex Judæis quam ex Gentilibus collectos; non verò ibi alloquitur, ut nonnemo putavit, populares suos, incredulos, inquam, Judæos. Patet hoc ex contexta oratione ubi de Judæis incredulis continuò loquitur non in *secunda* sed in *tertia* persona; sic, ut hoc utar, non dixit ἡ δεησις ὑπερ ὑμῶν sed ὑπερ αυτων.— Ἡ μὲν ευδοκια (Vulg. *voluntas quidem*): μὲν ibi ponitur non sequente δὲ. Putat Dr. Adalb. Maier [2]) oppositam sententiam quæ per δὲ adjicienda fuisset, variatâ orationis formâ, ad *rem* quod attinet contineri verbis insequentibus istis (℣. 2. 3.): αλλ' ου κατ' επιγνωσιν· αγνοοῦντες γαρ, cet. Quod mihi quidem non probatur, cum quòd illa verba non talem exprimunt rem quæ Pauli desiderio et precationi satis aptè opponatur, tum etiam quòd minime necesse est ubicumque μεν ponitur non sequente δε, ibi quoque cogitare aliquid quod quoquo tandem modo opponatur rei significatæ in ea orationis parte quæ habet μεν. Nonnumquam enim fit, quod docet Devarius [3]), ut μὲν sine δὲ subsequente non ad sejungenda differentia seu diversa vel opposita adhibeatur sed per se posita sit habeatque vim simpliciter περιγραφικην et περιοριστικην, veluti in hoc Aristophanis (in *Pluto* ℣. 58): *Εγω μεν οιμωζειν λεγω σοι*, *Tibi ego dico*, *ut male pereas*, ubi μὲν ad nullam δὲ referendum sit. Tale μεν illud quoque est quod legitur Act. Ap. Cap. XIX. 4: *Ιωαννης μεν εβαπτισε βαπτισμα μετανοιας* [4]). Nec aliud dixerim esse μεν quod hoc epistolæ loco occurrit.

---

(1) Confer dicta ad Cap. IX. 1.

(2) *Commentar uber den Brief* Pauli *an die* Römer. (ad h. l.): « Dem distinguirenden μεν fehlt wieder das entsprechende δε, vgl. VII. 12; aber es ist der parallele Satz, der mit δὲ folgen sollte, dem Gedanken nach in αλλ' ου κατ' επιγνωσιν αγνοουντες γαρ λ. enthalten: *meinerseits is zwar der Wunsch etc. vorhanden*, *aber anderseits stelt sich der Erfülling desselben ein Hindernisz entgegen.* »

(3) *De Græcæ linguæ Particulis.* Cap. XIII.

(4) Vide quæ ad hunc locum notavimus in Commentario. Istiusmodi μεν non satis rectè vocaveris μεν *solitarium*.

Utrumque, et *ἡ δεησις* et *ἡ ευδοκια της ἐμῆς καρδιας*, jungendum est cum *ὑπερ αυτων*. Et verò quid, quæso, in presenti oratione significet *ἡ ευδοκια της εμης καρδιας*, si illud ab *ὑπερ αυτων* sejungas? Est autem *ευδοκια* hic, Theodoreto (1) interprete, *επιθυμια*, *desiderium*, eaque notio hoc loco voci *ευδοκια*, quia jungenda est cum *ὑπερ αυτων*, recte subjicitur; nam absolutè posita non valet *επιθυμια*, *desiderium* (2), sed *propensa voluntas*, *benevolentia*, quo sensu auctor Vulgatæ et Syrus interpres vocem *ευδοκια* hoc loco reddiderunt. (3) — Articulus *ἡ* ante *προς τον Θεον* secundum accuratam Grammaticam quidem repetendus sit; in istiusmodi tamen vocum conjunctione repetitio Articuli negligitur etiam a scriptoribus bene Græcis. Sic, ut hoc utar, Polybius (III, 48. II): dixit: *Την των οχλων αλλοτριοτητα προς Ῥωμαιους*. Confer quæ notavimus in Commentario in epistolam ad Philippenses ad Cap. 1. 5. p. 22. — Præpositio *εις* ibi dicitur *θελικῶς*, atque adeò *εις σωτηριαν* (scil. *ἐστι*) valet *ἱνα σωθῶσι*.

ỹ. 2. *Testimonium enim perhibeo illis quod æmulationem Dei habent, sed non secundum scientiam.*) Exponit *rationem cur* (*γαρ*) desideret Deumque precetur ut populares sui Messianam participent salutem. Et ratio erat, quia divinæ legis essent studiosi, Evangelio autem credere negarent non tam ex malitia quam potius ex ignorantia. *Hoc enim*, inquit, *bonum testimonium illis do* (*μαρτυρῶ αυτοις*. Dativus *Commodi*): *ducuntur studio zeloque Dei* (*Θεου* Genitivus *objecti*, ut Joh. II. 17: *ὁ ζηλος του οικου σου*), *sed eo ducuntur non intelligenter*, *non sapienter* (*κατ' επιγνωσιν*). *Zelus Dei* qui heic dicitur, intelligendus est ut conspicuus in illorum studio observandæ legis Mosaicæ. Docet hoc contexta oratio. Sed vitiosum erat illud studium quum non esset *κατ' επιγνωσιν*, *secundum scientiam;* quod quo modo hic intelligendum sit ipse Apostolus statim explicat, dicens:

---

(1) Ad h. l. Ευδοκίαν, inquit, ενταυθα την επιθυμιαν εκαλεσε· και γαρ επιθυμῶ, φησι, και προσευχομαι της σωτηριας αυτους τυχειν. h. e. Ευδοκιαν *hoc loco* desiderium *appellavit; cupio enim, inquit, et precor, ut salutem consequantur.* In eamdem sententiam eam vocem interpretatus est et Theophylactus: «Ἡ μεν ευδοκια, inquit, τουτεστιν, ἡ θελησις μου και ἡ σφοδρα επιθυμια· και ου μονον τουτο, αλλα και ἡ δεησις ὑπερ ὑμων εστιν· h. e. Ευδοκια, *hoc est, voluntas mea et vehemens desiderium; et non solum hoc, verum etiam obsecratio pro vobis est*».

(2) Pariter nec ευδοκειν illud quod legitur 2 Cor. V. 8. 1 Thess. II. 8 et III. 1 valet *desiderare*. Nam ευδοκουμεν μαλλον 2 Cor. V. 8 est *malumus;* ευδοκουμεν (Imperf. sive augmento) 1 Thess. II. 8 est *cupide volebamus;* denique ευδοκησαμεν 1 Thess. III. 1 valet *placuit nobis*.

(3) ܨܒܝܢܐ ܕܠܒܝ ܘܒܥܘܬܝ ܕܠܘܬ ܐܠܗܐ
ܥܠܝܗܘܢ ܕܢܚܘܢ ܀

h. e. *Voluntas cordis mei et precatio mea ad Deum pro illis* (est) *ut salventur.*

ỳ. 3. *Ignorantes enim justitiam Dei, et suam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti.*) Ostendit Apostolus *causam cur* (γαρ) illorum ζῆλος non sit *κατ' επιγνωσιν*, *secundum scientiam*. Et causa erat quia dëesset illis scientia *justitiæ* Dei (της του Θεου δικαιοσυνης), hoc est, quia ignorarent modum quo ex Dei instituto perveniri deberet ad statum justitiæ; ex qua ignoratione fiebat ut dum *stabilire conarentur* (ζητουντες στησαι) suam *justitiam* (την ιδιαν δικαιοσυνην), hoc est, dum suo modo quærerent pervenire ad statum justitiæ sive gratos acceptosque esse *Deo*, sese *non submitterent* (ουχ ὑπεταγησαν [1]) *justitiæ* Dei (τῃ δικαιοσυνῃ του Θεου), hoc est, *non eo modo* justitiam quærerent, quo Deus præcepisset eamdem esse acquirendam.

Institutum Dei est ut homines justificentur *gratis per fidem* [2]. Illi autem *merito* suorum operum justificari contendebant, et *credere* Evangelio negabant (Cf. Cap. IX. 32). *Justitiam Dei*, quam alibi (Cap. IV. 13) Apostolus *justitiam fidei*) vocat, intellige *justitiam quam Deus gratuitò impertitur credenti* [3], sicut Cap. I. ỳ. 17. Sed nota, *justitiam Dei* ab Apostolo hic exhiberi tanquam *legem* aliquam, cui obtemperare debeat quicumque voluerit justificari; dicit enim : *justitiæ Dei non sunt* subjecti. Est autem *subjectus justitiæ Dei* tamquam legi is qui ad gratuitum justitiæ donum *per fidem* [4] contendit. Hanc verò legem illi *ignorabant* [5] (αγνοοῦντες), neque adeò eidem *sese submiserunt* (ουχ ὑπεταγησαν). Pro *Dei justitiâ gratis per fidem* obtinendâ illi *suam quærebant statuere* (στησαι [6]) *justitiam* (την ιδιαν δικαιοσυνην), hoc est, sibi absque fide ex suorummet operum meritis parare justitiam [7]. Ceterum, alio modo idem hic dicit Apostolus quod modò dixerat : (Cap. IX. 31. sq.) *Israël sectando legem justitiæ*,

---

(1) Aor. Pass. cum notione Mediâ.

(2) Cf. hic quæ notavimus supra ad Cap. III. ỳ. 28. p. 103. sq.

(3) Theodoretus (ad h. l.): Θεου δικαιοσυνην, inquit, προσηγορευσε την κατα χαριν δια της πιστεως γινομενην. *h. e.* Dei justitiam *vocavit eam quæ gratuito per fidem obtingit.* Et Theophylactus : Θεου δικαιοσυνη, ἡ εκ πιστεως. Ου γαρ πονους εχει ἡμετερους, αλλα το ὁλον χαρισμα εστι Θεου. *h. e.* Dei justitia, *illa quæ ex fide est; neque enim habet labores nostros, sed totum gratia Dei est.*

(4) *Justitia Dei per fidem Jesu Christi.* Cap. III. 22.

(5) Ignoratione sanè quam graviter culpabili; oriebatur enim hæc ignoratio ex gravi culpa incredulitatis qua Evangelio credere negabant, ut jam dictum est supra Cap. IX. 32, et iterum hic dicitur infra ỳ. 16. Locus parallelus est illud Pauli de se testimonium (1 Tim. 1. 13) : *Prius blasphemus fui et persecutor et contumeliosus; sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.*

(6) Στησαι, *statuere*, hic dicitur metaphorâ ductâ ab ædificatione.

(7) Confer illud Apostoli ad Philippenses (Cap. III. 9) : *Et inveniar in illo non habens meam justitiam quæ ex lege est, sed illam quæ ex fide est Christi Jesu; quæ ex Deo est justitia in fide.*

in legem justitiæ non pervenit. Quare? Quia non ex fide, sed quasi ex operibus: offenderunt enim lapidem offensionis.

Bene Estius (ad h. l.): « Observa, *inquit*, non dixisse Paulum *et propriam justitiam statuentes*, sed *statuere quærentes*, quemadmodum et superius (Cap. IX. 32) dixerat: *quasi ex operibus;* quia scilicet hæc *propria justitia* non est vera justitia, quæ statui possit ».

℣. 4. ***Finis enim legis, Christus, ad justitiam omni credenti).*** Explicat (γαρ) quod præmiserat: *justitiæ Dei non se submiserunt.* Neque enim, inquit, ut facere debuissent, credendo agnoscere voluerunt Jesum Messiam qui *scopus* [1] est Legis *ad justitiam* (εις δικαιοσυνην) conferendam cuivis credenti. In eamdem sententiam ad Galatas Cap. III. 24) Apostolus scripsit: *Lex pædagogus noster fuit in Christo* (Græce εις Χριστον, *in Christum*) *ut ex fide justificemur.*

℣. 5—10. Moyses enim scripsit, quoniam justitiam, quæ ex lege est, qui fecerit homo, vivet in ea. 6 Quæ autem ex fide est justitia, sic dicit: Ne dixeris in corde tuo: quis ascendet in cœlum? id est, Christum deducere: 7 Aut quis descendet in abyssum? hoc est, Christum a mortuis revocare. 8 Sed quid dicit Scriptura? Prope est verbum in ore tuo, et in corde tuo: hoc est verbum fidei, quod prædicamus. 9 Quia si confi-

℣. 5—10. *Μωϋσῆς γὰρ γράφει* a) *τὴν δικαιοσύνην τὴν ἐκ τοῦ νόμου, ὅτι ὁ ποιήσας αὐτὰ ἄνθρωπος, ζήσεται ἐν αὐτοῖς.* b) 6 *Ἡ δὲ ἐκ πίστεως δικαιοσύνη οὕτω λέγει· Μὴ εἴπῃς ἐν τῇ καρδίᾳ σου, τίς ἀναβήσεται εἰς τὸν οὐρανόν; τοῦτ' ἔστι Χριστὸν καταγαγεῖν· 7 ἢ τίς καταβήσεται εἰς τὴν ἄβυσσον; τοῦτ' ἔστι Χριστὸν ἐκ νεκρῶν ἀναγαγεῖν. 8 Ἀλλὰ τί λέγει* c); *Ἐγγύς σου τὸ ῥῆμά ἐστιν ἐν τῷ στόματί*

Paraphrasis. Moyses enim de justitia ex lege consequenda scribit: Qui *fecerit* mandata Dei, per earum observationem vitam obtinebit. Sed justitia fidei sic apud eum loquitur: Noli incredulus cogitare: quis adscendere potest in cœlum (puta ad Christum inde in terram deducendum;) aut, quis potest descendere in abyssum? (puta, ad Christum inde a mortuis revocandum). Sed quid dicit justitia fidei? Sic dicit: Res prope tibi adest, scilicet in ore tuo est et in corde tuo. Res autem illa est fides quam

---

(1) Τελος, *scopus*, ut in hoc Epicteti (apud Elsnerum ad h. l.): οἱ τελος ποιουμενοι την ἡδονην, *qui pro scopo voluptatem habent.* S. Thomas (ad h. l.): *Lex*, inquit, *ordinat homines in Christum quem promittebat et præfigurabat.* Cajetanus (ad h. l.): « *Per hoc quod* Christus *finis est ad quem ordinatur lex ut omnis credens consequatur justitiam, probat quod Judæi non fuerunt subditi justitiæ Dei; nam repellendo finem legis Christum, repulerunt justitiam Dei.* »

tearis in ore tuo Dominum Jesum, et in corde tuo credideris quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris. 10 Corde enim creditur ad justitiam : ore autem confessio fit ad salutem.

σου καὶ ἐν τῇ καρδίᾳ σου. Τοῦτ' ἔστι τὸ ῥῆμα τῆς πίστεως ὃ κηρύσσομεν. 9 Ὅτι ἐὰν ὁμολογήσῃς ἐν τῷ στόματί σου Κύριον Ἰησοῦν, καὶ πιστεύσῃς ἐν τῇ καρδίᾳ σοῦ, ὅτι ὁ Θεὸς αὐτὸν ἤγειρεν ἐκ νεκρῶν, σωθήσῃ. 10 Καρδίᾳ γὰρ πιστεύεται εἰς δικαιοσύνην· στόματι δὲ ὁμολογεῖται εἰς σωτηρίαν.

prædicamus ut necessariam ad justitiam consequendam; quia si ore tuo professus fueris Jesum esse filium Dei, et corde tuo credideris quod Deus illum suscitaverit a mortuis, salvus eris. Etenim per fidem cordis acquirimus justitiam, et perprofessionem oris salutem.

VARIANS LECTIO.

a) Pro γράφει, *scribit*, Vulgata habet in Præterito *scripsit*; sed hæc lectio in nullo Græco Codice invenitur.

b) In Codice A sic legitur : . . . ὅτι την δικαιοσυνην την εκ νομου ὁ ποιησας ανθρωπος, ζησεται εν αυτῃ, quam lectionem Vulgata Latina exhibet. Vox αυτα post ποιησας pariter deest in Codd. DE, et pro εν αυτοις legitur εν αυτῃ etiam in Codice B. Mitto reliquas quæ hic occurrunt lectiones variantes. Collatis autem testimoniis Codicum et antiquarum versionum pro genuina Pauli scriptura eam habuerim quam exhibet editio Complutensis.

c) Post τι additur ἡ γραφη in Codd. DE, et post λεγει additur ἡ γραφη in Codd. FG. Glossema est. Subjectum orationis ibi est ἡ ἐκ πιστεως δικαιοσυνη (℣. 6).

℣. 5—10. *Moyses enim scripsit, quoniam justitiam, quæ ex lege est*, cet.) Versus 5 Græcè sic legitur : *Moyses enim de justitia, quæ ex lege est, scribit : Qui fecerit ea* (præcepta divina), *vivet per ea*. Ad firmandum id quod modo dixerat de justitia consequenda *per fidem*, Apostolus in medium profert Moysen describentem utramque justitiam, *legis* et *fidei*. Moyses *enim* [1], inquit Paulus, *de justitia ex lege consequenda scribit*

---

(1) Vide Levitic. XVIII. 5.

(*γραφει*[1] *την δικαιοσυνην*): *Qui præcepta fecerit* (*ὁ ποιησαος αυτα*[2]), *vitam per* (*εν* instrumenti) *earum observationem obtinebit. Sed justitia fidei sic apud eum loquitur : Noli incredulus in corde tuo dicere* (cogitare) : *Quis adscendere potest*[3] (*αναβησεται*) *in cœlum* (*puta*[4] *ad* CHRISTUM *inde in terram deducendum*[5]); *aut quis potest descendere in abyssum?* (*puta*, *ad* CHRISTUM *inde a mortuis revocandum*). *Sed quid dicit justitia fidei*[6]? *Sic dicit : Res prope tibi adest, scilicet in ore tuo et in corde tuo*[7]). *Res autem illa est fides quam prædicamus ut necessariam ad justitiam est consequendam ; quia si ore tuo professus fueris* JESUM *esse filium Dei, et corde tuo credideris quod Deus illum suscitaverit a mortuis*, *salvus eris* (scilicet, salute inchoatâ, quæ posita est in gratia Justificationis). Bene ESTIUS (ad h. l.) : « Observabis, inquit, Apostolum volentem commendare justitiam fidei, primum removere infidelitatem ei contrariam, qua scilicet dubitaret quispiam de CHRISTI incarnatione aut resurrectione ; sub quibus cetera de CHRISTO mysteria comprehensa intellige. Deinde vero fidem ipsam exigit, dicens : *Sed quid dicit Scriptura? Propè est*, cet. ».

Disputatur utrum verba MOSIS, *quis adscendet*, et reliqua, liberius hic a PAULO recitata[8], sensu aliquo, aut litterali, aut prophetico, reapse dicta sint de *justitia per fidem consequenda*, an verò PAULUS verba MOSIS, quamquam de justitia fidei minime loquantur, ad eam tamen rem accommodatione quadam transtulerit. Et in priori quidem sententia

---

(1) *Γραφειν τι* eo sensu ut valeat *γραφειν περι τινος* legitur etiam Joh. 1. 46 : *ὃν εγραψε Μωϋσης*, cet.

(2) Voces *αυτα* et *εν αυτοις* referuntur ad *leges meas et judicia*. Scilicet citatus a PAULO locus (Levitic. XVIII. 5) sic legitur : *Custodite leges meas atque judicia, quæ faciens homo vivet in eis*.

(3) *Αναβησεται*, Futurum de eo *quod fieri possit* ; quam vim Futuri Latini exprimunt per Præsens Conjunctivi : *quis adscendat?*

(4) Græce *τουτ᾽ εστι*, quæ formula est *aliquid interpretantis*.

(5) *Καταγαγειν* et mox ℣. 7 *αναγαγειν* sunt Infinitivi *finis*, ut Matth. II. 2 : *ηλθομεν προσκυνησαι αυτῳ*.

(6) Vide lect. var.

(7) S. CHRYS. (Hom. XVII in Ep. ad Rom. : *Τι δε εστιν, Εγγυς σου το ρημα εστι; Τουτεστιν, ευκολον εστιν... εν γαρ τῃ διανοιᾳ σου και τῃ γλωσσῃ ἡ σωτηρια*. h. e. Quid vero sibi vult illud : *Prope te verbum est?* Nempe facile est ; nam in mente et in lingua tua sita est salus.

(8) Verbotenùs locus ille sic legitur (Deuteron. XXX. 11—15) : *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, nec in cœlo situm, ut possis dicere : quis nostrum valet ad cœlum adscendere, ut deferat illud ad nos, et audiamus atque opere compleamus? neque trans mare positum, ut causeris et dicas : quis ex nobis poterit transfretare mare et illud ad nos usque deferre, ut possimus audire et facere quod præceptum est? sed juxta te est sermo valde, in ore tuo et in corde tuo, ut facias illum.*

esse video Cajetanum [1], Dominicum Soto [2], Salmeronem [3], Ben. Justinianum [4], Toletum [5], alios; in altera verò S. Chrysostomum [6], Theodoretum [7], Estium [8], alios. Et cum his sentire equidem malim quam cum illis, cum quòd partim arbitrariæ, partim violentæ mihi videntur interpretationes eorum qui Mosis illa verba sensu aut litterali, aut mystico, aut allegorico sive prophetico, ad justitiam fidei referre conantur, tum etiam quòd video Paulum in adhibendo Mosis illo loco agere quam liberrimè, alia omittere, alia addere aut mutare. Fateor tamen Pauli orationem hoc loco (5—8) ita conformatam esse ut omnino videatur voluisse Mosis effatum non simpliciter accommodare ad rem quam tractabat, sed plane illud adducere tamquam argumentum ad eam rem probandam. Quare non nisi invitus in eam ivi sententiam, quæ Paulum in illo Mosis effato adhibendo *accommodatitio*, ut vocant, sensu usum fuisse existimat.

℣. 9. *Quia si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, et in corde tuo credideris, quod*, cet.) Explicat quod modò dixerat, *hoc est verbum fidei*, et exponit *cur* dicatur (℣. 8.) *in ore tuo, et in corde tuo*. Et ratio est, quia ad salutem requiritur ut et *corde* credas, et quæ credideris, *ore*, ubi res poposcerit, profitearis. *Quia* inquit, *si ore tuo* (εν [9] τῳ στοματι σου) *professus fueris* (ὁμολογησῃς) Jesum (Ιησουν) *esse Filium Dei* (Κυριον [10]) *et corde tuo* (εν τῃ καρδιᾳ σου) *credide-*

---

(1) Cajetanus (ad h. l.) ad verba ista: *quæ autem ex fide est justitia sic dicit*, hæc notat: *Adverte quod* Paulus *non inducit Moysen dicentem quæ subjunguntur sumpta ex Deuteronomii trigesimo capite, sed inducit justitiam quæ est ex fide loquentem non sine mysterio. Sciebat siquidem verba ista apertè dici in persona Moysis; sed quoniam acutissimè vidit quod hæc dicebantur ratione justitiæ fidei, ideo induxit justitiam fidei dicentem quæ pro ipsa dicuntur.*

(2) Soto (ad h. l.): *Apostolus*, inquit, *hic non citat hanc sententiam in sensu litterali, is enim erat de præceptis legis, quæ in promptu erant et ob oculos posita, sed in sensu mystico.*

(3) Salmeron (Disputat. in Ep. ad Rom. Lib. 3. Disputat. 32.).

(4) Ben. Justinianus (ad. h. l.): *Equidem*, inquit, *si quidquam conjectura assequor, verba Mosis proximè legem illam veterem spectare mihi facile persuaserim, nec tamen continuo in hac* Pauli *sententia simplicem allegoriam aut applicationem admiserim; sed in eam potius sententiam propensior sum, quæ in illo velut historico et litterali sensu alterum propheticum magisque proprium latuisse existimat.*»

(5) In Ep. ad Rom. ad h. l.

(6) Hom. XVII in Ep. ad Romanos: Κεχρηται, inquit, ῥημασι τοις εν τῃ παλαιᾳ κειμενοις.... Τουτο γαρ ὁ περι πιστεως ενθαυτα φησι, περι της ἐντολης αυτοις λεγει Μωυσης. h. e. *Utitur* (Paulus) *verbis ex Vetere Testamento desumptis.... Quod enim hic de fide dicit, de præcepto dicit illis* Moyses.

(7) Ad h. l. (8) ad h. l.

(9) Εν *instrumenti*, ut Apoc. XIV. 15: κραζειν εν μεγαλῃ φωνῃ. Pro εν τῳ στοματι (met den mond) mox (℣. 10) dicitur στοματι, in Casu *instrumentali*. Idem dictum puta de locutione εν τῃ καρδιᾳ (*met het hart*), pro quo mox ibidem (℣. 10.) pariter in Casu *instrumentali* dicitur καρδιᾳ.

(10) Κυριον est hic *Prædicatum*, ut Philipp. II, 11. Cf. 1 Joh. IV. 15.

ris, *quod Deus illum suscitaverit a mortuis*, *salvus eris*, puta salute inchoatâ, quæ salus posita est in gratia justificationis. Externam fidei professionem Apostolus hic nominavit ante actum fidei internum, quia in verbis Mosis (ỳ. 8.) primo loco dictum est *in ore tuo*, deinde verò *in corde tuo*; et quia *os* ibi distinguitur a *corde*, Paulus quoque externam fidei professionem ab interno fidei actu distinguere voluit; nam alibi, ex. gr. Cap. I. 16. III. 28. 30, *salutem* sive gratiam justificationis simpliciter fidei tribuere solet; non quòd sentiat necessarium non esse ut quis fidem suam, ubi res poposcerit, exterius profiteatur, sed quòd professionem oris a credulitate cordis non separat, quum duo hæc ex natura rei intime sint conjuncta. Quo verò sensu fidei tribuatur *justificatio*, supra (ad Cap. I. ỳ. 17. pag. 25—28) diligenter explicatum fuit.

ỳ. 10. *Corde enim creditur ad justitiam : ore autem confessio fit ad salutem).* Quod modò (ỳ. 9) dixerat Apostolus de salute (σωθησῃ) sive gratia Justificationis obtinenda per fidem et fidei professionem, illud hic repetit atque *confirmat* (γαρ). Quod autem *justitia* (δικαιοσυνη) sive gratia justificationis ibi tribuitur fidei cordis, *salus* (σωτηρια) autem oris confessioni, non est de hoc subtilius disserendum. Potuisset Apostolus, nullâ sententiæ varietate, etiam scribere : *Corde enim creditur ad salutem; ore autem confessio fit ad justitiam.* Nimirum, sicut salus illa alia non est quam ipsa gratia justificationis sive justitia, ita quoque fides et fidei professio proprie non differunt; quid enim aliud est fidei professio quam ipsa concepta animo fides exterius manifestata? Apostolus, inquam, non discernit, ad rem quod attinet, aut *justitiam* a *salute*, aut *oris confessionem* a *fide cordis*. Præp. εις dicta ibi est de *effectu*.

ỳ. 11—13. Dicit enim Scriptura : Omnis, qui credit in illum, non confundetur. 12 Non enim est distinctio Judæi et Græci : nam idem Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant illum. 13 Omnis enim, quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit.

ỳ. 11—13. *Λέγει γὰρ ἡ γραφή· Ὅτι πᾶς ὁ πιστεύων ἐπ' αὐτῷ, οὐ καταισχυνθήσεται.* 12 *Οὐ γάρ ἐστι διαστολὴ Ἰουδαίου τε καὶ Ἕλληνος· ὁ γὰρ αὐτὸς Κύριος πάντων, πλουτῶν εἰς πάντας τοὺς ἐπικαλουμένους αὐτόν.* 13 *Πᾶς γὰρ ὃς ἂν ἐπικαλέσηται τὸ ὄνομα Κυρίου, σωθήσεται.*

Paraphrasis. Dicit enim Scriptura : Quicumque in illum crediderit, speratam salutem consequetur. Neque enim est ibi inter Judæos et Gentiles discrimen; oblata salus est ex æquo omnibus; nam unus idemque est omnium hominum, Judæorum æque ac Gentilium, salvator atque Dominus, qui gratiæ suæ divitias effundit in omnes qui Jesum Messiam invocant. Nam, teste Joële, quicumque nomen Domini Jesu invocaverit, salutem consequetur.

℣. 11. *Dicit enim Scriptura: Omnis qui credit in illum, non confundetur).* adducto S. Scripturæ testimonio Apostolus confirmat, quod modò (℣. 10) dixerat, scilicet *justificari hominem per fidem.* Sumptum est testimonium illud ex Isaiæ de Messia vaticinio (Cap. XXVIII. 16). Dicitur ibi הַמַּאֲמִין (LXX: ὁ πιστευων), *qui credit*, generali sententiâ; quare Apostolus in recitando illo loco de suo addere potuit voculam πας, *omnis.* Ὅτι *recitativum* est. Ceterum, vide quæ notavimus supra ad Cap. IX. 33. pag. 321.

℣. 12. *Non enim est distinctio Judæi et Græci).* Rationem dat (γαρ) Apostolus cur in antegresso testimonio dicatur πας. Et ratio est, quia justificationis gratia divinitùs offertur, nullo gentis discrimine, omni credenti. Cf. Cap. III. 22. Bene Estius: « Urget Apostolus, *inquit*, non tam universale signum *omnis*, quod apud Isaiam non habetur, quam ipsius sententiæ propheticæ indefinitam generalitatem, qua nemo a salute excluditur, modò credat, sive Judæus ille sit sive Græcus, id est, Gentilis; species enim nominatissima pro toto genere ponitur ».

nam idem Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant illum). Ratio datur *cur* (γαρ) ad gratiam Justificationis admittantur qui crediderint *omnes*, nullo gentis discrimine. Et ratio est quia *unus idemque* (ὁ αυτος) est *omnium* hominum, Judæorum æque ac Gentilium, salvator atque *Dominus* (κυριος [1]), qui gratiæ suæ divitias effundit non in Judæos solùm, sed in omnes qui illum *invocant*, adèoque profitentur illum *esse Filium Dei* (℣. 9). Dicitur πλουτειν εις παντας, ut suprà (Cap. V. 15) περισσευειν εις τινας.

℣. 13. *Omnis enim, quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit).* Quod modò (℣. 12) dixerat Apostolus, scilicet *gratiam justificationis, nullo gentis discrimine*, omnibus *esse oblatam*, idipsum *comprobat* (γαρ) testimonio Prophetæ Joëlis (Cap. II. 32. Hebr. Cap. III. 5), quod hic adducit nullâ præmissâ citandi formulâ, quia Scripturæ verba facit sua. Recitata autem verba Joëlis ad Christum Dominum esse referenda, etiam Petro interprete (Act. Ap. Cap. II. 17—37) novimus.

---

(1) Ὁ αυτος in præsenti oratione *Subjectum*, Κυριος autem *Prædicatum* est.

℣. 14—17. Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? 15 Quomodo autem audient sine prædicante? Quomodo vero prædicabunt nisi mittantur: sicut scriptum est: Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona! 16 Sed non omnes obediunt Evangelio. Isaïas enim dicit: Domine quis credidit auditui nostro? 17 Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum CHRISTI.

14—17. *Πῶς οὖν ἐπικαλέσονται εἰς ὃν οὐκ ἐπίστευσαν; πῶς δὲ πιστεύσουσιν οὗ οὐκ ἤκουσαν; πῶς δὲ ἀκούσουσι χωρὶς κηρύσσοντος;* 15 *πῶς δὲ κηρύξουσιν ἐὰν μὴ ἀποσταλῶσι; καθὼς γέγραπται· Ὡς ὡραῖοι οἱ πόδες τῶν εὐαγγελιζομένων εἰρήνην, τῶν εὐαγγελιζομένων τὰ ἀγαθά.* 16 *Ἀλλ' οὐ πάντες ὑπήκουσαν τῷ εὐαγγελίῳ. Ἡσαΐας γάρ λέγει· Κύριε, τίς ἐπίστευσε τῇ ἀκοῇ ἡμῶν;* 17 *Ἄρα ἡ πίστις ἐξ ἀκοῆς, ἡ δὲ ἀκοὴ διὰ ῥήματος Θεοῦ.* a)

Paraphrasis. Quum ergo salus pendeat ab invocando JESU Messia, quomodo, inquam, invocare queant eum cui non crediderunt? Aut quomodo credant illi, de quo non audierunt? Quomodo autem de illo audiant, nisi sit qui prædicando illum annuntiet? Quomodo verò præconem quis agat, nisi divinitùs ad hoc officium mittatur? De qua missione vaticinatus est ISAIAS, cum diceret: *Quam gratus est adventus evangelizantium salutem et pacem!* Et sanè, apparuêre, sicut prædictum erat, divini illi præcones; sed non nisi pauci fidem adhibuêre Evangelio quod prædicabant; evenitque ibi quod olim fuerat prædictum ab ISAIA exclamante: *Domine, quam pauci sunt qui fidem adhibuêre prædicationi nostræ!* Ergo fides nascitur ex prædicatione, prædicatio autem instituitur ex mandato Dei.

VARIANS LECTIO.

a) Pro Θεοῦ legitur Χριστου in Codd. BCD*E; reliqui autem Codd. unciales, minusculi multi, versiones quoque pleræque, ut et Græci Patres, exhibent lectionem Θεου. Quare hanc lectionem equidem alteri prætulerim, eoque magis quòd lectio Χριστου tribui possit correctioni Librarii, qui putaverit debuisse Apostolum hoc loco nominare non *Deum*, sed CHRISTUM, existimans sermonem hic esse *directo* et *peculiariter* de mandato prædicandi Evangelii.

℣. 14 — 15. *Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo*, cet.) Ex *invocatione*, quam modò (℣. 13) dixerat, Apostolus infert necessitatem credendi: *Quomodo ergo* (οὖν i. e. quum Messiana salus pendeat, ut dictum est, ab *invocando* Messia) *homines ex animo invocare poterunt eum cui non crediderunt?* deinde ex necessitate credendi infert necessitatem audiendi de illo cui fides adhibenda sit: *Quomodo fidem adhibere poterunt illi de quo non audierunt?* ex necessitate verò audiendi de illo cui credas infert necesse esse ut aliquis prædicando annuntiet eum cui fides adhibenda sit: *Quomodo autem de eo audire poterunt*, *nisi quis sit qui illum prædicando annuntiet?* tandem ex necessitate prædicationis infert necessitatem legitimæ missionis ad prædicandum sive Apostolatûs: *Quomodo autem homines divinitus docere poterunt homines*, *nisi a Deo ad hoc missi fuerint?* Argumentationis hujus, quam *soriten* recte appellaveris, finis est demonstrare, ad *salutarem* illam *invocationem* (℣. 13.) opus esse præconibus divinitùs ad prædicandum ablegatis. Illam autem demonstrationem Apostolus per formulam καθως γεγραπται deinde confirmat auctoritate Isaiæ prophetæ Apostolorum adventum prænunciantis. (Isaiæ Cap. LII. 7).

Isaiæ autem illud vaticinium Paulus recitat *ad sensum* tantùm; nam verbotenùs sic habet: מַה־נָּאווּ עַל־הֶהָרִים רַגְלֵי מְבַשֵּׂר מַשְׁמִיעַ שָׁלוֹם מְבַשֵּׂר טוֹב מַשְׁמִיעַ יְשׁוּעָה אֹמֵר לְצִיּוֹן מָלַךְ אֱלֹהָיִךְ׃ h. e. *Quam grati sunt in montibus pedes* (adventus) *annunciantium pacem*, *nunciantium bona*, *nunciantium salutem*, *clamantium ad Sionem: Deus tuus regnat!* Quæ verba in recitato Isaiæ loco litterali quidem sensu dicta sunt de annuntiatione solutæ captivitatis et reditûs ab exilio Babylonico; sed corporalis hæc liberatio, ut Paulo interprete hic docemur, typus erat spiritualis liberationis a Messia procurandæ atque ab Apostolis promulgandæ. Synagogæ quoque notam fuisse typicam illius vaticinii rationem, Wetstenius probavit ad Cap. X. 15 epistolæ ad Romanos.

℣. 16. *Sed non omnes obediunt Evangelio)* Apparuerunt, inquit Apostolus, sicut prædictum erat (℣. 15. ex Isaiæ LII. 7), illi qui divinitùs missi prædicaverunt eum cui quotquot crediderunt verâ justitiâ fuêre donati, *at verò* (ἀλλά), illis prædicantibus, *non omnes obediebant* (ὑπήκουσαν [1]) *Evangelio.*- Quod dicit *non omnes* ibi valet *admodum pauci*, *rari*; constat hoc ex insequentibus istis: Isaias *enim dicit*, *Domine*, *quis credidit prædicationi nostræ* [2]? Nota, causam cur Judæorum plerique

---

(1) Vulgata hic habet verbum Temporis præsentis *obediunt*; sed Græci codices constanter hoc loco exhibent ὑπήκουσαν in Aoristo historico. Ex historica autem illa notitia, *non omnes* obediebant *Evangelio*, petenda est ratio nexûs quo præsens versiculus cum antegressis 14 et 15 cohæret.

(2) Græce τῃ ακοῃ pro quo Hebraice est vox שְׁמוּעָה h. e. *id quod auditum est*, et mox ipsa *annunciatio*, *prædicatio*. Hinc Chaldæus paraphrastes hic habet מַן הֵימִין לִבְסוֹרְתָנָא h. e. *Quis credidit evangelizationi nostræ*.

exclusi fuerint a Messiana salute ab Apostolo afferri non *absolutum* aliquod *decretum*, sed negationem obedientiæ præstandæ Evangelio divinitùs illis prædicato. Ideò, inquam, Messiana salute fuêre exclusi, quia credere noluerunt.

Isaias enim dicit: Domine, quis credidit auditui nostro?) Ostendit Apostolus Judæorum plerorumque illam incredulitatem olim fuisse prædictam.— Particula γαρ hoc loco vim habet non tam *argumentativam* quam potius *explicativam*, et hoc quidem sensu: Judæorum plerique fuêre increduli evenitque ibi quod olim fuerat prædictum, vaticinante Isaia: *Domine, quis credidit*, etc. Verba Ἰσαΐας γαρ λεγει Belgicè reddiderim: Isaias *zegt ja*: *Heere*, cet. Qui hic ab Apostolo recitatur Isaiæ locus, sumptus is est ex Cap. LIII, quod secundum litteralem sensum ad Jesum Messiam pertinet totum. cf. Joh. XII. 38.

ỹ. 17. *Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.)* Ex antegresso Isaiæ effato, Domine, *quis* credidit auditui *nostro*, fit *collectio* (ἄρα) hæc: *ergo fides nascitur ex prædicatione* (ἐξ ακοῆς); *prædicatio autem* (ἡ δὲ ἀκοὴ) *instituitur per mandatum* (διὰ ῥήματος) *Dei*, ut a quo mittendi sint qui prædicent. Confirmat in hac collectione Apostolus id quod paulò ante (ỹỹ. 14 et 15) pluribus dixerat; simul autem transitionem facit ad refellendas rationes quibus Judæorum incredulitas excusari posse videretur.

ỹ. 18—21. Sed dico: Numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum. 19 Sed dico: Numquid Israël non cognovit? Primus Moyses dicit: Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem: in gentem insipientem, in iram vos mittam. 20 Isaïas autem audet, et dicit: Inventus sum a non quærentibus me: palam apparui iis, qui me non interrogabant. 21 Ad

ỹ. 18—21. Ἀλλὰ λέγω· Μὴ οὐκ ἤκουσαν; Μενοῦνγε εἰς πᾶσαν τὴν γῆν ἐξῆλθεν ὁ φθόγγος αὐτῶν, καὶ εἰς τὰ πέρατα τῆς οἰκουμένης τὰ ῥήματα αὐτῶν. 19 Ἀλλὰ λέγω· Μὴ οὐκ ἔγνω Ἰσραὴλ [a]; Πρῶτος Μωϋσῆς λέγει· Ἐγὼ παραζηλώσω ὑμᾶς ἐπ' οὐκ ἔθνει, ἐπὶ ἔθνει ἀσυνέτῳ παροργιῶ ὑμᾶς. 20 Ἡσαΐας δὲ ἀποτολμᾷ καὶ λέγει· Εὑρέθην τοῖς ἐμὲ μὴ ζητοῦ-

Paraphrasis. Ast heic ego dico: Numquid forte defuêre Judæis Evangelii prædicatores, quo factum sit ut de doctrina salutis non inaudierint? Imo verò, vox præconum Evangelii per universum terrarum orbem personuit, et verba eorum penetrarunt ad terminos usque terræ. At dico: Numquid forte Judæos latuit Gentiles quoque ad Messianam salutem esse vocandos? Nequaquam. Prædicta erat res. Primùm Moyses dicit: *Zelotypiam vestram concitabo propter gentem, gentis nomine indignam; propter gentem veræ religionis ignaram ad iram vos commovebo.* Isaias autem nihil veritus suo-

Israël autem dicit : Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, et contradicentem.

σιν, ἐμφανὴς ἐγενόμην τοῖς ἐμὲ μὴ ἐπερωτῶσι.
21 Πρὸς δὲ τὸν Ἰσραὴλ λέγει· Ὅλην τὴν ἡμέραν ἐξεπέτασα τὰς χεῖράς μου πρὸς λαὸν ἀπειθοῦντα καὶ ἀντιλέγοντα.

rum popularium offensionem de Gentilium ad Messianam salutem admissione aperte sic loquitur : *Inventus sum ab eis qui hactenus non quærebant me ; manifestus factus sum illis qui hactenus non interrogabant me.* De Israëlitis autem dicit : *Continuè expansis brachiis illos ut ad me venirent invitavi ; verùm illi contumaces ad me venire negarunt.*

VARIANS LECTIO.

a) Pro μη ουκ εγνω Ισραηλ legitur alio verborum ordine μη Ισραηλ ουκ εγνω in Codd. ABCDEFG multisque Minusculis, ut et in plerisque versionibus antiquis. Quare ambigendum non est quin posterior hæc lectio alteri sit præferenda.

ỳ. 18. *Sed dico : Numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram,* cet.) Duo erant quæ afferri posse viderentur ad Judæorum incredulitatem excusandam ; nam *aut* dicerent ad se non pervenisse Evangelii prædicationem, *aut* etiam se ignorasse Gentiles quoque ad Messianam salutem esse vocandos atque ideò noluisse fidem adhibere prædicato Evangelio quòd viderent ibi Messianam salutem etiam offerri Gentilibus. Utramque excusationem Apostolus ipse affert ad modum objicientis per formulam *ἀλλὰ λέγω, at dico*, statimque refellit ; et priorem quidem versu decimo octavo, alteram verò versibus tribus insequentibus. Sensus est : *Ast heic ego dico* : *Numquid forte* (*μη*) *defuerunt Judæis Evangelii prædicatores, quo factum sit ut de doctrina salutis non inaudierint?* Et respondet : *Imo verò* (*μενουνγε* [1]) *vox præconum Evangelii per universum terrarum orbem personuit, et verba eorum penetrarunt ad terminos usque terræ.* Verba ista, *in omnem terram exivit sonus eorum*, et cetera, desumpta sunt ex Psalmo XVIII. 5 (Hebr. XIX). Utitur autem illis Apostolus sensu, ut vocant, *accommodatitio*, et loquitur hyperbolice. In Psalmo verba illa proprie dicta sunt de cœlo astrifero ubique locorum Dei gloriam enarrante.

---

(1) De dictione μενουνγε vide supra ad Cap. IX. 21. p. 309.

ỳ. 19. *Sed dico : Numquid Israël non cognovit ?)* Proponit hic Apostolus et mox refellit alteram Judæorum excusationem, quam sumerent ab *universalitate* Evangelicæ prædicationis. Nota, hanc *universalitatem* in versiculo proximè antegresso ab Apostolo fuisse indicatam cum diceret *in omnem terram* (non in Judæam tantum) *exivit sonus eorum.* Atque inde factum est ut in præsenti versiculo dixerit simpliciter *numquid Israël non cognovit*, nec addiderit illius cognitionis *Objectum.* Itaque sensus est : *At dico : numquid forte Judæos latuit Gentiles quoque ad Messianam salutem esse vocandos ?*

Primus Moyses dicit : Ègo ad æmulationem vos adducam , cet.) Ostendit Apostolus vocationem Gentilium primùm a Moyse [1]), deinde et ab Isaia fuisse prædictam, adeoque eam rem non potuisse Judæos latere. Vaticinium quod Apostolus ibi recitat, legitur in cantico Moysis Deuteron. Cap. XXXII. 22 , ubi Deus introducitur loquens in hanc sententiam : וַאֲנִי אַקְנִיאֵם בְּלֹא־עָם בְּגוֹי נָבָל אַכְעִיסֵם , quæ verba in versione septuaginta-virali sic sonant : *κᾳγω παραζηλωσω αυτους 'επ' ουκ εθνει , ἐπ᾽ εθνει ασυνετῳ παροργιῶ αυτους.* h. e. Quemadmodum illi zelotypiam meam concitarunt Deos amando qui Dii non sunt, *ita vicissim ego* (*κᾳγω*) *zelotypiam eorum concitabo* (*παραζηλωσω αυτους*) *propter* (*επι*) *gentem hoc nomine indignam* , *propter gentem insciam* (veræ religionis ignaram) *ad iram eos commovebo* (*παροργιῶ*). Oratio allegorica est, ductâ metaphorâ a re matrimoniali ; Jehovam cogita sponsum , et sponsam Gentem Israëliticam , quæ neglecto Jehova et idola amando conjugalem fidem fregerit.

Paulus præsentem Deuteronomii locum recitavit secundum LXX , nisi quod bis *αυτους* in *ὑμᾶς* mutavit , ut indicaret quinam essent illi *αυτοι.* Sciendum autem est , in recitatis ab Apostolo verbis Moysis secundum litteralem quidem sensum Deum dici Israëlitas idololatras posthabiturum Gentilibus populis finitimis atque his favendo illos provocaturum ad iram ; sed ea res , Paulo interprete , typicè portendebat Gentilium ad Dei favorem sive Messianam salutem admissionem. — *Επι* , *propter* , ut Cap. V. 12. *Παροργιῶ* Fut. Atticum a *παροργίζω.*

ỳ. 20. *Isaias autem audet et dicit : Inventus sum ,* cet.) Alterum est hoc testimonium quod Apostolus adducit ad probandum, Gentilium ad Messianam salutem admissionem jam olim fuisse prædictam. Isaias *autem* , inquit Apostolus , *nihil veritus* (*αποτολμᾳ* [1]) *suorum popularium offensionem Gentilium admissionem ad Messianam salutem aperte prænunciat* , *dicens* (Cap. LXV. 1.) : *Inventus sum ab eis* (*εὑρεθην τοῖς* [2]) *qui* (*hactenus*) *non quærebant me ; manifestus factus sum* (*εμφανης εγενο-*

---

(1) Πρωτος (pro *πρωτερος* , ut Act. I. 1) *prior;* nam refertur ad Isaiam , quem secundo loco citat.

(2) Nota structuram verbi Passivi cum Dativo pro ὑπο cum suo Casu.

μην) *illis qui* (*hactenus*) *non interrogabant me.* — Isaiæ locum Apostolus recitavit *ad sensum* tantum ; nam verbotenus sic legitur : נִדְרַשְׁתִּי לְלוֹא שָׁאָלוּ נִמְצֵאתִי לְלֹא בִקְשֻׁנִי אָמַרְתִּי הִנֵּנִי הִנֵּנִי אֶל־גּוֹי לֹא־קֹרָא בִשְׁמִי h. e. *Quæsitus sum ab his qui* (*antehac*) *me non interrogabant ; repertus sum ab iis qui me* (*antehac*) *non inquirebant. Dixi*, *Ecce me*, *Ecce me*, *ad gentem non appellatam nomine meo* [1] (non appelé du nom de peuple *de Dieu*). Sola gens Israëlitica hoc nomine appellabatur.

ỷ. 21. *Ad Israël autem dicit : Tota die expandi manus meas ad populum non credentem et contradicentem.*) Post illa verba, *inventus sum a non quærentibus me*, et reliqua, Propheta, nullâ transitione statim pergit dicere : *Tota die expandi manus meas*, *cet.*; hæc autem verba ad Israëlitas esse referenda Paulus unà hic docet, dicens : προς δε τον Ισραηλ λεγει, h. e. *in* (προς [2]) *Israëlitas* (i. e. de Israelitis) *autem dicit*, scil. idem Isaias. Prædicit ibi Propheta, Paulo interprete, Judæorum incredulitatem et pervicaciam. *Continuè* (ὁλην την ἡμεραν), inquit Propheta ex persona Dei, *expansis brachiis illos ut ad me venirent invitavi* ; *verùm illi contumaces ad me venire renuerunt.* Ergo quod plerique Judæorum exclusi fuerint a Messiana salute, tribuendum hoc est non *absoluto* nescio cui *decreto* Dei, sed illorum malitiæ qua ad hanc salutem vocanti Deo obtemperare pertinaciter recusarunt. *Jerusalem, Jerusalem,* exclamat Salvator, *quoties volui congregare filios tuos*, *quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas*, *et noluisti !* Et iterum (Joh. XV. 22) : *Si non venissem et locutus fuissem eis*, *peccatum non haberent* : *nunc autem excusationem non habent de peccato suo.*

---

(1) Vulgata paulo liberius : *Quæsierunt me qui ante non interrogabant ; invenerunt qui non quæsierunt me ; dixi : Ecce ego , ecce ego , ad gentem, quæ non invocabat nomen meum.*

(2) Præpositio προς hoc sensu legitur etiam Hebr. I. 7.

CAPUT UNDECIMUM.

ARGUMENTUM. *Cavet Apostolus ne quis ex recitatis postremo loco (Cap. X. 20. 21) vaticiniis colligat, universam gentem Israëliticam a Messiana salute fuisse exclusam, adeoque Deum populum suum, qua talem, omninò repulisse. Itaque docet non fuisse gentem Israëliticam qua talem a Deo rejectam, idque probat contrariis exemplis* (1—7). *Post hæc apertis verbis declarat pauciores ex Israëlitis Messianam salutem participasse, reliquos verò suâ culpâ ab illa salute fuisse exclusos, et horum quidem excæcationem olim fuisse a Prophetis prædictam* (7—11). *Deinde quærit, sit-ne lapsus illorum sine ulla spe resurgendi. Respondet autem negativè, docetque incredulitatis illorum delicto factum fuisse ut evangelicam salutem citius participarent Gentiles, eòque Deum hac in re spectasse ut Israëlitæ increduli per Gentiles credentes atque ad Messianam salutem admissos salutari æmulatione excitati ab incredulitate suâ resipiscerent; et subindicat, id quod deinceps docet distinctius, fore aliquando ut universa gens Israëlitica ad Christum convertatur* (11—13). *Hinc speciatim ad Ethnico-Christianos sermonem suum convertit, et respiciens ad id quod modò dixerat de Judæis æmulatione Gentilium ab incredulitate revocandis, declarat se in ipsum hunc quoque finem Apostolico suo officio gnaviter fungi inter Gentiles; Judæorum ad Messianam salutem admissionem omninò exspectandam esse; Gentem enim Israëliticam qua talem in suis Patriarchis veluti in sua stirpe Deo esse consecratam; nam si stirps sancta sit, sanctos quoque esse et ramos* (13—17). *Porrò, in oratione metaphorica persistens, incredulos Judæos vocat defractos olivæ ramos, Gentiles autem excisos oleastri ramos in defractorum loco olivæ insertos et inter hujus ramos accitos; unde conficit non esse cur Gentiles superbe se efferant et defractos olivæ ramos fastidiant; meminissent se portari a stirpe, non verò stirpem portari ab ipsis; cogitarent defractos fuisse naturales illos ramos ob eorum incredulitatem, et se quidem in oliva manere juvante fide, sed et facere posse fidei jacturam et sua culpa pariter ab oliva defringi; perpenderent hinc quidem severitatem Dei in defractos illos ramos, illinc verò Dei in se bonitatem; illos jure fuisse defractos, ipsos non suis meritis insertos; denique et defractos illos ramos iterum esse olivæ inserendos, si tamen non permanerent in incredulitate* (17—25). *Deinde docet Apostolus, futurum esse ut Israëlitica gens universa Messianam salutem participet quo tempore universa Gentilitas in Ecclesiam intraverit, idque tum aliis argumentis, tum S. Scripturæ testimoniis confirmat. Tandem altissima divinæ erga Judæos et Gentiles providentiæ consilia admiratus, cum Dei laude priorem epistolæ suæ partem claudit* (25—36).

ỳ. 1—6. Dico ergo: Numquid Deus repulit populum suum? Absit. Nam et ego Israëlita sum ex semine Abraham, de tribu Benjamin. 2 Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit. An nescitis in Elia quid dicit Scriptura: quemadmodum interpellat Deum adversum Israël? 3 Domine, Prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt: et ego relictus sum solus, et quærunt animam meam. 4 Sed quid dicit illi divinum responsum? Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal. 5 Sic ergo et in hoc tempore reliquiæ secundum electionem gratiæ salvæ factæ sunt. 6 Si autem gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non est gratia.

ỳ. 1—6. *Λέγω οὖν· Μὴ ἀπώσατο ὁ Θεὸς τὸν λαὸν αὐτοῦ; Μὴ γένοιτο. Καὶ γὰρ ἐγὼ Ἰσραηλίτης εἰμὶ, ἐκ σπέρματος Ἀβραὰμ, φυλῆς Βενϊαμίν·* 2 *Οὐκ ἀπώσατο ὁ Θεὸς τὸν λαὸν αὐτοῦ, ὃν προέγνω· Ἢ οὐκ οἴδατε ἐν Ἠλίᾳ τί λέγει ἡ γραφή; ὡς ἐντυγχάνει τῷ Θεῷ κατὰ τοῦ Ἰσραὴλ, λέγων·* a) 3 *Κύριε, τοὺς προφήτας σου ἀπέκτειναν, καὶ* b) *τὰ θυσιαστήριά σου κατέσκαψαν, κἀγὼ ὑπελείφθην μόνος, καὶ ζητοῦσι τὴν ψυχήν μου.* 4 *Ἀλλὰ τί λέγει αὐτῷ ὁ χρηματισμός; Κατέλιπον ἐμαυτῷ ἑπτακισχιλίους ἄνδρας, οἵτινες οὐκ ἔκαμψαν γόνυ τῇ Βάαλ.* 5 *Οὕτως οὖν καὶ ἐν τῷ νῦν καιρῷ λεῖμμα κατ' ἐκλογὴν χάριτος γέγονεν.* 6 *Εἰ δὲ χάριτι, οὐκέτι ἐξ ἔργων· ἐπεὶ ἡ χάρις οὐκέτι γίνεται χάρις. Εἰ δὲ ἐξ ἔργων* c), *οὐκέτι ἐστὶ χάρις, ἐπεὶ τὸ ἔργον οὐκέτι ἐστὶν ἔργον.*

Paraphrasis. Quæro igitur: Quum talia de Judæis et Gentilibus vaticinatus sit Isaias, numquid Deus forte a se repulit populum suum, quem in peculiarem gentem suam olim sibi elegerat? Absit! Et verò etiam ego, Messianæ salutis ipse præco, ego quoque Israëlita sum, ex Abrahæ semine procreatus, pertinens ad tribum Benjamiticam. Non repulit, inquam, Deus populum suum, quem ab æterno in populum suum peculiarem sibi elegit. Profectò non fugit vos quod legitur eo Scripturæ loco ubi de Elia sermo est, quomodo ibi Israëlitas apud Deum accuset: *Domine*, inquit, *prophetas tuos occiderunt, altaria tua diruerunt, solus prophetarum tuorum relictus sum ego, et me quoque occidere quærunt.* Sed quid divinitùs responsum est Eliæ? *Servavi mihi septem millia virorum, qui non curvarunt genua coram Baäl.* Igitur quemadmodum Eliæ illâ ætate supererant qui a cultu Jehovæ non defecissent, ita et nunc temporis pauci aliqui Dei gratiâ Messianam participarunt salutem. Quod si tribuendum hoc est gratiæ beneficio, profectò non est acceptum referendum operibus; alioquin gratia non verè rectèque gratia appellari possit.

VARIANS LECTIO.

a) Vox λεγων non legitur in Codd. ABCDEFG. Glossema est.

b) Vocula και ante τα θυσιαστηρια σου a plerisque Codd. et versionibus antiquis abest. Librarii correctio est.

c) Verba ista ει δε εξ εργων et quæ sequuntur omnia absunt a Codd. ACDEFG, item a plerisque versionibus antiquis. Tribuenda mihi videntur cuipiam glossatori, qui voluerit antegressam PAULI sententiam antitheticâ sententiâ suo modo elucidare.

℣. 1. *Dico ergo : Numquid Deus repulit populum suum?)* Vaticiniorum quæ postremo loco Apostolus recitaverat alterum (℣. 20) portendebat vocationem Gentilium, alterum (℣. 21) Judæorum repulsionem. Poterat autem falsò nonnemini videri ex vaticiniis istis colligendum esse, Gentiles, tamquam novum Dei populum, fuisse substitutum in locum gentis Israëliticæ, hanc autem *omninò a Deo fuisse repulsam.* Ergo falsam illam collectionem præoccupaturus Apostolus, ipse eam proponit et statim refellit, unà sic transiens ad ea monenda, quæ ad absolutam suscepti thematis tractationem dicenda supererant. Sensus est : *Quæro igitur* (ουν, i. e. quia talia de Judæis et Gentilibus vaticinatus est ISAIAS) : *numquid fortè repulit a se Deus populum suum quem in peculiarem gentem suam olim sibi elegerat ?* Emphasin in præsenti sententia habet vox *repulit* (απωσατο); et mens interrogantis est dicere : numquid Israëliticam gentem qua talem rejecit universam ? Patet hoc ex insequentibus. Απωσατο (Aor. 1. Med. ab απωθεισθαι) serioris Græcitatis forma est pro Attica απεωσατο cum Augmento syllabico.

Absit ! Nam et ego Israëlita sum ex semine Abraham, de tribu Benjamin.) Falsam illam collectionem cum abominatione rejicit exclamans μη γενοιτο, *absit !* et suo statim exemplo falsitatem ejus *probat* (γαρ) : *nam etiam ego* (και γαρ εγω [1]) inquit, Messianæ salutis ipse præco, quem profectò non dixeritis a Messiana salute exclusum, *ego quoque Israëlita sum*, et germanus Israelita quippe *ex Abrahæ semine* procreatus, *Benjaminita.*

℣. 2. *Non repulit Deus plebem suam quam præscivit.)* Denuò rejicit falsam illam collectionem, apertissimis verbis declarans, *Deum non repulisse populum suum* [2];

---

(1) « Wenn και γαρ verbunden sind, so gehört και zu den nächst folgenden Worte und bedeutet AUCH; γαρ hat sich bloss desshalb an και angeschlossen, weil es die zweite Stelle im Satze einzunehmen liebt. » KÜHNER §. 154. *Anm.* 3.

(2) Auctor Vulgatæ heic vertit *non repulit Deus*

quod verò addit *quem præscivit* (ὃν προεγνω), est hoc argumentum quo confirmat antegressam declarationem qua dixerat *Deum non repulisse populum suum;* ut adeò sensus sit : *Deum pœnitere non posse beneficiorum suorum* (cf. ℣. 29) ; *ergo nec potuisse gentem Israëliticam qua talem repulisse, quippe qui ab æterno illam gentem in populum suum peculiarem sibi elegisset.*

Quem versu secundo *populum* Dei vocat Paulus, est is profectò unus idemque cum eo de quo versu primo dixerat : *Numquid Deus repulit populum suum ?* Ergo sicut illic intelligenda est *gens Israëlitica universa* , ita et hic . Itaque falsa est interpretatio eorum qui dicant versu secundo intelligendum esse non Israëliticum populum universum qua talem , sed tantum Israëlem , ut vocant , *spiritualem.* Falsa pariter ea interpretatio est, qua Relativum *quem* exponitur per *quatenus,* quasi sensus sit : « Deus non repulit populum suum , *quatenùs* sive *qua parte* eumdem præscivit. Cum ergo *populus* , *quem præscivit* , intelligendus sit Israëliticus populus , qua talis , universus , consequitur vocem προεγνω in præsenti loco tale quid notare quod de universo populo Israëlitico verè prædicari possit . Itaque προεγνω est *præscivit* , *præcognovit* eo sensu ut valeat *quem ante* (ab æterno) ex multis aliis populis in populum suum peculiarem *elegit.*

℣. 2—6. *An nescitis in Elia quid dicit Scriptura, quemadmodum interpellat Deum adversum Israël ? Domine, prophetas,* cet.) Israëliticam Gentem, qua talem, non fuisse a Deo rejectam Apostolus hic novo argumento inde probat quòd ex popularibus suis coævis non omnes fuissent increduli, sed plures , evangelicam fidem professi, Messianam salutem *reapse* participassent , quemadmodum et Eliæ Prophetæ temporibus non omnes Israëlitæ a cultu veri Dei ad idololatriam defecissent ; cujus rei historiam ad suorum lectorum memoriam revocat. Dicit ergo : *Profectò non fugit vos id quod legitur eo Scripturæ loco ubi de* Elia *sermo est* (εν Ηλια), *quomodo ibi Israëlitas apud Deum accuset* (εντυγχανει τῳ Θεῳ κατα του Ισραηλ) : *Domine* , inquit , *dereliquerunt pactum tuum filii Israël , prophetas tuos occiderunt* , *altaria tua funditus everterunt* (κατεσκαψαν) ; *solus prophetarum tuorum relictus sum ego et me quoque occidere quærunt. Sed quid divinitùs responsum est* Eliæ ? *Servavi mihi septem millia virorum qui non curvarunt genua coram Baäl. Igitur* (ουν , h. e. ut illud exemplum applicem ad id de quo sermo est) *quemadmodum luctuosâ illâ* Eliæ *ætate supererant qui a cultu* Jehovæ *non defecissent* , *ita et nunc temporis* (οὑτως και εν τῳ νυν καιρῳ) *pauci aliqui* (λειμμα) *Dei gratiâ Messianam participarunt salutem* , h. e. doctrinam evangelicam fide amplexi consecuti sunt gratiam justificationis.

Formula ἠ ουκ οιδατε , vel , absque Particula ἠ interrogativâ, ουκ οιδατε ,

---

plebem suam, cum versu primo scripsisset *numquid Deus repulit* populum suum. Nota , Græcè utroque loco dici τον λαον αὐτου.

inservit revocando ad memoriam rem quam turpe sit nescire, aut etiam talem quæ notissima sit, sicut hoc loco et 1 Cor. IX. 24. Quod ibi dicitur εν Ηλιᾳ, exponendum hoc est : *in ea sectione librorum Regum ubi enarrantur res gestæ* Eliæ. Antiquitùs Scripturæ sacræ veteris Testamenti distinctæ non erant in Capita et Versus [1], sed ex præcipuo aliquo argumento sumi solebat locorum indicatio. Exempla hujus rei varia collegit Surenhusius [2]. Sic, ut hoc utar, in Talmude (Tract. *Berachoth*, Fol. 2. Col. 1) legitur מה שנאמר במיכאל, *id quod dictum est* in Michaële, id est, quo loco de Michaële agitur, nempe Isaiæ Cap. VI. 6. Ex Novo Testamento huc pertinet Marc. XII. 26 : *Non legistis in libro Moysis*, επι του βατοῦ (*in rubo*), hoc est, eo in loco qui historiam rubi ardentis continet (Exod. III. 6).

Verba ὡς εντυγχανει sicut et antegressa τι λεγει pendent ab ουκ οιδατε. Confer Luc. VI. 4. Act. XX. 20. Dictio εντυγχανειν τινι κατα τινος notat *convenire aliquem in alicujus damnum*, h. e. quempiam apud aliquem *accusare*. Cf. I. Macc. VIII. 32. X. 16. Nec aliud quid dicere voluisse videtur auctor Vulgatæ cum hic scriberet *quemadmodum interpellat Deum adversum Israël;* nam *interpellare aliquem* inter alia etiam notat *precibus aliquem adire*. Vide Facciolati ad vocem *interpellare*.

Domine, Prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt, cet.) Scripturam Paulus hoc loco recitat *ad sensum* tantùm ; nam verbotenus sic ibi (3 Reg. XIX. 14) legitur : *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum : quia dereliquerunt pactum tuum filii Israël : altaria tua destruxerunt, prophetas tuos occiderunt gladio, derelictus sum ego solus, et quærunt animam meam ut auferant eam*. Jussu Iezabelis, impiissimæ reginæ, prophetæ quotquot inveniri poterant in regno decem tribûum, occisi fuerunt. 3 Reg. XVIII. 4. Sed de *suffossis*, hoc est, funditùs dirutis altaribus istis quæritur quænam ibi altaria intelligantur, quandoquidem lege vetitum erat offerre sacrificia extra Ierosolymam. Grotius (ad h. l.) Kimchii sententiam secutus respondet, *altaria* quæ hic *eversa* dicuntur, ea esse quæ pii in decem tribubus sibi struxerant ex quo permissi non erant ad templum ire ; quo tempore lex de altaribus alibi struendis cessare videretur. » Rectissimè, ut mihi quidem videtur. In eamdem sententiam inclinat Estius. » Quomodo, inquit, altaria Domini suffossa, quum fas non esset Domino Deo sacrificium offerre nisi in uno loco quem Deus ad hoc elegisset? Qui locus utique erat Ierosolymæ. Verisimile est Eliam loqui de altaribus, quæ passim in excelsis studio quodam pietatis Deo vero erecta fuerant, maxime postquam decem tribus regum suorum tyrannide prohibitæ fuerunt, ne Ierosolymam adscenderent sacrificii causâ. Quamvis enim id lege vetitum esset, ac

---

(1) Scripturæ veteris Testamenti in Capita et Versus sæculo demum duodecimo distinxit Cardinalis Hugo, novi autem Testamenti libros Robertus Stephanus, typographus, sæculo XVI.

(2) Βιβλος καταλλαγης Lib. 1. *De formulis allegandi Scripturas sacras*. Thesis 49.

recte fecerint Ezechias et Josias, reges Juda, etiam ejusmodi aras evertendo; tamen impium erat eas subvertere odio cultûs Dei Israël, uti fecerunt Achab et Iezabel cum suo populo. » Κατεσκαψαν *suffoderunt*, puta *suffodiendo everterunt.*

et ego relictus sum solus) Num Elias dicere vult *solus ex prophetis*, an verò *solus ex veri Dei cultoribus*? Interpretes plerosque in ea video esse sententia, ut putent Eliam verbis istis, *ego relictus sum solus*, dicere voluisse, *ex veri Dei cultoribus* in regno decem tribûum se *solum* fuisse superstitem, ceteris omnibus ad idololatriam deficientibus. Sed huic interpretationi obstare mihi videtur series narrationis in libro Regum (Reg. XIX. 14), ubi Eliæ ad Deum verba sic recitantur: *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum: quia dereliquerunt pactum tuum filii Israël: altaria tua destruxerunt, prophetas tuos occiderunt gladio* [1], *derelictus sum ego solus, et quærunt animam meam ut auferant eam.* Scilicet verba ista, *derelictus sum ego solus*, quum subjiciantur proxime antegressis, *prophetas tuos occiderunt*, omninò postulare mihi videntur ut putemus Eliam dicere voluisse: *ex prophetis ego solus, reliquis occisis, superstes remansi.* Cui interpretationi non obstat quod legimus (3 Reg. XVIII. 13) Abdiam, regis œconomum, in Prophetarum illa internecione abscondisse prophetas centum in speluncis, atque ita e præsenti morte illos eripuisse; nam poterant illi deinde deprehensi fuisse et pariter occisi [2]. Nec magis obstat illi interpretationi quod Eliæ respondetur, superesse *septem millia cultorum veri Dei.* Neque enim alienum hoc responsum est ab Eliæ quærimonia istâ, *Ego solus* (ex prophetis) *remansi superstes*; nam cum idem modò dixisset, *dereliquerunt pactum tuum filii Israël*, dici potest loquentem animo agitasse cogitationem hanc: *ex prophetis ego remansi solus, plebs autem universa Baälem adorat, itaque Iehovæ cultores supersunt nulli.* Quod si ita comparatus erat animus lamentantis *se solum esse relictum*, optime quadrat divinum responsum: *Servavi mihi septem millia virorum qui genua sua non curvarunt coram Baäle.*

℣. 4. *Sed quid dicit illi divinum responsum? Reliqui mihi septem millia*, etc.) Pro eo quod in Vulgata dicitur *divinum responsum*, Græce est unica vox χρηματισμος, qua voce significatur *responsum aut monitum aliquod*, ut 2 Macc. XI. 17, speciatim autem *responsum aut monitum divinitùs datum*, *oraculum*, ut hoc loco et 2 Macc. II. 4; confer χρηματιζειν Matth. II. 12. Act. X. 22. Græcis *oraculum* vulgo dicebatur χρησμος.

---

(1) Paulus inverso ordine dixit: *prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt.*

(2) Hebræi interpretes aliter hunc nodum solvunt. Et Levi ben Gersom ait; הרגה אותם איזבל ונשאר אליהו לבדו מן הנביאים הידועים לה... h.c. *Occiderat eos* (Prophetas) Iezabel *relictusque fuerat Elias solus ex prophetis illi* (Iezabeli) *cognitis.* Kimchi verò ad verba ואותר אני לבדי (*et relictus sum ego solus*) hæc notat: והלא נותרו המאה שהחביא עובדיה אלא לפי שלא היו נודעים הרי הם כאלו אינם h. c. *Ast nonne superstites erant centum* (*prophetæ*) *illi quos absconderat* Abdias? Sic est. *Sed quia ignoti erant, ideò erant quasi non essent.* Memineris centum ex prophetis curâ Abdiæ in speluncis fuisse absconditos.

Ceterum videsis quæ notavimus ad Act. X. 22 et XI. 26; et quæ Suicerus habet in suo *Thesauro* ad voces χρηματιζω et χρηματισμος. Quod autem dicit oraculum *reliqui mihi*, hoc eo sensu sumendum est ut valeat *vivos servavi;* patet hoc ex contexta oratione loci ab Apostolo recitati (3 Reg. XIX. 17. 19). *Septem millia* intelliguntur, ut videtur, *multa millia;* septenarius enim numerus multitudinem notat. Scripsit Paulus non τῷ Βααλ, sed cum Articulo feminini Generis τῃ Βααλ, quod passim quoque faciunt Septuaginta [1]; hi verò cur hoc generis discrimine nunc ὁ Βααλ nunc ἡ Βααλ dixerint, adhuc certò dici nequit [2].

℣. 5. *Sic ergo in hoc tempore, reliquiæ secundum electionem gratiæ salvæ factæ sunt.*) Sensus est: Igitur (ουν, h. e. ut hæc ad rem nostram accommodem) quemadmodum Eliæ illâ ætate non omninò defuêre Iehovæ cultores, *ita quoque* (οὕτως και) *nunc temporis*, exclusis a Messiana salute Israëlitis plerisque, λειμμα γεγονεν (*il y eut un reste*), residuum aliquod fuit Judæorum Messianam salutem participantium. — Inde verò consequebatur, Deum minime repulisse populum suum, qua talem; id quod erat probandum. Λειμμα dixit Apostolus in accommodando exemplo, quia in proposito exemplo (℣. 5) dictum erat κατελιπον. Verba ista, κατ' εκλογην χαριτος (Vulg. *secundum electionem gratiæ*) non significant *secundum electionem ad gratiam*, verùm *secundum electionem gratuitam;* itaque χαριτος non est Genitivus *Objecti* sed *Subjecti*, ut sensus sit: *secundum electionem quam fecit gratia*, quæque adeò non sit tribuenda cujuspiam operibus tamquam meritis; atque hanc esse mentem Apostoli, id quidem liquido patet ex eo quod ibi statim pergit dicere: *si autem gratia, jam non ex operibus*, id est, si autem gratuita fuit hæc electio, profecto non est accepta referenda operibus. Recte Petavius [3]: « Hebræorum more, inquit, qui Substantiva nomina pro Adjectivis usurpare solent, dicitur ibi *electio gratiæ* (κατ' εκλογην χαριτος) pro *electio gratuita*. Proinde *electio gratiæ* est non quæ fit *ad gratiam* sed quæ fit *ex gratia*, sive gratis, non ex operibus. Quod et sequentia demonstrant;

---

(1) In præsenti tamen loco (3 Reg. XIX. 18) legitur ὁ βααλ, in iis certe codicibus qui adhuc supersunt.

(2) Dr. Adalb. Maier (Commentar uber den Brief Pauli an die Römer ad h. l.): « *Unter den mehrfachen Hypothesen*, inquit, *hat die am meisten Wahrscheinlichkeit, dasz sie das Hebr.* הַבַּעַל *als* generis communis *ansahen, womit ebensowohl die männliche Gottheit dieses Namens, der Hauptgott der phönicischen Stämme* (die Sonne), *als auch die mit Baal häufig verbundene weibliche Gottheit Astarte* (עַשְׁתֹּרֶת) *bezeichnet werde; diesem zufolge hätten sie es nun aus dem Zusammenhange beurtheilt, ob die männliche oder weibliche Gottheit gemeint sein könnte; und hiernach das Geslecht gewählt.* Sed huic conjecturæ obstat quod 1. Reg. (1. Sam.) Cap. VII. 4 conjunguntur αἱ Βααλιμ cum *Astarte*.

(3) Theol. dogm. *De Deo ejusque proprietatibus* Lib. IX. (de Prædestinatione) Cap. XIII, 5.

sequitur enim apud Paulum : *Si autem gratia , jàm non ex operibus* , hoc est : *si gratiâ* electi sunt. » De notione vocis εκλογη , vide quæ notavimus supra ad Cap. IX. ꝟ. 11. pag. 298., a fine.

Superest ut notemus voces græcas *λειμμα γεγονεν , reliquiæ factæ sunt* , in Vulgatâ reddi *reliquiæ* salvæ *factæ sunt* [1] ; quæ latina interpretatio quamquam non est contra mentem Apostoli , tamen fidelis non est , quum in primigenio Pauli textu [2] nullum vocabulum sit cui vox *salvæ* respondeat. Nec magis vocem *salvæ* agnoscunt antiquissimæ quotquot exstant versiones ; imo , Estio teste (ad h. l.), nec in omnibus latinis Codicibus vox *salvæ* in præsenti loco legitur. Utrum vero vox *salvæ* tribuenda sit Vulgatæ auctori , an potius adscribenda Librario , quæ Estii sententia est , ambigi potest , ut mihi quidem videtur.

ꝟ. 6. *Si autem gratiâ , jam non ex operibus ; alioquin gratia jam non est gratia.*) Quod dicitur *si autem gratia* , vox *gratia* sexto Casu sumenda est ; respondet enim Græco *χαριτι* , quod ponitur in Casu *instrumentali*. Ceterum oratio elliptica est (*ει δε χαριτι* , scil. *λειμμα γεγονεν*) atque ex verbis antegressæ sententiæ complenda. Sensus est : Si autem *gratiæ beneficio* factum est ut, plerisque Judæis a Messiana salute exclusis , reliqui in Christum credendo hanc salutem consecuti sint , consequitur istorum salutem nullatenus operibus eorum tamquam meritis acceptam esse referendam. Conficitur hoc ex ipsa notione *gratiæ* , ut cujus notio omne *debitum* excludit [3] ; quod autem pro *meritis* redditur , id tamquam *debitum* aliquod solvitur ; ut dictum est supra (Cap. IV. 4): *Illi qui operatur merces non imputatur secundum gratiam , sed secundum debitum.*

ꝟ. 7—10. Quid ergo ? quod quærebat Israel , hoc non est consecutus : electio autem consecuta est : ceteri

ꝟ. 7—10. *Τί οὖν ; ὃ ἐπιζητεῖ* [a] *Ἰσραὴλ , τούτου* [b] *οὐκ ἐπέτυχεν· ἡ δὲ ἐκλογὴ ἐπέτυχεν· οἱ*

Paraphrasis. Quid igitur dicendum est? nam , ut ostendimus , dici nequit Deum repulisse populum suum. Dicendum est , Israëlitas, ma-

---

(1) Puta , inchoatâ salute , quæ posita est in gratia justificationis.

(2) In uno quidem Velesiano aliquo Codice legitur ibi σωζόμενον γέγονεν , verum ubi Velesianus aliquis Codex solus cum Vulgata consentit , refragrantibus ceteris Codicibus Græcis et versionibus antiquis , tu nihil dubites affirmare hunc Codicem ad Vulgatam Latinam fuisse interpolatum . Et in præsenti quidem loco interpolatio eo magis apparet quòd locutio illa σωζόμενον γέγονεν nequaquam Paulina est , quum Apostolus *salvum fieri* constanter soleat exprimere uno verbo σώζεσθαι.

(3) *Gratia nisi gratis sit , gratia non est.* S. Aug.

vero excæcati sunt : 8 sicut scriptum est : Dedit illis Deus spiritum compunctionis : oculos ut non videant, et aures ut non audiant, usque in hodiernum diem. 9 Et David dicit : Fiat mensa eorum in laqueum, et in captionem, et in scandalum, et in retributionem illis. 10 Obscurentur oculi eorum ne videant : et dorsum eorum semper incurva.

δὲ λοιποὶ ἐπωρώθησαν, 8 *καθὼς γέγραπται· Ἔδωκεν αὐτοῖς ὁ Θεὸς πνεῦμα κατανύξεως, ὀφθαλμοὺς τοῦ μὴ βλέπειν καὶ ὦτα τοῦ μὴ ἀκούειν, ἕως τῆς σήμερον ἡμέρας.* 9 *Καὶ Δαβὶδ λέγει· Γενηθήτω ἡ τράπεζα αὐτῶν εἰς παγίδα καὶ εἰς θήραν καὶ εἰς σκάνδαλον, καὶ εἰς ἀνταπόδομα αὐτοῖς.* 10 *Σκοτισθήτωσαν οἱ ὀφθαλμοὶ αὐτῶν τοῦ μὴ βλέπειν· καὶ τὸν νῶτον αὐτῶν διαπαντὸς σύγκαμψον.*

ximam partem, quam cupide quærebant justitiam non fuisse consecutos ; electos eamdem fuisse consecutos, reliquos verò fuisse obcæcatos, sicut erat prædictum hisce verbis : *Dedit illis Deus mentem stupore oppressam, oculos cæcos, aures surdas, usque in præsentem diem.* David quoque hoc prædixerat: *Fiant ipsis*, inquit, *epulæ eorum laqueus et tendicula et decipulum, atque hoc illis contingat in justam pœnam, in retributionem ; dorsumque eorum perpetuò incurva.*

VARIANS LECTIO.

a) Pro *επιζητει* est *επεζητει* (in Imperf.) in Codd. FG et nonnullis Minusculis; quam lectionem exhibent etiam versiones Itala, Syriaca (ܗܘ ܕܒܥܐ ܗܘܐ) et Vulgata.

b) Pro *τουτου* est *τουτο* in Codd. ACDEFGJ multisque Minusculis.

ỳ. 7. *Quid ergo? quod quærebat Israël* (scil. *justitiam*), *hoc non est consecutus : electio consecuta est: ceteri verò excæcati sunt).* Apostolus post memoratam *obiter* (ỳ. 6) Justificationis omnimodam gratuitatem, revertitur ad antegressam (ỳ. 1.) dubitationem illam : *numquid Deus repulit populum suum?* Itaque præsens versus proximè cohæret cum versibus 2—5, et hoc quidem nexu : *Quum ex disputatis consequatur, dici non posse Deum repulisse populum suum, quid igitur* (*τι ουν*) *dicendum est?* Respondet autem Apostolus, dicendum esse : *Israëlitas, maximam partem*,

quam cupide quærebant (επεζήτει [1]) *justitiam, minimè fuisse consecutos*; *electos* (ἡ δε εκλογη) *eamdem fuisse consecutos, reliquos verò fuisse obcæcatos* (ἐπωρώθησαν).

Quod ibi dicitur εκλογη, Abstractum est nomen pro Concreto εκλεκτοι, sicut alibi dicuntur *circumcisio* et *præputium*, pro hominibus circumcisis aut præputium retinentibus, Judæis aut Gentilibus. Articulus autem in dictione ἡ εκλογη demonstrat λειμμα κατ' εκλογην χαριτος (℣. 5.). Pro ἡ εκλογη Apostolus, nullâ sententiæ varietate, hoc loco scribere potuisset το λειμμα κατ' εκλογην χαριτος. *Electi* Israëlitæ consecuti sunt justitiam quia studuerunt eam sibi comparare non *quasi ex operibus, sed gratuitò ex fide, neque offenderunt in lapidem offensionis* (Cf. Cap. IX. 32). Erant autem *electi* quicumque oblatam omnibus Justificationis gratiam sub eâ quâ hæc offerrebatur conditione accipere non recusabant [2]. Qui vero recusabant, ut fecêrunt plerique, adeoque *offendebant in lapidem offensionis, neque gratis ex fide sed quasi ex operum suorum meritis* justitiam quærebant, hi *fuêre excæcati.* (ἐπωρωθησαν), id est, exclusi a Messianâ salute sive a gratia Justificationis [3]; non ita tamen ut deinceps non potuerint ab incredulitate sua resipiscere atque ita ad participandam illam salutem admitti. Vide infra ℣. 14. Επωρωθησαν scil. *a Deo;* quod eo modo capiendum est quo antegressum (Cap. IX. 18) illud : *Deus quem vult indurat.*

Επιτυγχανω *assequor, nanciscor*, multo quidem frequentius construitur cum Genitivo *rei*; non raro tamen, etiam in scriptoribus bene Græcis, occurrit et cum Accusativo *rei*. » Quum Attici, ait Fritschius (ad h. l.), τυγχανειν τι *rem consequi* haud raró dixerint (vid. *Herm* ad *Vig.* pag. 160, et *Wunderum* Advers. in Soph. Philoct. p. 82), quin seriores scriptores επιτυγχανειν τι eodem sensu usurpaverint dubitari vix

---

(1) Si mavis legere in Præsenti επιζητεῖ, quæ lectio alteri præferenda videtur, Apostolus dicendo *quam cupide quærunt*, significat etiamnum fieri id quod dicit.

(2) Causam ejus rei Apostolus jam supra assignaverat, scilicet Cap. IX. 31. 32, et iterum Cap. X. 3.

(3) S. Jo. Chrysostomus Hom. XIX. in Ep. ad Rom. ad verba ista, λειμμα κατ' εκλογην χαριτος γεγονεν, hæc notat : Τῳ μεν γαρ ειπειν εκλογην, εδειξεν εκεινων την δοκιμην· τῳ δε ειπειν χαριτος, εδειξε του Θεου την δωρεαν. h. e. « Dicendo *electionem*, illorum (qui salute donati fuêre) ostendit probitatem; quod verò ait *gratiæ*, Dei donum demonstrat. » Et pauló infrà : Και ει χαριτι, φησιν, δια τι μη παντες σωζομεθα; Ὅτι μη βουλεσθε· ἡ γαρ χαρις, κἂν χαρις ᾖ, τους εθελοντας σωζει, ου τους μη βουλομενους και αποστρεφομενους αυτην, και πολεμουντας αυτῃ διηνεκως και εναντιουμενους. h. e. « Si *per gratiam*, inquies, cur non omnes salute donamur? Quia non vultis. Gratia quippe, licet gratia sit, volentes se servat, non nolentes qui ipsi perpetuò adversantur, ipsamque propulsant. » In justificatione totum ita debetur gratiæ, ut tamen necessaria ibi sit liberi arbitrii coöperatio; quæ tamen coöperatio nullo modo *meriti* cujuspiam rationem habet.

(4) Horum πωρωσιν Chrysostomus vocat την των λοιπων εκβολην. Ibid. Hom. XIX. Oecumenius (ad h. l.) : Οἱ δε λοιποι επωρωθησαν. Τίνες; ὅσοι εναπεμειναν τῳ Ιουδαϊσμῷ. h. e. *Ceteri autem excæcati sunt. Quinam? Quotquot in Judaismo permanserunt.*

potest. » Verbum πωρόω Interpres noster non hoc solum loco, sed et Marc. VI. 52. VIII. 17 reddidit *excæcare*. Syrus quoque pro επωρωθησαν hic habet ܐܬܥܘܪܘ *obcæcati sunt*. Septuaginta quoque Jobi (Cap. XVII. 7) illud וַתֵּכַהּ מִכַּעַשׂ עֵינִי *caligavit præ ira oculus meus* reddiderunt πεπώρωνται απο οργης οἱ οφθαλμοί μου. Suidæ πεπωρωται est τετυφλωται, et Hesychius πεπωρωμενοι interpretatur εσκληρωμενοι, τετυφλωμενοι. Itaque non video quo jure interpres noster hoc loco corrigendus sit, quasi qui επωρωθησαν reddere debuisset non *excæcati sunt*, sed *obdurati sunt*. Quid si Græcâ lingua duplex habeat verbum denominativum πωροω, alterum quidem a πῶρος *callus*, derivatum, alterum verò a πωρός *cæcus*? Vaticinium autem, quod statim hic subjicitur, omninò suadebat vocabulo επωρωθησαν notionem subjicere *obcæcandi* potius quam *obdurandi*, quum ibi sermo sit de *obcæcando*, non vero de *obdurando*.

ỳ. 8. *Sicut scriptum est: Dedit illis Deus spiritum compunctionis: oculos ut non videant, et aures ut non audiant, usque in hodiernum diem)* Probat Apostolus jam olim prædictam fuisse illorum πώρωσιν sive *obcæcationem*. Et illud quidem quod primo loco (ỳ. 8) adducit vaticinium, est hoc ex duobus Scripturæ locis compositum. Nam verba ista, *dedit illis Deus spiritum compunctionis*, desumpta sunt ex Isaiæ Cap. XXIX. 10, reliqua verò ex verbis Moysis (Deuteronomii XXIX. 3). Ceterum Scripturam utrobique Apostolus recitat non verbotenùs, sed *ad sensum* tantùm. Nam verbotenus Isaias dicit: נָסַךְ עֲלֵיכֶם יְהוָֹה רוּחַ תַּרְדֵּמָה, *effudit super vos* Jehova *spiritum soporis* (LXX: πεποτικεν (potavit) ὑμας Κύριος πνευματι κατανυξεως); verba autem Moysis hæc sunt: וְלֹא־נָתַן יְהוָֹה לָכֶם לֵב לָדַעַת וְעֵינַיִם לִרְאוֹת וְאָזְנַיִם לִשְׁמֹעַ עַד הַיּוֹם הַזֶּה, in Vulgata (ỳ. 4): *Et non dedit vobis Dominus cor intelligens, et oculos videntes, et aures quæ possunt audire, usque in præsentem diem*. Vocabulum κατανυξις (in Vulg. *compunctio*), quod Paulus ex versione Septuaginta-virali hic retinuit, apud Græcos quidem propriè significat *compunctionem*, et mox tralatitiè *vehementem dolorem*, a κατανυσσω, *compungo, pungendo penetro*. Apud LXX verò ea vox etiam notionem habet *stuporis*. (Cf. Isaiæ XXIX. 10. XLVII. 5. Dan. X. 9), atque hoc sensu κατανυξις in præsenti loco omninò sumenda est. Sunt autem Isaiæ verba ista, *effudit super vos Jehova spiritum compunctionis*, propheticè dicta de Judæorum illa obcæcatione, quam Paulus hic memorat. Constat hoc ex verbis Christi (Matth. XV. 7. 8. 9), qui Isaiæ vaticinii illius partem recitavit, præmissis verbis: *bene* (rectè) *prophetavit de vobis* Isaias. Quod verò attinet ad verba Moysis hæc, *et non dedit vobis Dominus cor intelligens*, cet., putaverim illa ab eo dicta esse non propheticè sed historicè, scilicet de *stupore* Israelitarum sui temporis, neque a Paulo tamquam prophetica ea recitari, sed simpliciter adhiberi

---

(1) Exprobrat ibi Moyses popularibus suis stuporem illum, quo incassum viderant tot miracula in ipsorum favorem a Jehova patrata.

ad explicandum propheticum illud Isaiæ effatum : *effudit super eos* Jehova *spiritum compunctionis.* In qua sententia Estius quoque fuisse mihi videtur. Nam postquam significavit se cum iis sentire qui affirmant Paulum respicere ad locum Deuteronomii [1] (Cap. XXIX. 3) quem supra recitavimus, sic dicere pergit : « Nec refert, *inquit*, quod ad alios Moyses, ac de aliis Paulus loquatur ; quodque diversum diem indicent *hodiernum.* Nam illi ad quos Moyses, erant patres eorum de quibus Paulus et ad quos Dominus (Matth. XXIII. 32) : *Implete mensuram patrum vestrorum ;* ut proinde quæ in illos a Moyse dicta sunt, apposité etiam in istos dicantur a Paulo ; maxime quòd horum etiam typum quemdam præferrent illâ suâ animi duritiâ et obstinatione. » Verbis istis, *usque in hodiernum diem*, Paulus significare voluerit, Judæorum illam, de qua loquitur, obcæcationem perdurare ad ipsum illud quo scribebat tempus. Ceterum quod dicitur dedit *illis Deus spiritum compunctionis* [2], cet., eodem modo hoc intelligendum est, quo supra (Cap. I. 24. pag. 35) interpretati sumus verba *tradidit illos Deus in desideria cordis eorum* etc., aut ista (Cap. IX. 18. pag. 305), *Deus quem vult indurat.* Infinitivos nominascentes του μη βλεπειν, του μη ακουειν, reddideris *ad non videndum*, *ad non audiendum* (pour ne pas voir, pour ne pas entendre), ut sensus sit : *Dedit illis Deus mentem stupore oppressam*, *oculos* (*mentis*) *cæcos*, *aures* (*mentis*) *surdas*, cet. Nota, Infinitivum cum Genitivo Articuli post verbum Finitum inservire tum ad indicandum *effectum* aut *consequentiam actionis*, tum etiam ad docendum *finem in quem*, veluti Act. IX. 15. XIII. 47, alibi.

℣. 9—10. *Et David dicit : Fiat mensa eorum in laqueum et in captionem*, cet.) Antegresso vaticinio (℣. 8) aliud adjungit Apostolus ad eamdem rem probandam, scilicet, fuisse jam olim prædictam Judæorum illam, de qua loquitur, obcæcationem. Et hoc quidem vaticinium desumptum est ex Psalmo LXVIII (Hebr. LXIX.) ℣. 23 et seq. qui Psalmus quin sensu typico *propheticus* sit de Messia ejusque adversariis, dubitari nequit. Videsis quæ in hanc rem notavimus in Commentario in Act. Ap. ad Cap. 1. ℣. 20. Eâ parte qua Psalmus ab Apostolo recitatur, formâ orationis imprecatoriâ [3]) pœnæ de-

---

(1) Nimirum sunt interpretes qui dicant verba Pauli ista, *oculos ut non videant et aures ut non audiant usque in hodiernum diem*, desumpta esse non ex Deuteronomio, verum ex Isaiæ Cap. VI. 10. Cui sententiæ obstat quod ibi nullo modo legitur pars illa qua dicitur *usque in hodiernum diem.*

(2) h. e. *Mentem stupore oppressam.* Itaque Genitivum κατανυξεως habuerim pro Genitivo, ut vocant, *qualitatis*, qualis est in dictionibus οικονομος της αδικιας (Luc. XVI. 8) aut ἡ πληγη του θανατου (Apoc. XIII. 3), aliis.

(3) De formâ orationis imprecatoriâ, sæpenumero in Scripturis obviâ, legendus est S. Thomas in 2. 2. Q. XXV. Art. VI. ad 3. S. Augustinus in enarratione hujus Psalmi ad dictum istud, *fiat mensa eorum in laqueum*, cet., hæc notat : « Non optantis est, *inquit*, sed prophetantis ; non ut fiat, sed quia fiet. Hoc sæpe commendavimus et meminisse debetis, ne quod præsaga mens in Spiritu Dei dicit, malevolè imprecari videatur. »

nunciantur a Messiæ adversariis aliquando luendæ. Et quod ibi dicitur *fiat mensa* (esca) *eorum in laqueum*, cet., metaphoricus est sermo, ductâ imagine ex re venatoria ab avibus aut feris inescatis. Demptâ imagine sensus est: *quod illis prodesse debebat, hoc ipsis vertatur in exitium.* Quæ pœna deinde distinctius exprimitur verbis insequentibus istis: *obscurentur oculi* (mentis) *eorum ut ne videant;* quæ verba portendunt obcæcationem illam, de qua Apostolus nunc agit. Quod additur, *et dorsum eorum semper incurva*, eo typicè significatur obscurati eorum intellectûs diuturnum servitium.

Præpositio *εις* ibi dicitur *de effectu*. *Παγις laqueus, decipula; θηρα* proprie quidem *venationem* notat, sed et dicitur de *tendicula* quam Græci *παγιδιον* vocant [1]), quo sensu *παγις* et *θηρα* synonyma sunt. Similem notionem, in seriore quidem Græcitate, obtinuit vox *σκανδαλον*, quod inde probatur quòd Septuaginta interpretes passim (ex. gr. Josue XXIII. 13, Judic. II. 3. VIII. 27, alibi,) Græco hoc vocabulo reddiderunt Hebraicum מוֹקֵשׁ, quod de *laqueo* usurpatur. *Του μη βλεπειν* ut supra ў. 8. Ceterum observandum est, Paulum hoc loco Scripturam recitasse secundum versionem septuaginta-viralem, non tamen verbotenùs; nam sic ibi legitur: *Γενηθητω ἡ τραπεζα αυτων ενωπιον αυτων εις παγιδα, και εις ανταποδοσιν, και εις σκανδαλον· σκοτισθητησαν οἱ οφθαλμοι αυτων του μη βλεπειν, και τον νωτον αυτων διαπαντος συγκαμψον.* Unde patet Paulum omisisse quidem verba *ενωπιον αυτων*, addidisse autem *και εις θηραν*, tum pro *εις ανταποδοσιν* dixisse *εις ανταποδομα αυτοις*, ac denique voces *και εις σκανδαλον* præposuisse vocibus *και εις ανταποδοσιν*. Nihilominus, sensum si spectes, non aliud a Paulo dicitur quam quod apud Septuaginta legitur. Sed nonnihil ab horum versione discrepat textus Masorethicus; nam sic ibi legimus: יְהִי־שֻׁלְחָנָם לִפְנֵיהֶם לְפָח וְלִשְׁלוֹמִים לְמוֹקֵשׁ תֶּחְשַׁכְנָה עֵינֵיהֶם מֵרְאוֹת וּמָתְנֵיהֶם תָּמִיד הַמְעַד, hoc est: *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, et securis* (ipsis dum sine sollicitudine sunt) *in tendiculam; obscurentur oculi eorum ut non videant, et lumbos eorum perpetuò fac nutare.* Nimirum Septuaginta pro וְלִשְׁלוֹמִים לְמוֹקֵשׁ, unâ litterâ ו additâ voci לְמוֹקֵשׁ voceque וְלִשְׁלוֹמִים aliis vocalibus pronunciatâ, legerint וּלְשִׁלּוּמִים וּלְמוֹקֵשׁ. Vox שִׁלּוּמִים *retributiones* significat. Cf. Isaiæ Cap. XXXIV. 8. Quod vero attinet ad postremam hujus loci partem istam, וּמָתְנֵיהֶם תָּמִיד הַמְעַד, dicendum est Septuaginta ibi Psalmistæ mentem potius expressisse quam reddidisse verba. Scilicet qui pondere pressi dorso incedunt incurvato, illorum quoque nutant lumbi, qui sunt inferior dorsi pars.

---

(1) Sunt qui alteram hanc vocis θηρα notionem in dubium vocant. At enim Septuaginta certe Interpretes vocem θηρα hac significatione adhibuerunt Ps. XXXIV. 8, tamquam vocabuli παγις synonymam: Ελθατω αυτῳ παγις ἣν ου γινωσκει, και ἡ θηρα (Hebr. Ps. 35. 8 רֶשֶׁת *rete*) ἣν εκρυψεν, cet. Ceterum, si quis malit θηρα hoc loco reddere *captura* sive *captio*, ut noster fecit Interpres, equidem contendere nolim.

℣. 11—12. Dico ergo : Numquid sic offenderunt ut caderent ? Absit. Sed illorum delicto, salus est Gentibus ut illos æmulentur. 12 Quod si delictum illorum divitiæ sunt mundi, et diminutio eorum divitiæ Gentium : quanto magis plenitudo eorum ?

℣. 11—12. *Λέγω οὖν· Μὴ ἔπταισαν, ἵνα πέσωσι; Μὴ γένοιτο. ἀλλὰ τῷ αὐτῶν παραπτώματι ἡ σωτηρία τοῖς ἔθνεσιν, εἰς τὸ παραζηλῶσαι αὐτούς.* 12 *Εἰ δὲ τὸ παράπτωμα αὐτῶν πλοῦτος κόσμου, καὶ τὸ ἥττημα αὐτῶν πλοῦτος ἐθνῶν, πόσῳ μᾶλλον τὸ πλήρωμα αὐτῶν ;*

Paraphrasis. Quæro igitur : Est-ne lapsus illorum eo consilio divinitùs permissus ut penitùs corruerent sine ulla spe resurgendi ? Absit! imo verò illorum lapsu Evangelica salus obtigit Gentilibus, ut per hos ad sanctam quamdam æmulationem provocarentur atque ita ab incredulitate sua resipiscerent. Quod si Israëlitici populi lapsus et secuta inde spiritualis sui deminutio Gentes locupletavit, quanto magis hi locupletabuntur quando populus universus Christo nomen dederit!

℣. 11. *Dico ergo : Numquid sic offenderunt ut caderent ?)* Interpres noster de suo addidit voculam *sic*. Nexus orationis talis est : dixerat Apostolus (Cap. IX. 32. X. 16. XI, 7), Judæorum plerosque in Jesum Messiam tamquam in lapidem offendiculi impegisse atque ita a Messiana salute suâ culpâ fuisse exclusos. Videri autem poterant exclusi *in perpetuum*. Quærit *ergo* (ουν) sit-ne lapsus illorum Judæorum qui in Messiam offendissent, eo fine (ἱνα) divinitùs permissus, ut a participandâ Messianâ salute *in perpetuum* excluderentur. Atque hac quæstione utitur ut *transeat* ad enarranda altissima divinæ erga Judæos et Gentiles providentiæ consilia. *Πταιειν* est *impingere*, *offendere*, *πιπτειν* verò *cadere*, et hoc quidem loco, *cadere sine ulla spe resurgendi*. Quam notionem ut verbo *πιπτειν* hic subjiciamus, omninò postulat contexta oratio; atque in hunc sensum vocem *πεσωσι* ex antiquis interpretatus quoque est inter alios Theophylactus [1]. Particula *ἱνα* quin pro *ὡστε* adeoque *εκβατικως* hic sumatur, ut nihil aliud obstaret, hoc certè obstat quod contexta oratio demonstrat Apostolum voluisse hoc loco disserere non de gravitate lapsûs, sed declarare quo consilio aut quemnam in finem Deus lapsum illum permiserit. Verborum *επταισαν* et *πεσωσι* Subjectum est *λοιποι* ℣. 7.

---

(1) Theophylactus (ad h. l.) : *Μη επταισαν ἱνα πεσωσι ; τουτεστι, ἆρα μη ανιατα ἡμαρτον ; Μη γενοιτο· επταισαν μεν γαρ, τουτεστι προσεκοψαν, αλλ᾽ ουχ ἱνα πεσωσι τελειως, μηδεποτε ορθωθηναι δυναμενοι.* h. e. *Numquid offenderunt, ut caderent ?* hoc est : Numquid incurabiliter deliquerunt ? Haudquaquam. Impegerunt quidem, hoc est, offenderunt ; verùm non ut caderent omnino, ita ut numquam erigi possint. »

Absit. Sed illorum delicto salus est gentibus, ut illos æmulentur.) Vehementer negat (μη γενοιτο) Apostolus, lapsum Judæorum divinitùs permissum fuisse eo consilio ut hi a Messiana salute in perpetuum excluderentur, *imo vero* (αλλα) inquit, *illorum incredulitatis delicto* (τῳ αυτων παραπτωματι) *Evangelica salus* (ἡ σωτηρια scil. γεγονεν) *obtigit gentilibus ad Judæos* (quum cernerent Messianæ salutis participes factos Gentiles) *provocandos ad sanctam quamdam æmulationem* (εις το παραζηλῶσαι αυτους) *atque ita veluti irritatos ad amplectendam fidem inducendos.* Tantum aberat ut Judæorum lapsus divinitùs permissus fuerit eo consilio ut hi a Messiana salute in perpetuum excluderentur! Loquitur hic Apostolus de Judæis coætaneis suis, quos negat ita cecidisse ut omnino adempta illis sit facultas resurgendi. Cf. ℣. 14. Ceterum notandum est, incredulitatem Judæorum non fuisse *causam cur* omninò Gentilibus prædicatum fuerit Evangelium salutis [1], sed fuisse *occasionem quâ* factum est ut hoc illis annuntiatum fuerit *maturius* quam alias factum fuisset. Nam ex Dei mandato evangelica salus communicanda erat *primùm* quidem Judæis [2], *posteà* verò etiam Gentilibus. Sed hunc ordinem turbavit Judæorum incredulitas; nam quum hi negarent fidem adhibere Evangelio, Apostoli, ipsis relictis, *conversi sunt ad gentes* (Act. XIII. 46); factumque est inde ut Gentilibus evangelica salus maturius offerretur participanda. Atque hoc sensu capiendum est quod dicit Apostolus, τῳ αυτων παραπτωματι ἡ σωτηρια (scil. γεγονε) τοις εθνεσιν, *illorum delicto salus obtigit gentilibus.* Qua in re, ut Paulus hic docet, hoc erat divinæ Providentiæ consilium, ut per gentiles credentes atque ita Messianam salutem participantes, Judæi increduli ad sanctam quamdam æmulationem excitarentur [3] et vel sic ab incredulitate sua resipiscerent. Itaque anticipata gentilium conversio divinitus directa fuit ad Judæorum salutem.

Αλλα, *imò verò*, ut 2. Cor. 1. 9. VII. 11. Vox παραπτωμα, *lapsus*, respicit antegressum επταισαν, *impegerunt*, *offenderunt*. Τῳ παραπτωματι in Dativo *instrumenti*. Ἡ σωτηρια scil. γεγονεν. Cujus voci Ellipsin hoc loco agnovit Syrus quoque interpres; vertit enim: ܕܠܡܐ ܐܬܬܩܠܘ ܐܝܟ ܕܢܦܠܘܢ . ܚܣ . ܐܠܐ ܒܬܘܩܠܬܗܘܢ ܕܝܠܗܘܢ ܗܘܐ ܚܝܐ ܠܥܡܡܐ ܠܛܢܢܗܘܢ. h. e. *Numquid impegerunt in eum finem ut cor-*

(1) S. Chrysostomus (Hom. XIX in Ep. ad Rom.): Τι ουν; ει μη δια τους Ιουδαιους ουκ αν εκληθημεν και εσωθημεν; Ουκ αν προ εκεινων, αλλ' εν τῃ προσηκουσῃ ταξει. h. e. *Quid ergo? An nonnisi propter Judæos vocati et salvati sumus? Vocati essemus, verum non ante illos, sed convenienti ordine.*

(2) Act. Ap. Cap. XIII. 46: *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei; sed quoniam repellitis illud et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad Gentes.* Vide quæ ad hunc locum notavi in Commentario.

(3) S. Chrys. (Hom. XIX. in Ep. ad Rom.): Ἱνα ἡ εκεινων τιμη δακνουσα αυτων την αναισθησιαν, κἂν εκ της προς ἑτερους φιλονεικιας αυτους πειςῃ προσελθειν. h. e. *Ut honor illis* (Gentilibus) *collatus horum stupiditatem morderet, et sic ex contentione inter ambos orta, Judæis ut accederent persuaderet.*

ruerent? Absit. Sed per lapsus illorum salus fuit gentilibus ad æmulationem eorum. Interpres quoque noster rectius dixisset *salus* FUIT *gentibus* quam *salus* EST *gentibus*; Apostolus enim dicere vult non tam quid *fiat*, quam potius *quid factum sit*. Ἡ σωτηρια intelligitur *evangelica* salus, quæ jam tum per Apostolorum prædicationem passim Gentilibus innotuerat, quamque, evangelicam doctrinam fide amplexi, magnam jam partem participaverant. Αυτους scripsit Apostolus, non αυτα, per structuram *ad sensum*. Imitatus est auctor Vulgatæ scribens *ut* ILLOS *æmulentur*, non verò *ut illas*, quod Grammatica structura postulabat.

℣. 12. *Quod si delictum illorum divitiæ sunt mundi, et diminutio eorum,* cet). In antegresso versiculo Apostolus docuerat populi Israëlitici casum *gentilibus cessisse in salutem ac spirituales veluti divitias.* Hinc verò nunc infert (δε) copiosiores divitias in gentes effundendas esse in plenaria Israelitici populi ad CHRISTUM conversione, quam aliquando futuram esse hic innuit, postea disertis verbis eamdem docturus. Argumentatur autem Apostolus a felici effectu causæ pejoris ad feliciorem effectum causæ melioris. Argumentum ejus ad hanc Syllogismi formam reducit S. THOMAS: (ad h. l.): *Bonum est potentius ad utilitatem inferendam quam malum; sed malum Judæorum magnam utilitatem gentibus contulit; ergo multo majorem confert (conferet?) mundo eorum bonum.*

Το παραπτωμα αυτων hic, sicut et in antegresso versiculo intelligitur *lapsus* ille, quo Judæi, maximam partem, ceciderant *offendentes in* JESUM MESSIAM, *lapidem offensionis* (vide supra Cap. IX. 32). Culpabilis fuit lapsus ille, adeoque *dilictum*, quo latino vocabulo Interpres noster bis hic reddidit Græcum παραπτωμα. Nomina κοσμος *mundus* et εθνη *gentes* in præsenti loco synonyma sunt. *Divitiæ* (πλουτος) intelliguntur *gratiarum* divitiæ [1]) in Justificatione comprehensæ, quibus Gentiles ditati fuêre, ex quo Apostoli, relictis Judæis incredulis, Evangelium Gentilibus prædicare instituerant. Quam modo (℣. 11.) *salutem* (την σωτηριαν) Gentium vocaverat Apostolus, eam hic vocat Gentium *divitias* (τον πλουτον). Etiam hic elliptica oratio est; puta PAULUM scripsisse ita: Ει δε το παραπτωμα αυτων εγενετο πλουτος κοσμου, και το ἡττημα αυτων πλουτος εθνων εγενετο· ποσῳ μαλλον το πληρωμα αυτων πλουτος εθνων γενησεται! Ceterum Israeliticæ gentis παραπτωμα illud catenus dixit *fuisse* gentium aut mundi divitias (πλουτον), quatenus illud occasionem præbuit ad gentes illâ gratiarum opulentiâ maturius ditandas. Ἡττημα αυτων intelligitur spiritualis illa quam Israeliticâ gens passa est sui *deminutio* [2]), quum etsi tota gens vocata esset ad Messianam salutem participandam, non tamen nisi pars ejus valde exigua (λειμμά ℣. 5) illius salutis particeps fieret. Cujus

(1) Cf. Ephes. I. 7. II. 7. ὁ πλουτος της χαριτος.

(2) Non *excisa* fuit gens, sed tantum aliqua sui parte *decisa* sive *deminuta*.

deminutionis causa exstitit παραπτωμα illud. *Deminutioni* sive ἡττηματι illi opponitur πληρωμα αυτων, quo significatur Israeliticæ gentis *plenitudo*, eam puta quæ adfutura est quando gens universa Christo nomen dederit. Demonstrativum Pronomen αυτων ubique hic refero non ad Judæos aut incredulos aut credentes, sed ad Israeliticum populum *universè*. Sensus ergo hujus loci ejusmodi est : *Si Israelitici populi casus et secuta inde sui deminutio gentes locupletavit, quanto magis effectura hoc est ejusdem plenitudo!* Major autem hæc opulentia gentium in quanam re posita sit, Apostolus docet infra, ℣. 15.

℣. 13—14. Vobis enim dico Gentibus : Quamdiu quidem ego sum Gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo, 14 si quomodo ad æmulandum provocem carnem meam, et salvos faciam aliquos ex illis.

℣. 13—14. Ὑμῖν γὰρ λέγω τοῖς ἔθνεσιν· ἐφ' ὅσον μέν εἰμι ἐγὼ ἐθνῶν ἀπόστολος, τὴν διακονίαν μου δοξάζω a), 14 εἴπως παραζηλώσω μου τὴν σάρκα, καὶ σώσω τινὰς ἐξ αὐτῶν.

Paraphrasis. (Nam vobis Christianis ex Gentilibus collectis, quibus videri possim, ut pote constitutus non Judæorum sed Gentium Apostolus, animum in Judæorum conversione minime occupatum habere, vobis dico : Quatenus quidem divinitùs constitutus sum ego non Judæorum sed gentium Apostolus, gnaviter officio meo fungor inter gentes, simul verò eò spectans ut hac ratione prosim Judæis popularibus meis, si forte ob gentiles meo ministerio Messianæ salutis participes factos, ad sanctam quamdam æmulationem provocare possim fratres meos secundum carnem, atque ita nonnullorum procurare salutem.)

VARIANS LECTIO.

a) Pro Præsenti δοξαζω est Futurum δοξασω in Codd. FG et nonnullis Minusculis; lectionem δοξασω exhibent quoque versiones Itala et Vulgata; reliquæ hoc loco habent Verbum Præsentis Temporis. Lectionem δοξαζω alteri prætulerim, tum quòd nititur testimonio multo graviori quam altera, tum etiam quòd contexta oratio (vide Commentarium) hoc loco Verbum postulat Temporis Præsentis. Crediderim lectionem δοξασω tribuendam esse correctioni librarii, qui quum antegressum 'εφ' ὁσον eo sensu sumeret quasi valeret 'εφ' ὁσον χρονον, ideo existimaverit seriem orationis requirere ut conjunctum Verbum esset Temporis non Præsentis sed Futuri.

ẏ. 13—14. *Vobis enim dico gentibus: quamdiu quidem ego sum gentium Apostolus , cet.)* Apostolus inde ab hoc versiculo usque ad finem *capitis* sermonem suum speciatim dirigit ad Ethnico-Christianos , ut quos obiter moniturus erat ne superbè se efferrent contra Judæos. Connexa autem præsens sententia est cum ea qua modò (ẏ. 11) dixerat , Dei consilium esse ut per gentiles Messianam participantes salutem Judæi ad sanctam quamdam æmulationem provocarentur. Quam sententiam hic *confirmat* (γαρ) , declarando se in hunc quoque finem Apostolico suo munere gnaviter fungi inter Gentiles , ut eo modo Dei illud consilium promoveret.

Quod cum epitasi dicit λεγω ὑμιν , τοις εθνεσιν , hunc habet sensum : Vobis dico , vobis , inquam , Christianis ex Gentilibus collectis , quibus ego , utpote constitutus non Judæorum sed gentium Apostolus videri possim animum in Judæorum conversione minime occupatum habere.— Dictio ἐφ' ὅσον ubi valet *quamdiu* elliptica est pro plena ἐφ' ὅσον χρονον ; ubi vero valet *in quantum* , *quatenus* , ἐφ' ὅσον (in Neutro Genere) sine ellipsi dicitur. Ἐφ' ὅσον quod in præsenti loco legitur auctor Vulgatæ reddidit *quamdiu ;* maluerim *in quantum* , *quatenus*. Neque enim Apostolus crediderit fore ut aliquando *cessaret* esse Gentium Apostolus. Accedit , Paulum scribere solere non elliptice ἐφ' ὅσον , sed plenè ἐφ' ὅσον χρονον , ubi dicere vult *quamdiu*. Cf. Rom. VII. 1. I. Cor. VII. 39. Gal. IV. 1. Syrus quoque interpres locutionem ἐφ' ὅσον hoc loco minimè putavit dictam esse de tempore ; quod inde patet quòd cum locum sic reddidit : ܐܢܐ ܕܐܝܬܝ ܫܠܝܚܐ ܕܥܡ̈ܡܐ h. e. *ego* qui sum *Apostolus Gentium ;* ubi emphaticum illud ܕܐܝܬܝ *qui sum ,* notionem fere exprimit Latinorum *quatenus*.— Μεν hic ponitur non sequente δε , adeòque est *solitarium* , ut vocant . Dici potest oppositam sententiam quæ per δε adjicienda erat , variatâ orationis formâ , contineri , ad *rem* quod attinet , verbis insequentibus istis (ẏ. 14): *si quo modo ad æmulandum provocem carnem meam* , cet. Ut sentias quid hic valeat μεν (*quidem*) , puta Apostolum scripsisse in hanc sententiam : *Quatenus quidem* (μεν) *divinitus constitutus sum ego non Judæorum sed gentium Apostolus* , *sedulò officio meo fungor inter gentes* , *simul verò* (δε) *eô spectans ut hac ratione prosim Judæis popularibus meis* , *si forte ob gentiles meo ministerio Messianæ salutis participes factos ad sanctam quamdam æmulationem provocare possim fratres meos secundum carnem* , *atque ita nonnullorum procurare salutem* [2].— Δοξαζω *honorifico* , *illustro* , την διακονιαν μου , *ministe-*

---

(1) Cf. Rom. XV. 16. Ephes. III. 8.

(2) In hanc sententiam jam Theodoretus præsentem Apostoli locum interpretatus est : Επειδη με , inquit , των εθνων ὁ Θεος προυβαλετο κηρυκα , αναγκαιως την σωτηριαν των εθνων πραγματευομαι , ... ἱνα ταυτῃ γουν Ιουδαιους εις ζηλον ερεθισω , και τινας εξ αυτων μεταλαχειν παρασκευασω της σωτηριας. h. e. *Quandoquidem me Deus Gentium prædicatorem constituit, gentium salutem necessario procuro, . . . ut hac quidem ratione Judæos ad æmulationem provocem , et efficiam ut aliqui ex illis salutem participent.*

rium meum, puta sedulò et gnaviter illo fungendo, ut quamplurimos gentiles ad CHRISTI fidem traducam.— *Ειπως si forte*, cum Futuro Indicativi, ut supra Cap. 1. 10 et Philipp. III. 11; sed Act. XXVII. 12 cum Optativo. *Ειπως παραζηλωσω και σωσω* reddideris : *si forte ad æmulationem provocaturus sim et salvaturus*, cet.

Ceterum *ειπως παραζηλωσω* per quamdam ellipsin dicitur pro *σκοπῶν* aut *πειραζων ειπως videns*, *tentans si forte;* vel putes, si hoc mavis, *δοξαζω* hoc loco dici *prægnanter* pro *δοξαζω πειραζων ειπως* [1].— Quos supra (Cap IX. 3) Apostolus vocaverat *τους συγγενεις μου κατα σαρκα*, eosdem hoc loco simpliciter vocat *την σαρκα μου.* [2] In dictione illa, *τινας εξ αυτων*, constructio est

ỹ. 15—16. Si enim amissio eorum, reconciliatio est mundi : quæ assumptio, nisi vita ex mortuis ? 16 Quòd si delibatio sancta est, et massa : et si radix sancta, et rami.

ỹ. 15—16. *Εἰ γὰρ ἡ ἀποβολὴ αὐτῶν, καταλλαγὴ κόσμου, τίς ἡ πρόσληψις, εἰ μὴ ζωὴ ἐκ νεκρῶν;* 16 *Εἰ δὲ ἡ ἀπαρχὴ ἁγία, καὶ τὸ φύραμα· καὶ εἰ ἡ ῥίζα ἁγία, καὶ οἱ κλάδοι.*

Paraphrasis. Et verò quum illorum rejectio occasionem dederit ut Gentiles cum Deo reconciliarentur, profectò in maximam quamdam felicitatem spiritualem Gentilibus cessura est illorum assumptio. Cui quidem assumptioni nihil obstat; neque enim populus Israëliticus qua talis a Deo rejectus fuit; imo contra; est populus Israëliticus Deo in patribus suis in perpetuum sacratus; quemadmodum sacrata massa est in sacratis primitiis, aut sacrati sunt rami in radice sacrata.

---

(1) Loquuntur sic quoque Latini : JUSTINUS (Lib. XII. Cap. 9): *Undique concurrunt si possint in uno capite orbis bella finire.* Cf. BOSII Ellipses edit. SCHAEFER. pag. 651, sq. MATTHIÄ, §. 526. KÜHNER §. 837. *Anm.* 5.

(2) THEODORETUS (ad h. l.) : *Σαρκα αυτου τους Ιουδαιους λεγει, ὡς κατα μεν το φρονημα αλλοτριους οντας, μονης δε αυτῳ κοινωνουντας της συγγενειας.* h. e. «*Carnem suam* dicit Judæos, ut qui, quod ad animi sententiam attinet, ab eo essent alieni, solam autem generis cognationem haberent cum illo communem.» Observat THEOPHYLACTUS (ad h. l.) Apostolum dum populares suos vocat *carnem suam*, molli hac denominatione declarare suum erga populares suos amorem. *Σαρκα δε ειπων*, inquit, *γνησιοτητα και φιλοστοργιαν ενεφηνε.* CARNEM *autem dicens sincerum et propensum suum amorem ostendit.* Male latinus THEOPHYLACTI interpres hic vertit : *Carnem autem dicens, cognationem et naturalem ejus affectum commonstravit.*

ad sensum; nam refertur hoc ad τους συγγενεις μου κατα σαρκα, quos *cogitavit* Apostolus cum scriberet την σαρκα μου.

ỳ. 15. *Si enim amissio eorum, reconciliatio est mundi; quæ assumptio, nisi vita ex mortuis?)* Redit Apostolus ad id quod paulò ante (ỳ. 12) dixerat, illudque *confirmat* (γαρ). Ea quæ versiculis decimo tertio et sequenti leguntur pro interjectâ sententiâ haberi possunt. In his non agebatur de *plenariâ* Israëlitici populi ad Christum conversione, quam versu 12 *plenitudinem eorum* vocaverat et de qua hic (ỳ. 15) nunc dicere pergit. Ἡ αποβολη αὐτων intelligitur Israëliticæ gentis, maximam partem, a Messiana salute *rejectio* [1]; cui hic opponitur illius populi ad illam salutem plenaria προσληψις sive *adsumptio*, *Mundi* autem sive Gentilium cum Deo per Christum καταλλαγη sive *reconciliatio*, ea est quam modò (ỳ. 12) Apostolus vocaverat πλουτον κοσμου, πλουτον εθνων, *divitias mundi*, *divitias Gentium*. Τις pro τι, et supplendum εσται, ut sit: *Quid aliud erit assumtio eorum quam vita ex mortuis* (ζωὴ ἐκ νεκρῶν), sed hoc sensu: *Quid aliud assumptio eorum allatura est quam vitam ex mortuis?*

Sed hic inquirendum est quid Apostolus intellexerit *vitam ex mortuis.* Et video S. Chrysostomum [2], Theodoretum [3], alios, in eâ esse sententiâ ut existiment *vitam ex mortuis* intelligendam esse communem omnium mortuorum resurrectionem. Quam sententiam ex recentioribus interpretibus secuti sunt Cajetanus (ad h. l.), aliique. Sed huic interpretationi nonnulla mihi videntur obstare. Nam primò quidem, si Apostolus hoc loco revera cogitaverit resurrectionem mortuorum, quid causæ sit cur hanc, pro more suo,

---

(1) Vocem αποβολη auctor Vulgatæ reddidit *amissio;* non satis recte; non quòd αποβολη eam notionem non habeat, habet enim Act. XXVII. 22, sed quòd alteram illius vocabuli notionem, quæ *rejectio* est, hoc loco requirit opposita vox προσληψις.

(2) Hom. XIX in Ep. ad Rom. (ad h. l.): Ὥσπερ ἡ αναστασις των νεκρων ου δια την προσληψιν αυτων, οὕτως ουδε νυν ἡ σωτηρια ἡ ἡμετερα δι' αυτους. h. e. *Sicut resurrectio ex mortuis non erit propter illorum* (Judæorum) *assumptionem, ita neque nunc salus nostra propter illos est.*

(3) ad h. l. Ει γαρ τουτων απιστησαντων, φησι, προσεληφθη τα εθνη και της προτερας αγνοιας ηλευθερωθη, δηλον ὡς ει παντες οὗτοι πιστευσαι θελησαιεν, ουδεν ἑτερον ὑπολειπεται, ἡ το γενεσθαι των νεκρων την αναστασιν. h. e. *Si enim his, inquit, non credentibus, gentes assumptæ et a priore ignorantia liberatæ sunt: clarum est, quod, si omnes isti credere voluerint, nihil aliud restabit quam ut fiat resurrectio mortuorum.*

Origenes quid intellexerit *vitam ex mortuis*, non ita perspicuum est. » *Et quid illud sit,* inquit, *quod ex reconciliatione Israël mundus acquirat, breviter ostendit, dicens:* vita ex mortuis. *Tunc enim erit assumptio Israel, quando jam et mortui vitam recipient, et mundus ex corruptibili incorruptibilis fiet, et mortales immortalitate donabuntur. Absurdum namque videretur, si, cum offensio ipsorum reconciliationem mundo donaverit, assumptio ipsorum non majus aliquid mundo et præstantius largiretur.*

(1 Cor. XV. 12. 13. 42. Philipp. III. 11. Hebr. VI. 2) non vocaverit αναστασιν νεκρων. Deinde ipsa hæc locutio ζωη εκ νεκρων parum apta mihi videtur ad mortuorum resurrectionem significandam ; hanc PAULUS si istiusmodi aliquâ dictione exprimere voluisset, dixisset, opinor, non ζωη εκ νεκρων, sed ζωη εκ θανατου. Ad hæc, loquitur Apostolus de bono quod per Judæorum προσληψιν speciatim consecuturi essent *gentiles;* atqui resurrectio mortuorum res est mortalibus *omnibus* communis. Quæ cum ita sint, maluerim sentire cum iis qui illud *vita ex mortuis* existimant dictum esse proverbialiter *de maxima quadam felicitate* [1]. Adhuc tamen desidero exemplum quo certò probetur, locutionem illam ζωη εκ νεκρων eo sensu fuisse adhibitam. Itaque putaverim Apostolum hoc loco docere, futurum esse ut in plenariâ Israelitici populi ad CHRISTUM conversione maximæ quædam spirituales divitiæ reliquo orbi Christiano obtingant. Cujusmodi verò futuræ sint illæ divitiæ, temerè, opinor, quis definierit.

℣. 16. *Quod si delibatio sancta est, et massa; et si radix sancta, et rami.)* Apostolus in antegresso versiculo innuerat futuram Israelitici populi προσληψιν sive *assumptionem*. Hic verò obiter monet assumptioni huic nihil obstare; tantum enim abesse ut gens Israëlitica qua talis a Deo fuerit rejecta, ut contrà illi sit in Patriarchis suis in perpetuum sacrata; id quod duplci illustrat similitudine; quarum altera quidem sumpta est a massâ farinaceâ (φυραμα) ad panificium subactâ, quæ ob primitias (απαρχη) inde decerptas Deoque sacratas (Num. XV. 18, sq.) tota quanta esset sanctificata; altera verò ducta est ab arbore cujus tales sint rami qualis est radix. Utraque autem similitudo eòdem refertur. Itaque massæ farinaceæ illæ primitiæ quemadmodum et radix illa intelliguntur Israëliticæ gentis progenitores, ABRAHAM, ISAAC, JACOB, in quibus Deus totam Gentem sibi sacratam fecerit. Quod autem Calvinistæ nonnulli ex hoc loco probare velint, sanctam esse prolem fidelium nec egere baptismo ut sanctificetur, id sane quam ridiculum est, nec refutatione indiget.

℣. 17—21. Quod si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cum oleaster esses, insertus es in illis, et socius radicis et pinguedinis olivæ factus es, 18 noli

℣. 17—21. Εἰ δέ τινες τῶν κλάδων ἐξεκλάσθησαν, σὺ δὲ ἀγριέλαιος ὢν ἐνεκεντρίσθης ἐν αὐτοῖς, καὶ συγκοινωνὸς τῆς ῥίζης

Paraphrasis. Quod si ex olivæ ramis aliqui defracti sunt, tu verò, o Gentilis, cum oleastri surculus esses, olivæ insitus fuisti in defractorum ramorum loco atque ita, unà cum superstitibus ramis olivæ, radicem ejus

---

(1) Ita sentiunt ZEGERUS (ad h. l.), ESTIUS (ad h. l.), JUSTINIANUS (ad h. l.), alii, qui tamen aliter atque aliter felicitatem illam describunt.

gloriari adversus ramos. Quod si gloriaris: non tu radicem portas, sed radix te. 19 Dices ergo: Fracti sunt rami ut ego inserar. 20 Bene, propter incredulitatem fracti sunt. Tu autem fide stas: noli altum sapere, sed time. 21 Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit: ne forte nec tibi parcat.

καὶ τῆς πιότητος τῆς ἐλαίας ἐγένου, 18 μὴ κατακαυχῶ τῶν κλάδων. Εἰ δὲ κατακαυχᾶσαι, οὐ σὺ τὴν ῥίζαν βαστάζεις, ἀλλ' ἡ ῥίζα σέ. 19 Ἐρεῖς οὖν· Ἐξεκλάσθησαν οἱ κλάδοι a), ἵνα ἐγὼ ἐγκεντρισθῶ. 20 Καλῶς· τῇ ἀπιστίᾳ ἐξεκλάσθησαν, σὺ δὲ τῇ πίστει ἕστηκας· μὴ ὑψηλοφρόνει, ἀλλὰ φοβοῦ. 21 Εἰ γὰρ ὁ Θεὸς τῶν κατὰ φύσιν κλάδων οὐκ ἐφείσατο, μήπως οὐδέ σου φείσηται b).

et pinguedinem participasti, neutiquam tamen est cur ideò superbè te efferas ac miseris Judæis insultes. Quod si facias, turpiter feceris. Et verò non tu radicem portas, sed radix portat te. Sed ad hæc mihi repones: Defracti sunt rami aliquot ut ego olivæ insererer! Concedo, Gentiles olivæ insitos fuisse in defractorum ramorum loco; sed hi non ideò fuêre defracti ut tu insereris, sed ob illorum incredulitatem; tu verò per fidem nunc consistis ramus in oliva. Cave vero ne ideo superbias, sed time potius ne quando et tu incredulitatis pœnam contrahas. Etenim si naturalibus ramis Deus non pepercit, quanto minus parciturus est insititiis!

VARIANS LECTIO.

a) Articulus οἱ ante κλαδοι non legitur in Cod. ACD***FGJ; abest quoque a Minusculis benè multis.

b) Pro φεισηται est φεισεται in Codd. uncialibus omnibus, B excepto. E hoc loco mutilus est. Lectionem φεισηται tribuerim Librario, quem Indicativus post μηπως offenderit.

ỹ. 17—18. *Quod si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cum oleaster esses, insertus es in illis, cet.*) Metaphoricam orationem continuat Apostolus, nunc porrò Ethnico-Christianos admonens ne contra incredulos Judæos superbè se efferant. Et comparantur ibi Israëliticæ gentis progenitores cum *oliva* (ελοια), cujus *rami naturales* (οἱ κατα φυσιν κλαδοι ỹ. 21) vocantur singuli Judæi; ex his autem *defracti* ab oliva *rami* (κλαδοι εκκλασθεντες) dicuntur quotquot per incredulitatem defecissent (ỹ. 19) a fide suorum progenitorum in Christum. Porrò Eth-

nico-Christiani ibidem conferuntur cum oleastri surculis (εκ της αγριελαιου), qui in florentem olivam insiti fuerint (ενεκεντρισθησαν) in loco ramorum defractorum (εν αυτοις), atque ita radicem ejus atque pinguedinem participaverint unà cum superstitibus olivæ ramis (συγκοινωνοι της ριζης και της πιοτητος της ελαιας). Illa autem *pinguedo*, cujus participes facti sunt Gentiles, intelligenda est *promissio* illa qua Abrahæ dictum fuerat: *in semine tuo benedicentur omnes gentes;* qua quidem promissione et benedictione comprehensa erant omnia bona novi Testamenti. Rem sine tropo dicit Apostolus in epistola ad Ephesios (Cap. III. 6), ubi declarat, *gentes esse cohæredes et concorporales et* COMPARTICIPES DIVINÆ PROMISSIONIS in Christo Jesu *per evangelium.* Ceterum quod attinet ad metaphoram surculorum oleastri olivæ insitorum, ex agriculturæ quidem instituto oleastri surculi sive taleæ olivæ inserebantur ut hanc fæcundarent [1]; sed Paulus ibi solummodo attendit rationem inserendi et surculi nutritionem; neque longius similitudo persequenda est.

Dicit Apostolus τινες των κλαδων, *aliqui ex ramis*, per Euphemismum; nam profectò Judæi maximam partem increduli fuerant. Vox αγριελαιος sumitur tam substantivè quam adjective [2]; infra quidem (℣. 24) substantivè, hoc vero loco adjectivè; neque enim totæ arbores aliis arboribus inseruntur. Itaque verba συ δε αγριελαιος ων propriè valent: *tu* [3] *quum esses oleastrinus* (sit venia verbo), h. e. in oleastro natus, adeoque oleastri *surculus;* agitur enim de inserendo. Notat Fritschius (ad h. l.), εγκεντριζειν malè referri ad illud insitionis genus quod Græci ενοφθαλμισμον, Latini respondente vocabulo *inoculationem* vocarunt; hoc enim genus exprimi voce ενοφθαλμιζειν; vocem autem εγκεντριζειν declarare *insitionem in fissura.* De variis insitionum generibus videsis Columellam Lib. V. 11. — Εν αυτοις grammatice quidem valere possit *inter illos*, puta, inter ramos qui in oliva remanserint nec ab eâ fuerint defracti; sed quum εν αυτοις hic referendum sit ad antegressum τινες των κλαδων εκκλασθεντες, dictio εν αυτοις, *in ipsis,* explicanda est *in loco ipsorum*, scil. ramorum defractorum. Postulat certe argumentatio Apostoli (cf. ℣. 19) ut εν αυτοις hoc sensu sumatur, adhuc tamen desidero exemplum, quo Præpositio εν hanc vim obtineat [4]. Κατακαυχαομαι τινος i. q. καυχαομαι

(1) Palladius *De insitione* Lib. XIV. ℣. 53, sq.:

Fæcundat sterilis pingues oleaster olivas,
Et quæ non novit munera, ferre docet.

(2) Sic legitur αργιέλαιος σκυτάλη (apud Fritsche ad h. l.), *baculus ex oleastri ligno confectus.* Lignum oleastri durissimum est.

(3) Unum aliquem ex Ethnico-Christianis adloquitur pro omnibus.

(4) Attamen jam Syrus interpres hoc sensu verba εν αυτοις accepit; reddidit enim ܒܕܘܟܬܗܘܢ *in locis eorum* (ramorum defractorum).

κατα τινος, *glorior ita ut alterum præ me contemnam.* Protasis præsentis sententiæ continetur toto versu decimo septimo, Apodosis autem prioribus versûs decimi octavi verbis istis : *μη κατακαυχῶ των κλαδων*, quæ quidem isthoc versiculorum discrimine malè ab antegressis fuêre sejuncta. Jam quod sentit Apostolus tale est : Quod si qui Judæi exclusi fuêre a Messiana salute, horum autem in loco gentiles illius salutis facti sunt participes, neutiquam tamen est cur gentiles hanc ob rem superbè se efferant ac miseris Judæis insultent.

Quod si gloriaris; non tu radicem portas, sed radix te.) Superiorem admonitionem corroborat argumento *a turpi*. Sensus est : Quod si superbè, o gentiles, præ Judæis vos efferatis, scitote id quidem stulte et turpiter a vobis fieri. Et verò nonne stultè ac turpiter rami insultent radici cujus trunco portentur ?

Nota, Apostolum per *breviloquentiam* hoc loco scripsisse *ει δε κατακαυχασαι*, *ου συ*, cet.; nam volebat *ει δε κατακαυχασαι*, *ἴσθι* vel *διανοοῦ ὅτι ου συ*, cet. [1]) Simili breviloquentia usus ad Corinthios (1 Cor. XI. 16) scripsit : *Ει δε τις δοκεῖ φιλονεικος εἶναι*, *ἡμεις τοιαυτην συνηθειαν ουκ εχομεν.* Confer illud Ciceronis (de Orat. XI. 12, apud Fritsch. ad h. l.): *Atqui ne nostros contemnas, inquit Antonius, Græci quoque ipsi sic initio scriptitarunt, ut noster Cato.* *Κατακαυχᾶσαι* primigenia sed obsoleta forma est pro *κατακαυχαῃ* (*κατακαυχᾷ*). Cf. Buttmann § 87. Anm. 8.

℣. 19. *Dices ergo : Fracti sunt rami ut ego inserar.)* Consecutio Temporum requirit *insererer*. Occupat Apostolus id quod ad modò dicta (℣. 17) gentilis unus aut alter regesserit (*ουν*) ad gloriationem suam tuendam. Dixerit is : *Defracti sunt ab oliva rami aliqui* (*κλαδοι*, *des branches*, absque Articulo), *ut* (*ἱνα*) *nos* (*gentiles*) *in defractorum loco insereremur.*

℣. 20. *Bene; propter incredulitatem fracti sunt. Tu autem fide stas ; noli altum sapere, sed time)* Apostolus ultrò *concedit* (*καλως* ! *recte*), gentiles olivæ insitos fuisse in defractorum ramorum loco; negat autem id quod in responso (℣. 19) innuebatur, illos fuisse defractos propter gentiles inserendos ; docetque non gentilium causâ defractos fuisse, sed ob illorum incredulitatem ; neque illorum defractionem causam exstitisse insitionis gentilium, sed horum fidem ; unàque ibi admonet gentiles ut ne ideò animo efferantur, sed contra solliciti sint timeantque ne quando et ipsi, sicut Judæi, incredulitatis pœnam contrahant.

---

(1) Theodoretus : *Λογιζου δε και τουτο, ὁτι σε ἡ ῥιζα φερει, ου συ την ῥιζαν· και συ εκεινης δεῃ ουκ εκεινη σου. Cogita hoc etiam, quod te radix portat, non tu radicem, et quod tu illâ indiges, non illa te.*

Dicit ergo : Concedo , insitos olivæ fuisse gentiles in defractorum ramorum loco ; sed defracti illi fuêre non ideò ut tu insereris , sed ob illorum *incredulitatem* (*τῇ απιστιᾳ*, Dativus *causæ*) ; tu autem *per fidem* (*τῇ πιστει* , Dativus *instrumenti*) *consistis* (*ἑστηκας*) ramus in oliva. Cave verò ne ideò superbias , sed time potius ne quando et tu incredulitatis pœnam contrahas.

℣. 21. *Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit; ne forte nec tibi parcat.)* Nam , *inquit* , si Judæis , naturalibus non insititiis olivæ ramis , ob admissam incredulitatis culpam non pepercit sed ab oliva eos defregit , timeo sane ne tibi quoque, ramo non naturali sed insititio , non sit parciturus.— Per *litoten* plus hic significatur quam dicitur ; nam vult dicere Apostolus : Si naturalibus ramis Deus non pepercit , quanto minus parciturus est insititiis.— *Μηπως* pendet a *φοβοῦμαι*, quod per ellipsin sat frequentem omissum est. Cf. 2 Cor. XI. 3 ; et legesis Winerum §. 66. 6.

℣. 22—24. Vide ergo bonitatem , et severitatem Dei : in eos quidem , qui ceciderunt , severitatem : in te autem bonitatem Dei , si permanseris in bonitate , alioquin et tu excideris. 23 Sed et illi , si non permanserint in incredulitate , inserentur : potens est enim Deus iterum inserere illos. 24 Nam si tu ex naturali excisus es oleastro , et contra naturam insertus es in bonam olivam : quanto magis ii, qui secundum naturam , inserentur suæ olivæ ?

℣. 22—24. *Ἴδε οὖν χρηστότητα καὶ ἀποτομίαν Θεοῦ· ἐπι μεν τοὺς πεσόντας, ἀποτομίαν*[a]· *ἐπὶ δέ σὲ, χρηστότητα*[b], *ἐὰν ἐπιμείνῃς τῇ χρηστότητι· ἐπεὶ καὶ σὺ ἐκκοπήσῃ.* 23 *Καὶ ἐκεῖνοι δὲ, ἐὰν μὴ ἐπιμείνωσι τῇ ἀπιστίᾳ, ἐγκεντρισθήσονται· δυνατὸς γάρ ἐστιν ὁ Θεὸς πάλιν ἐγκεντρίσαι αὐτούς.* 24 *Εἰ γὰρ σὺ ἐκ τῆς κατὰ φυσιν ἐξεκόπης ἀγριελαίου , καὶ παρὰ φύσιν ἐνεκεντρίσθης εἰς καλλιέλαιον , πόσῳ μᾶλλον οὗτοι οἱ κατὰ φύσιν ἐγκεντρισθήσονται τῇ ἰδίᾳ ἐλαίᾳ ;*

Paraphrasis. Igitur diligenter considera , hinc quidem Dei benignitatem , illinc verò ejusdem severitatem : in eos qui ceciderunt versa est Dei severitas , in te verò ejusdem benignitas , si tamen permanere volueris in eo ad quod Dei benignitas te gratuito vocavit ; nam si non permanseris , tu quoque excideris ab oliva , sicut jam ab eâdem defracti sunt illi. Sed et , sicut tu non ita olivæ insitus es ut non possis tuâ culpâ ab eadem defringi, ita vicissim illi , si ab incredulitate sua resipiscere voluerint , olivæ denuò inserentur. Et verò quid-ni Deus hoc facere possit ? Nam si olivæ inserere potuit alienæ arboris ramos , quanto magis defractos ab ipsa oliva ramos eidem rursus inseverit !

VARIANS LECTIO.

a) Pro Accusativis αποτομιαν et χρηστοτητα sunt Nominativi, αποτομια in Codd. ABC, et χρηστοτης in Codd. ABCD. Quæ lectio alteri præferenda videtur, quum sit difficilior. Addiderim, si αποτομιαν et χρηστοτητα voluisset Paulus, scripsisset, opinor, hoc ordine verborum : αποτομιαν μεν επι τους πεσοντας· χρηστοτητα δε επι σε, cet.

b) Additur Θεου in Codd. ABCD*, quam lectionem exhibet quoque Latina nostra Vulgata.

℣. 22. *Vide ergo bonitatem et severitatem Dei*; cet.) Quo gravius Gentilem admoneat ne animo efferatur sed potius timeat (℣. 21), eumdem adhortatur ut in dissimili Judæorum et Gentilium sorte diligenter consideret, hinc Dei bonitatem, illinc ejusdem severitatem; et *severitatem* quidem in Judæos qui increduli *in* Jesum, *lapidem offendiculi*, *offendentes* (supra Cap. IX. 32) cecidissent (επι τους πεσοντας) et veluti defracti ab oliva rami nunc jacerent; *bonitatem* verò erga se, ut quem gratuitò olivæ insevisset. Ex severitate Dei disceret timere; ex gratuita vero ejus bonitate colligeret nullam sibi esse recte gloriandi causam.

Si pro αποτομιαν et χρηστοτητα legeris αποτομια et χρηστοτης (Vide Lect. Var.), oratio Apostoli ita interpungenda est ut nova sententia inchoetur a verbis επι μεν τους πεσοντας, et supplendum εστι ad hunc modum : *In eos quidem qui ceciderunt Dei severitas versa est*, *in te verò ejusdem bonitas*, *si permanseris*, cet.

si permanseris in bonitate, alioquin et tu excideris.) *Si tu permanseris in bonitate* Dei; et *bonitatem* Dei per Metonymiam intelligit id ad quod Dei bonitas Gentilem gratuitò vocasset; ut adeo sensus sit : *Si permanseris in fide et justitia* [1]. Cum επιμενειν τῇ χρηστοτητι contuleris επιμενειν τῇ χαριτι του Θεου, Act. XIII. 43. *Επει*, *nam* (si in ea non permanseris) και συ εκκοπησῃ (Fut. 2. Indicat. Pass.) *tu quoque excideris* ab oliva, sicut jam ab eadem defracti sunt illi.

Verissimè Stapletonius noster in suis *Antidotis Apostolicis* (ad h. l.) : « Quod tam seriò, *inquit*, tam acriter, tam multis verbis, Gentes ad fidem conversas Apostolus monet, hortatur, docet, ne ad Christi fidem veritatisque agnitionem misericordissimâ

---

(1) S. Chrys. Hom. XIX in Ep. ad Rom. (ad h. l.): Τῇ χρηστοτητι, τουτεστιν, εαν αξια της του Θεου φιλανθρωπιας πραττῃς· ου γαρ πιστεως δει μονον. h. e. *In bonitate*, id est, si Dei bonitate digna feceris; neque enim fide tantum opus est.»

Dei gratiâ, evangelicâ mediante prædicatione, perducti, perfidis interim Judæis in sua incredulitate relictis, inde efferantur aut insolescant, aut sibi placeant, tamquam de salute adepta securi et extra omne amittendæ salutis discrimen positi ac constituti, sed potius timeant, et hoc ipsum timeant ne a salute excidant, ne propter incredulitatem frangantur....., hoc sane totum ad commentitiam Calvinianam fidem, quæ est *divinæ benevolentiæ numquam amittendæ certa persuasio*, et ad ipsam electorum fidem indelibilem, quam conformiter finxit Calvinus, denique ad totam illam certitudinem gratiæ ac salutis, quam veluti propriam Christianismi notam omnes hodie hæretici arctissime complexi sunt, penitus evertendam et certissime refutandam manifeste et invictè valet. Ubi enim homini jam credenti ac fide stanti timor adhuc futuri casûs superest, ibi nec persuasio illa commentitia, nec indelibilis fides, nec certitudo præsumpta ullum locum habere potest; quando nihil magis securitati adversatur quam timor, nihil certius salutis certitudinem tollit quam facile possibilis a salute lapsus, nec denique indelibile dici possit, cujus delendæ et amittendæ certum periculum imminet. »

℣. 23. *Sed et illi, si non permanserint in incredulitate, inserentur; potens est enim Deus iterum inserere illos.*) Novo argumento ostendit non esse Gentilibus cur defractis ramis insultent; *posse enim illos, si velint, olivæ denuò inseri.* Nexus autem orationis est hujusmodi : Sicut, tu, o gentilis, non ita olivæ insitus es ut non possis tuâ culpâ ab ea defringi, ita vicissim Judæi, qui nunc veluti defracti ab oliva rami jacent, si ab incredulitate sua resipuerint, olivæ denuò inserentur. Et verò quid-ni Deus hoc facere possit? Nam (℣. 24) si olivæ inserere potuit alienæ arboris ramos, quanto magis defractos ab ipsa oliva ramos eidem rursus inseverit?

Utrumque Apostolus obiter hic docet, et divinæ gratiæ auxilium, et humani arbitrii in re salutis libertatem. Nam quod dicit, Deum posse defractos ab oliva ramos denuò olivæ inserere, divinæ gratiæ beneficium significat; quod verò præmisit, eos inserendos esse denuò si ab incredulitate sua resipiscere voluerint, humani arbitrii ostendit libertatem (1).

---

(1) S. Chrys. (Hom. XIX in Ep. ad Rom. ad ℣℣. 22 et 23): Ουκ ειπεν, ιδε ουν κατορθωμα σου, ιδε ουν πονους σους, αλλα Θεου φιλανθρωπιαν, δεικνυς ότι το πᾶν της χαριτος της ανωθεν γεγονεν, και παρασκευαζων τρεμειν. Η γαρ ὑποθεσις της καυχησεως, αὑτη σε ποιει δεδοικεναι. Επει γαρ χρηστος περι σε γεγονεν ὁ Δεσποτης, δια τουτο φοβοῦ· ου γαρ ακινητα σοι μενει τα αγαθα, εαν ῥαθυμῇς· ώσπερ ουν ουδε εκεινοις τα κακα, εαν μεταβαλωνται. Και γαρ συ, φησιν, εαν μη επιμεινῃς τη πιστει, εκκοπησῃ· και εκεινοι δε, εαν μη επιμεινωσι τη απιστιᾳ, εγκεντρισθησονται... Ειδες όσον της προαιρεσεως το κυρος; ποση της γνωμης ἡ εξουσια; Ούδεν γαρ τουτων ακινητον, ούτε το σον καλον, ουτε το εκεινου κακον. h. e. *Non dixit : Vide igitur bonum opus tuum, vide labores tuos; sed* Dei benignitatem, *ostendens totum ex superna gratia factum esse, ad tremendum inducens. Ob jactantiæ enim occasionem timere debes; quia enim benignus erga te fuit Dominus, ideo time; neque enim immobilia tibi sunt bona illa, si ignavè te geras; ut nec illis mala, si mutati fuerint.* Nam et tu, *inquit*, nisi manseris in fide, excideris; illi autem, si non manserint in incredulitate, inserentur... *Viden quanta sit liberi arbitrii facultas? quanta animi et voluntatis potentia? Nihil enim horum immobile est; nec bonum tuum, nec illius malum.»*

ỳ. 24. *Nam si tu ex naturali excisus es oleastro et contra naturam insertus*, cet.). Argumento *a difficiliori ad facilius* Apostolus *confirmat* (*γαρ*) id quod modò (ỳ. 23) dixerat : *potens est enim Deus iterum inserere illos.* Nempe faciliora sunt quæ fiunt secundum entium naturam, quam ea quæ præter aut contra; atque ita defractus ab olivâ ramus facilius, juvante naturâ, olivæ denuò inseratur quam eidem inseratur, naturâ repugnante, surculus ex oleastro excisus. Judæi erant generosæ olivæ veluti rami *naturales* (*κατα φυσιν*) licet defracti, contra Gentiles oleastri erant rami naturales; atqui oleastri rami *contra suam naturam* (*παρα φυσιν*) insiti fuerant generosæ olivæ; multò ergo facilius *olivæ suæ* (*τῇ ἰδιᾳ ελαιᾳ*) inseri poterant illi qui *naturales* (*κατα φυσιν*) erant olivæ rami ejusque germina. Est profectò planè gratuita tam Judæi quam Gentilis ad Messianam salutem admissio; nihilominus tamen plura sunt quæ Gentilem a participanda illa salute prohibent quam quæ Judæum, quum hic ob professionem monotheismi, instituta Mosaica, et vaticinia Prophetarum quibus fidem non negat, expeditior sit quam ille ad amplectendam fidem Christianam, a cujus professione Messiana salus sive Justificatio pendet.

Quod dicitur *οἱ κατὰ φυσιν*, scil. *ὄντες κλαδοι*, est hoc *Appositio* ad antegressum *οὗτοι*. Futurum *ἐγκεντρισθησονται* valet *inseri poterunt* [1]. Eo sensu Futurum legitur quoque Act. VII. 49; nam quod ibi dicitur *ποιον οικον οικοδομησετε μοι*, id, postulante contextâ oratione, omninò reddendum est : *Quamnam domum ædificare poteritis mihi ?*

ỳ. 25—27. Nolo enim vos ignorare fratres mysterium hoc : (ut non sitis vobis ipsis sapientes) quia cæcitas ex parte contigit in Israël, donec plenitudo Gentium intraret, 26 et sic omnis Israël salvus fieret, sicut

ỳ. 25—27. *Οὐ γὰρ θέλω ὑμᾶς ἀγνοεῖν, ἀδελφοὶ, τὸ μυστήριον τοῦτο, (ἵνα μὴ ἦτε παρ' ἑαυτοῖς* [a] *φρόνιμοι) ὅτι πώρωσις ἀπὸ μέρους τῷ Ἰσραὴλ γέγονεν, ἄχρις οὗ τὸ πλήρωμα τῶν ἐθνῶν εἰσέλθη,* 26 *καὶ οὕτω*

Paraphrasis. Nam, ut ne vestro judicio sapere vobis videamini dum Judæos contemnitis tamquam Christianæ salutis incapaces, edocere vos volo divinæ Providentiæ arcanum hoc : quod scilicet populum Israëliticum partem aliquam occupaverit excæcatio duratura ad illud usque

(1) S. Chrysostomus quoque in hunc sensum Futurum εγκεντρισθησονται accepisse mihi videtur. Nam præsentem locum his verbis elucidat : Ει γαρ, inquit, το παρα φυσιν ισχυσεν ἡ πιστις, πολλῳ μαλλον το κατα φυσιν. Ει γαρ οὗτος των κατα φυσιν αυτου πατερων εκκοπεις, ηλθε παρα φυσιν προς Αβρααμ, πολλῳ μαλλον συ το οικειον απολαβειν δυνηση. h.e. *Etenim si fides id quod præter naturam erat potuit, multo magis secundum naturam poterit. Si hic a patribus suis naturalibus excisus, præter naturam ad Abraham accessit, multo magis tu, quod tibi proprium est, accipere poteris.* »

scriptum est : Veniet ex
Sion, qui eripiat, et aver-
tat impietatem a Jacob. 27
Et hoc illis a me testamen-
tum : quum abstulero pec-
cata eorum.

πᾶς Ἰσραὴλ σωθήσε-
ται b), καθὼς γέγραπ-
ται·Ἥξει ἐκ Σιὼν ὁ ῥυό-
μενος, καὶ ἀποστρέψει c)
ἀσεβείας ἀπὸ Ἰακώβ.
27 Καὶ αὕτη αὐτοῖς ἡ
παρ' ἐμοῦ διαθήκη,
ὅταν ἀφέλωμαι τὰς
ἁμαρτίας αὐτῶν.

tempus quo gentium universitas in ecclesiam intraverit, et quod ita futurum sit ut populus Israëliticus universus Messianam salutem participet, sicut scriptum est in vaticinio Isaiæ Prophetæ : *Ex Sione venturus est redemptor et avertet peccata a gente Jacobæa; atque hoc meum erit cum illis pactum, cum abstulero peccata eorum.*

VARIANS LECTIO.

a) Præpositio παρα ante ἑαυτοις non legitur in Codd. CDJ. In Codd. AB legitur εν ἑαυτοις. Utraque Præpositio, tam παρα quam εν, glossema redolet.

b) Vulgatæ auctor legisse videtur σωθήσηται. Ex græcis Codicibus tamen nullus est, quod sciam, qui hanc lectionem exhibeat. In Itala pariter est *salvus fieret*, sed *Tichonius*, *Hilarius*, et *Ambrosius* (apud SABATIER) legerunt *salvabitur*.

c) Pro και αποστρέψει est αποστρεψαι absque και in Codd. FG. Αποστρεψει absque και legitur in Codd. ABCD* et nonnullis Minusculis.

℣. 25. *Nolo enim vos ignorare, fratres, mysterium hoc, ut non sitis,* cet.) De Judæis coætaneis suis propter incredulitatem a Messiana salute exclusis Apostolus in antegressis (℣℣. 22 sqq.) monuerat, eosdem non ita fuisse exclusos ut non *possent* hanc salutem participare, si ab incredulitate sua resipiscere vellent, adeòque et illos quoque esse Messianæ salutis capaces. Hanc autem illorum capacitatem nunc inde *probat* (γαρ) quòd *disertis verbis declarat*, futurum esse aliquando ut gens Israëlitica *universa* Messianam salutem *reapse* participet. Simul ibi monet, se eum in finem Ethnico-christianos docere plenariam illam Israëliticæ gentis conversionem, *ut ne essent sibi ipsis sapientes* (ἵνα μὴ ἦτε παρ' ἑαυτοῖς φρόνιμοι), hoc est, ut ne pro verâ haberent falsam illam quâ imbuti erant opinionem de absolutâ Israëliticæ gentis qua talis a Messiana salute exclusione; quâ quidem falsâ opinione inducti Judæos despicatui habebant. Dicit ergo : Nam, ut ne *vestro judicio* (ἑαυτοις) sapere vobis videamini dum Judæos contemnitis tamquam Christianæ salutis incapaces, edocere vos volo divinæ Providentiæ

arcanum hoc (τὸ μυστηριον τουτο), *quod* (ὅτι) scilicet populum Israëliticum, *partem aliquam* (απο μερους) *occupaverit excæcatio* (πωρωσις γεγονεν) duratura ea *ad illud usque tempus* (αχρις οὗ), quo *gentium universitas* (το πληρωμα των εθνων) *in ecclesiam intraverit* (εισελθῃ), *et quod ita* (και οὕτω, i. e. cum intraverit gentium universitas) *futurum sit ut populus Israëliticus universus* (πᾶς Ισραηλ) *Messianam salutem participet* (σωθησεται), sicut scriptum est in vaticinio Isaiæ Prophetæ: *Ex Sione venturus est redemptor et avertet peccata a gente Jacobæa; atque hoc meum erit cum illis pactum, quando abstulero peccata eorum.*

Μυστηριόν hoc loco intelligitur divinæ Providentiæ aliquod *arcanum*, quod nequeat hominibus innotescere, nisi divinitùs ipsis patefiat. Quodnam autem est arcanum illud, quod Apostolus divinitùs edoctus hic cum hominibus communicat? Illud est: *Quod excæcatio* (πωρωσις) *illa, quæ Israeliticam gentem tunc partem aliquam* [1] *occupasset, eo modo* (h. e. απο μερους) *ex divino permissu duratura esset ad illud usque tempus, quo gentium universitas in Ecclesiam intrasset; tum verò cessaturam esse illam Israëliticæ gentis* απο μερους πωρωσιν, *et universam gentem participaturam Messianam salutem.*

Απο μερους jungendum est cum πωρωσις γεγονεν ad modum Adverbii; q. d. gentem Israëliticam *partim* occupavit excæcatio; sensus tamen est: partem aliquam Israëliticæ gentis excæcatio occupavit.

Gentium πληρωμα, *plenitudo*, non est earum *multitudo*, sed *universitas*, ut supra ℣. 12. Quonam verò sensu illa *universitas* sumenda sit, Apostolus non declaravit. Illud tamen ex ejus verbis recte colligi posse mihi videtur, non esse universitatem illam referendam ad omnes et singulos homines gentiles, verùm ad omnes et singulas gentes [2].

Πας Ισραηλ intelligitur non *maxima Israëlitarum pars*, sed *gens universa*. Postulat hanc interpretationem non tantum obvia vocis πας significatio, verùm etiam antitheticum illud απο μερους. Minime verò audiendi sunt qui dicant *omnem Israëlem* hoc loco intelligendum esse Israëlem non *carnalem* illum sed *spiritualem*, hoc est *Christianos* tam ex Judæis quam ex Gentilibus collectos. Benè Estius: « Pro Israele carnali, *inquit*, facit totus hujus loci contextus; primùm ibi, *quanto magis plenitudo eorum* (℣.), ubi significat Apostolus futurum aliquando ut plenitudo Judæorum intret, sicut nunc intrat plenitudo gentium, quod iterum vult intelligi iis verbis (℣. 12):

---

(1) Theodoretus (ad h. l.): Το απο μερους τεθεικε, διδασκων ὡς ου παντες ηπιστησαν· πολλοι γαρ και εξ εκεινων επιστευσαν. h. e. *Illud ex parte posuit, docens non omnes fuisse incredulos; multi enim ex illis crediderunt.*

(2) S. Thomas (ad h. l.): *Plenitudo gentium*, id est, non solum aliqui particulariter ex gentibus, sicut tunc convertebantur, sed vel *pro toto*, vel *pro majori parte in omnibus gentibus.*

quæ assumptio, *nisi vita ex mortuis?* Idem postea quum additâ conditione dixisset, *sed et illi*, *si non permanserint in incredulitate*, *inserentur*, hoc ipsum ut absolute fiat, aliquando a Dei bonitate exspectandum esse docet cum in eo quod subjungit, *potens est enim Deus iterum inserere illos*, tum verbis insequentibus istis: *Nam si tu contra naturam insertus es in bonam olivam*, *quanto magis ii*, *qui secundum naturam*, *inserentur suæ olivæ?* Denique rem aperte declarat, dum dicit: *Nolo enim vos ignorare mysterium hoc*, cet. Quæ verba non aliter accipi oportere quam de Israële secundum carnem, non modo probat consequentia sermonis, et quia toto hoc capite atque etiam superiori de Israële secundum carnem, non de alio locutus fuerat; verum etiam plane arguit antithesis quam facit inter hæc duo: nunc *cæcitas e x p a r t e contigit Israeli*, tunc *t o t u s Israël salvus fiet*. Neque enim constare poterit ea antithesis, si Israëlem aliter et aliter accipias.»

A vero Scripturæ sensu aberravit hic etiam THEODORETUS (in Comm. ad ℣. 26): *Παντα τον Ισραηλ*, inquit, *καλεῖ τους πιστευοντας*, *ει τε εξ Ιουδαιων*, *εἶεν*, *την φυσικην συγγενειαν προς τον Ισραηλ εχοντες*, *ει τε εξ εθνων κατα την της πιστεως ευγενειαν αυτῳ συναπτομενοι*. h. e. « *Vocat autem omnem Israëlem eos qui credunt*, *sive sint ex Judæis naturalem cognationem habentes cum Israële*, *sive ex Gentibus eidem fidei cognatione conjuncti*. »

Itaque docet Apostolus, *omnes* Judæos aliquando ad Christum esse convertendos, adeòque venturum tempus quo amplius dici nequeat, Israeliticam gentem *partem aliquam* (*απο μερους*) in incredulitate versari. Nec aliter PAULI verba intellexêre antiqui, quorum plures 1) recenset ESTIUS (ad h. l.); qui et refellit interpretationem eorum qui verba Apostoli trahere conantur in eum sensum, quo significatum sit *non in fine sæculi Judæos* CHRISTUM *fide recepturos*, *sed toto sæculi decursu futurum ac fieri subinde ut aliqui ex illis fidem* CHRISTI *amplectantur*, *simulque cum gentilibus æmulatione provocati*

---

(1) Addantur et hi: ORIGENES (in Ep. ad Rom. ad h. l.): *Si ergo pro eo*, inquit, *ut introiret gentium plenitudo*, *cæcitas facta est in Israël*, *sine dubio cum ingressa fuerit gentium plenitudo*, *cæcitas cessabit*.

S. AMBROSIUS (in Psalm. XL. nº 33.): « Etsi cæcitas in Israël ex parte continget, tamen cum plenitudo gentium intraverit, tunc omnis Israel Christi miseratione salvabitur. »

THEODORETUS (ad h. l.): *Των εθνων δεξαμενων το κηρυγμα*, *πιστευουσι κἀκεινοι*, *Ἠλία του πανυ παραγενομενου και της πιστεως αυτοις την διδασκαλιαν προσφεροντος. Τουτο γαρ και ὁ Κυριος εν τοις ἱεροις ευαγγελιοις εφη· Ἠλιας ερχεται*, *και αποκαταστησει παντα*. h. e. *Postquam gentes prædicationem susceperint*, *illi etiam credent*, *ubi magnus* ELIAS *venerit et fidei doctrinam illis attulerit*. *Hoc enim Dominus quoque dicit in sacris evangeliis*: *Elias venturus est*, *et restituet omnia*.

S. THOMAS (ad h. l.): « *Et tunc*, scilicet cum plenitudo gentium intraverit, *omnis Israël salvus fiet*, non particulariter sicut modo, *sed universaliter omnes*. »

evangelicarum promissionum participes fiant.— Quæstionem *de conversione Judæorum in fine sæculi* Estius tractavit etiam in Commentario in IV librum *sententiarum*, ad Dist. 47. §. 12, sq.

sicut scriptum est: veniet ex Sion, qui eripiat et avertat impietatem a Jacob; et hoc illis a me testamentum cum abstulero peccata eorum.) Futurum esse aliquando ut gens Israëlitica universa Messianam salutem participet, Apostolus confirmat Isaiæ vaticinio [1]. Recitata autem ab illo prophetica verba ista, *veniet ex Sion, qui eripiat et avertat impietatem a Jacob; et hoc illis a me testamentum*, leguntur Isaiæ Cap. LIX. 20, sq; quod verò additur, *cum abstulero peccata eorum*, de suo adjecisse videtur ad illustranda antegressa verba illa *και αποστρεψει ασεβειας απο Ιακωβ*, *et avertet impietates a Jacob.* Quod dicitur *et hoc illis* (Dativ. *Commodi*) *a me* (profectum) *testamentum* sive *pactum*, pertinet hoc ad insequentia (ỳ. 21) Prophetæ verba; quæ tamen Apostolus non recitavit, quia ad propositum suum non faciebant. Sensum testimonii ut a Paulo recitatur recte exposuit Estius (ad h. l.) hisce verbis: « E gente Judaica atque ex ipsa regia stirpe Davidis (nam Sion erat civitas David ac sedes regni) nascetur liberator ac salvator, scilicet Christus, qui auferat et aboleat peccata populi progeniti ex patriarcha Jacob, qui alio nomine dictus est Israël. Quæ peccatorum illius populi abolitio cum peracta non sit in primo Christi adventu per ipsius et Apostolorum ejus prædicationem (tunc enim solæ *reliquiæ* servatæ sunt, ceteri excæcati), relinquitur, introductâ gentium plenitudine, exspectanda.»

---

(1) Nota, Apostolum Isaiæ vaticinium illud recitasse secundum versionem Septuaginta-viralem, nisi quod scripsit εκ Σιων, *ex Sione*, pro ἕνεκεν Σιων *propter Sionem*, quod in illa versione legitur. Conjicit Estius (ad h. l.), et recte, meâ quidem sententiâ, Paulum, qui miscere solet ex variis locis testimonia, scribentem *ex Sion*, ad alias Scripturas respexisse, quæ Salvatorem promittunt oriturum *ex Sion*, ut Ps. 32, et 52. Hebraicè vaticinium illud sic legitur: וּבָא לְצִיּוֹן גּוֹאֵל וּלְשָׁבֵי פֶשַׁע בְּיַעֲקֹב נְאֻם יְהוָה׃ וַאֲנִי זֹאת בְּרִיתִי אוֹתָם׃ quæ verba in Vulgata sic reddita sunt: *et* (cum) *venerit Sioni* (in Dativo *Commodi*) *Redemptor, et eis qui redeunt ab iniquitate* (וּלְשָׁבֵי פֶשַׁע) *in Jacob, dicit Dominus. Hoc fœdus meum cum eis.*— Videntur LXX pro ולשבי legisse, unâ litterâ transpositâ, ולשיב, quod pronunciaverint וּלְהָשִׁיב=וְלָשִׁיב, absorptâ characteristicâ ה ut לֵרָאוֹת pro לְהֵרָאוֹת Exod. XXXIV. 24. Deut. XXXI. 11. Cui conjecturæ robur accedit inde quòd Chaldæus quoque sic legisse videtur; nam is præsentem locum reddidit: וְיֵתֵי לְצִיּוֹן פָּרִיק וּלְאֲתָבָא מְרוֹדַיָּא דְבֵית יַעֲקֹב h. c. *Et veniet Sioni redemptor, nempe* (1) *ad convertendum rebelles domûs Jacob.*

ỷ. 28—32. Secundum Evangelium quidem, inimici propter vos: secundum electionem autem, carissimi propter patres. 29 Sine pœnitentia enim sunt dona et vocatio Dei. 30 Sicut enim aliquando et vos non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis propter incredulitatem illorum: 31 ita et isti nunc non crediderunt in vestram misericordiam: ut et ipsi misericordiam consequantur. 32 Conclusit enim Deus omnia in incredulitate: ut omnium misereatur.

ỷ. 28—32. *Κατὰ μὲν τὸ εὐαγγέλιον, ἐχθροὶ δι' ὑμᾶς· κατὰ δὲ τὴν ἐκλογὴν, ἀγαπητοὶ διὰ τοὺς πατέρας.* 29 *'Αμεταμέλητα γὰρ τὰ χαρίσματα καὶ ἡ κλῆσις τοῦ Θεοῦ.* 30 *Ὥσπερ γὰρ ποτε καὶ* a) *ὑμεῖς ἠπειθήσατε τῷ Θεῷ, νῦν δὲ ἠλεήθητε τῇ τούτων ἀπειθείᾳ·* 31 *οὕτω καὶ οὗτοι νῦν ἠπείθησαν, τῷ ὑμετέρῳ ἐλέει ἵνα καὶ αὐτοὶ ἐλεηθῶσι.* 32 *Συνέκλεισε γὰρ* b) *ὁ Θεὸς τοὺς πάντας εἰς ἀπείθειαν, ἵνα τοὺς πάντας ἐλεήσῃ.*

Paraphrasis. Israëlitica gens ratione quidem habitâ Evangelii, cui obedire recusavit, Deo est exosa; id quod in vestrum bonum cessit, o Gentiles! ratione verò habitâ electionis illius qua Deus illam Gentem in populum suum peculiarem sibi elegit, perpetuò illi cara est propter eorum progenitores, ut quibus promisit se fore Deum seminis eorum. Nequit enim Deum pœnitere suorum beneficiorum. Scilicet quemadmodum vos, o Gentiles, olim non obedivistis Deo, nunc vero misericordiam consecuti estis per illorum inobedientiam, ita quoque illi nunc non obediverunt Deo, ut per misericordiam vobis impartitam etiam ipsi misericordiam consequantur, vestro provocati exemplo resipiscentes, atque ita haud amplius indignos sese præbentes qui a Deo recipiantur. Nam omnes, tam Judæos quam Gentiles, inobedientiæ culpam contrahere Deus passus est eo consilio, ut misericordiam suam omnibus adhiberet.

VARIANS LECTIO.

a) Pro ποτὲ καὶ legitur simpliciter ποτὲ idque post ὑμεῖς, in Codd. ABCD*EFG.

b) Pro τους παντας legitur in Codd. D* (E?] τα παντα, et in Codd. FG παντα.

ỷ. 28. *Secundum Evangelium quidem, inimici propter vos; secundum electionem autem, carissimi propter patres.*) Etsi hæc verba nullâ Particulâ

cum antegressis junguntur, tamen arctè cum iisdem cohærent. Scilicet id quod de Israëlitica gente modò dictum fuerat, *et sic omnis Israel salvabitur*, incredibile nonnemini videri poterat, existimanti eam gentem ob incredulitatem suam non posse non esse Deo exosam. Apostolus ergo huic dubitationi occurrit, distinctius heic declarans id quod supra (℣. 16) jam innuerat, Israëliticam gentem *ratione quidem habitâ Evangelii* (κατα μεν το ευαγγελιον) cui obedire recusasset, Deo esse exosam, (εχθροι); *ratione verò habitâ electionis illius* (κατα δε την εκλογην), qua Deus Israëliticam gentem in populum suum peculiarem sibi elegisset [1], eam perpetuo illi esse caram (αγαπητοι), adeòque nec debere incredibilem videri illam quam prædixisset Israëliticæ gentis ad Messianam salutem admissionem. Ceterum notandum est, ellipticam heic esse PAULI orationem; nam et *Subjectum* (*Israëlitæ*=*Israëlitica gens*) ibi deest, et copula (*sunt*). Quod autem dicit, *exosi sunt propter vos* (δι' ὑμας), eo denuò significat [2], in Gentilium bonum hoc cessisse quod permissa divinitùs fuerit illa Israëlitica gentis incredulitas, ob quam illa reddita esset Deo exosa. *Cari sunt* (αγαπητοι) *propter Patres* (δια τους πατερας), ut quibus Deus promisit, se fore Deum *seminis* eorum. Cf. Genes. XVII. 17. Deuter. IV. 37. Vox εχθρος et *passivè* significat *exosus*, ut supra Cap. V. 10, et *active* notat *inimicus*, ut 1 Cor. XV. 25. Hoc autem loco passive sumendam esse vocem εχθρος, ex opposita voce αγαπητος satis patet.

℣. 29. *Sine pœnitentia enim sunt dona et vocatio Dei.*) Hoc veluti axiomate Apostolus *confirmat* (γαρ) id quod modò (℣. 28) dixerat: αγαπητοι δια τους πατερας, *dilecti propter patres*. Deum, inquit, pœnitere nequit suorum beneficiorum adeòque nec *vocationis* sive *electionis* illius, qua ABRAHAMI, ISAACI et JACOBI posteros in peculiarem suum populum sibi in perpetuum elegit; idque secundum promissiones Patriarchis factas, et *propter* (δια) illos. Deuter. IV. 37: *Dilexit patres tuos et elegit semen eorum post eos.* Deuteron. VII. 6. 7.: *Populus sanctus es Domino Deo tuo. Te elegit Dominus Deus tuus ut sis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui sunt super terram. Non quia cunctas gentes numero vincebatis, vobis junctus est Dominus et elegit vos; sed quia dilexit vos Dominus, et custodivit juramentum quod juravit patribus vestris.* Cf. etiam Levitic. XXVI. 44, sq. et Jerem. XXXI. 35, sqq.

Pro latino *sine pœnitentia* græcè est una vox αμεταμελητα, h. e. *impœnitibilia*, ut barbarâ voce dicam; sensus autem est: *immutabilia* et *constantia*. Loquitur Apostolus de promissis divinis ejusmodi, quæ facta sint *absolute* quibusque adeò nulla alligata sit conditio.

℣. 30—32. *Sicut enim aliquando et vos non credidistis Deo, nunc autem*,

---

(1) Cf. Isaiæ LII. Jerem. XXXII. Ezech. XXXVI. (2) Vide supra ad ℣. 11. p. 356, et confer ℣. 31.

cet.) Declarat hic Apostolus divinæ Providentiæ consilium in permittenda illa tam gentilium quam Judæorum ἀπειθείᾳ.

Dicit ergo: *Scilicet* (γάρ) *quemadmodum vos*, *o Gentiles*, *olim* (ποτέ, scil. ante Christi adventum) *non obedivistis* (ἠπειθήσατε) *Deo*, *nunc verò misericordiam consecuti estis per illorum* (Judæorum) *inobedientiam* (τῇ τούτων ἀπειθείᾳ), *ita quoque* (καί) *illi* (Judæi) *nunc* (cum Christus venisset,) *non obediverunt* (ἠπείθησαν) *Deo*, *ut per misericordiam vobis impartitam* (τῷ ὑμετέρῳ ἐλέει) *etiam ipsi misericordiam consequantur*, puta, vestro provocati exemplo (cf. ℣. 11) resipiscentes atque ita haud amplius indignos sese præbentes qui a Deo recipiantur [1]. *Nam omnes*, *tam Judæos quam gentiles*, *inobedientiæ culpam contrahere ideò passus est eo consilio*, *ut omnibus misericordiam suam adhiberet.*

Particula γάρ (℣. 30) non reddit rationem antegressæ sententiæ, sed infert rei de qua nunc sermo est explicationem, ut valeat Latinorum *videlicet*, *scilicet*, *nempe*. Qua significatione Particula γάρ legitur, exempli gratiâ, Hebr. IX. 2. Jac. II. 2; et videsis Klotz ad Devarium, p. 234, sqq. Per ποτέ et νῦν tempus ante Christi adventum opponitur tempori post ejus adventum; nam sermo est de Gentilibus non quâ individuis hominibus sed qua gentibus; Gentiles enim hic opponuntur non singulis Judæis, sed *genti* Israëlitarum. — Ἀπειθεῖν (non dicitur ἀπιστεῖν) hic (℣. 30) præstat reddere *non obedire* quam *non credere*, quum agatur de Gentilibus; quo modo verò Gentiles intelligantur *non obedivisse*, Apostolus supra Cap. 1. 18—26 exposuit. Τῇ τούτων ἀπειθείᾳ est Dativus *instrumenti* [2]; nempe, ut supra (ad ℣. 11) diximus, Judæorum inobedientia erga Evangelium *occasio* exstitit, *quâ* factum est ut illud Gentilibus prædicaretur maturius quam alias factum fuisset.

Versus 31 in Vulgata sic redditur: *ita et isti nunc non crediderunt in vestram misericordiam: ut et ipsi misericordiam consequantur.* Sunt autem ibi duo, quæ, ut mihi quidem videtur, minus recte habent. Nam primò quidem quum τῷ ὑμετέρῳ ἐλέει sit Dativus *instrumenti* sicut antitheticum τῇ τούτων ἀπειθείᾳ, reddendum erat *vestrâ misericordiâ* aut *per vestram misericordiam.* Deinde oratio interpungenda erat post *non crediderunt*, eo modo quo græca interpunximus. Secundum Vulgatæ interpunctionem Paulus dixisset *tautologica*; atqui Particulæ ὥσπερ et οὕτω postulant collationem duorum atque adeò *diversa.* Quid autem differunt duo hæc: *misericor-*

---

(1) Theophylactus (ad h. l.): Κληθέντων τῶν Ἰουδαίων καὶ ἀπειθησάντων τῷ Χριστῷ, ἐκλήθητε ὑμεῖς καὶ ἐλεήθητε. Ἀλλὰ τὸ ὑμῶν ἔλεος, καὶ τούτων ἔσται. Παραζηλώσουσι γὰρ ὑμᾶς, καὶ πιστεύσουσι καὶ αὐτοί, καὶ οὕτω τῷ ὑμῶν ἐλέει ἐλεηθήσονται. h.e. »*Vocatis Judæis et* Christo *morem non gerentibus*, *vocati estis vos et misericordiam estis consecuti*; *verum vestra misericordia horum quoque erit. Æmulabuntur enim vos credentque et ipsi*, *atque ita per vestram misericordiam misericordiam consequentur.*

(2) Auctor Vulgatæ minus recte dixit: *propter incredulitatem eorum.*

diam consecuti estis propter incredulitatem illorum, et *isti non crediderunt in vestram misericordiam?* Itaque oratio interpungenda est post ηπειθησαν, idque ita ut τῳ ὑμετερῳ ελέει (*per misericordiam vobis impartitam*) pars fiat insequentis membri, ἱνα και αυτοι ελεηθῶσι, quasi scripsisset Paulus: ἵνα τῳ ὑμετερῳ ελέει και αυτοι ελεηθωσι. Nimirum ideò ante ἵνα positum fuit τῳ ὑμετερῳ ελεει, quia hoc in præsenti sententia emphasim habebat. Simili transpositione ἱνα legitur Act. XIX. 4, Joh. XIII. 29, Gal. II. 20, alibi. Quod autem dicitur de Judæis, οὑτω και αὐτοι νυν ηπειθησαν (Vulg. *ita et isti nunc non crediderunt*), illud pari modo ut ℣. 30 maluerim reddere: *ita et isti nunc non obediverunt*, puta, Evangelio.

℣. 32. *Conclusit enim Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur.)* Particula γαρ (*enim*) non est reddentis rationem antegressæ sententiæ, sed *explicantis* ea quæ superioribus duobus versiculis (30 et 31) dicta fuerant de sorte Judæorum et Gentilium. Pro *omnia* Græce est τους παντας, *omnes*, scilicet, tam Judæos quam Gentiles; postulat hanc interpretationem contexta oratio ℣℣. 30 et 31. Pro *in incredulitate* verterim *in inobedientiam*, quia Græce dicitur non εν απειθειᾳ sed εις απειθειαν, et quia Apostolus usus est voce απειθεια, non verò voce απιστια. Jam *concludere aliquem in aliquid* (συγκλειειν τινα εις τι) Hebraicâ phrasi [1], ductâ Metaphorâ a *claudendo in carcerem*, tantumdem est ac tradere aliquem in cujuspiam rei aut personæ potestatem, adeòque convenit ea locutio cum illa qua supra (Cap. I. 24) Apostolus dixit: *tradidit illos Deus in immunditiam* (παρεδωκεν αυτους εις ακαθαρσιαν); et quod hic dicitur *conclusit Deus*, eodem modo interpretandum est quo ibi interpretati sumus το *tradidit Deus*. Fecit autem Deus hoc eo consilio, ait Apostolus, ut *misericordiam suam erga omnes*, Judæos pariter atque Gentiles, *exhiberet* (ἱνα τους παντας ελεησῃ).

℣. 33—36. O altitudo divitiarum sapientiæ, et scientiæ Dei: quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! [34] Quis enim cognovit sensum Domini?

℣. 33—36. Ὦ βάθος πλούτου καὶ [a)] σοφίας καὶ γνώσεως Θεοῦ· ὡς ἀνεξερεύνητα τὰ κρίματα αὐτοῦ, καὶ ἀνεξιχνίαστοι αἱ ὁδοὶ αὐτοῦ. [34] Τίς γὰρ ἔγνω νοῦν Κυρίου; ἢ τίς

Paraphrasis. O copiosissimas divinæ misericordiæ divitias! O reconditam Dei sapientiam et scientiam! Quam sunt homini imperscrutabilia Dei decreta, quam investigabilia ejus consilia! Nemo enim cognovit Dei cogitationes, nemo consiliarius

(1) Cf. Ps. LXXVIII. 48. וַיַּסְגֵּר לַבָּרָד בְּעִירָם

Aut quis consiliarius ejus fuit? 35 Aut quis prior dedit illi, et retribuetur ei? 36 Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia: ipsi gloria in sæcula. Amen.

σύμβουλος αὐτοῦ ἐγένετο; 35 Ἢ τίς προέδωκεν αὐτῷ, καὶ ἀνταποδοθήσεται αὐτῷ; 36 ὅτι ἐξ αὐτοῦ, καὶ δι' αὐτοῦ, καὶ εἰς αὐτὸν τὰ πάντα· αὐτῷ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας. Ἀμήν.

illi adfuit quum decreta sua caperet; nec quisquam hominum est qui Deo aliquid donare possit ita ut Deus illi rependere debeat; neque enim quidquam est quod ab eo non pendeat, et ipsius sunt prorsus omnia. Ipsi debetur gloria in omne ævum. Amen.

VARIANS LECTIO.

a) Voculam καὶ exhibent Græci codices omnes, si excipias Cod. E et Minusculum unum. Quare ambigendum non est quin illa vocula pertineat ad genuinam Pauli scripturam.

℣. 33. *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei quam incomprehensibilia sunt,* cet.) Sed Græce est: *O altitudo divitiarum et sapientiæ et scientiæ Dei.* Itaque in Vulgata *duo* tantùm dicuntur esse alta sive *profunda*, scilicet *sapientia* et *scientia* Dei; Græcè autem, ob Particulam καὶ ante σοφίας, *tria* dicuntur *alta* sive *profunda*, scilicet, Dei misericordiæ *divitiæ*, *sapientia*, et *scientia*. Et postulat sane contexta oratio ut memoretur etiam *misericordia* Dei; nam quemadmodum in eo quod mox (℣. 34) dicit Apostolus, *quis cognovit sensum Domini*, *aut quis consiliarius ejus fuit*, respicit *sapientiam* et *scientiam* Dei, quæ in illa exclamatione nominatæ fuerant, ita quoque quod subjicit (℣. 35), *quis prior dedit Deo*, *ut Deus illi retribuere debeat*, convenit ut pariter referatur ad aliquod Dei attributum in illa exclamatione expressum, puta ad gratuitam Dei bonitatem sive *misericordiam*. Ad hæc, quum in proximè antegressis, quæ causam dederunt illi exclamationi, Apostolus repetitis vicibus (℣. 30. 31. 32) mentionem fecerit de Dei *misericordia*, non potuit quin in illa exclamatione unà cum sapientia et scientia Dei etiam ejusdem gratuitam bonitatem sive *misericordiam* commemoraret. Quod autem vox πλοῦτος (*divitiæ*) absolute posita ibi dicta sit de divinæ misericordiæ *divitiis*, illud hinc quidem suadet

contexta oratio, illinc vero confirmatur ex Pauli usu loquendi, ut qui et alibi voces πλουτος et πλουτειν absolute positas hoc sensu adhibuerit. Nam ad Ephesios (Cap. III. 8) scripsit: εδοθη μοι ἡ χαρις ευαγγελισασθαι τον πλουτον του Χριστου, *mihi data est gratia hæc, evangelizare divitias* Christi; et ad Romanos (Cap. X. 12): ὁ γαρ αυτος Κυριος παντων, πλουτῶν εις παντας τους επικαλουμενους αυτον, *nam idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum*. Igitur ambigendum non est quin πλουτος hoc loco intelligatur πλουτος της χαριτος, quo modo locutus est Apostolus Ephes. I. 7 et II. 7. Confer etiam illud Ephes. II. 4: ὁ Θεος πλουσιος ὢν εν ελέει.

Ergo mens Apostoli est dicere: *O profunditatem* (βατος) *divitiarum misericordiæ, O profunditatem sapientiæ et scientiæ Dei!* aut si pro Substantivo βατος (*profunditas*), quod ibi majoris emphaseos causâ pro Adjectivo fuit adhibitum, Adjectivum reponamus: *O profundas divitias misericordiæ, O profundam sapientiam et scientiam Dei!* Nam putandum est Adjectivum illud ex æquo pertinere ad tria quæ ibi enumerantur Dei attributa; ratio est, quia Genitivi illi tres, πλουτου, σοφιας et γνωσεως, ex æquo pendent a voce βατος. Sunt autem, demptâ metaphorâ, *profundæ* divitiæ, *copiosissimæ* divitiæ; sapientia autem et scientia Dei heic dicuntur *profundæ*, quatenùs abditissimæ et humanæ perscrutationi imperviæ; sequitur enim: *quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus!* cet. Sensus ergo est: *O copiosissimas divinæ misericordiæ divitias! O abditissimam Dei sapientiam et scientiam! Quam sunt homini* (nisi divinitùs ea edoceatur) *imperscrutabilia* (ανεξερευνητα) *Dei decreta* (τα κριματα), *quam investigabilia ejus consilia* (αἱ ὁδοι)! In admirabundam hanc exclamationem erupit Apostolus considerans illam Dei erga Judæos atque Gentiles agendi rationem, qua utrosque malitiæ suæ permisit eo consilio ut gratuitam suam bonitatem utrisque adhibendo, misericordiam suam notam faceret atque glorificaret. Cf. Cap. IX. 23.

℣. 34. *Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit?*) Probat (γαρ) id quod in antegressa exclamatione postremo loco affirmaverat, scilicet *imperscrutabilia atque investigabilia esse Dei decreta et consilia*. Probat autem adducto Isaia exclamante (Cap. XL. 30): *Quis cognovit sensum Domini*, cet. Quæ exclamatoria interrogatio quum sit *negantis* rem quæ interrogatur, sensus est: *Nemo cognovit Dei cogitationes et consilia* (νουν Κυριου), *nemo consiliarius illi adfuit quum decreta sua caperet.*

℣. 35. *Aut quis prior dedit illi et retribuetur ei?*) Hic probat id quod priori loco in sua exclamatione dixerat: *O copiosissimas divinæ misericordiæ divitias!* Probat autem copiosam Dei misericordiam inde quòd omnibus det Deus gratuitò. Neque enim quisquam hominum est, inquit, qui Deo aliquid donare possit ita ut Deus illi rependere debeat. Verba ista, τις προεδωκεν αυτῳ και ανταποδοθησεται αυτῳ, *quis*

illi ante dedit, *et rependetur illi* [1], sumpta sunt ex hoc Jobi effato (Cap. XLI. 3) : מִי הִקְדִּימַנִי וַאֲשַׁלֵּם׃ *quis me* (Deum) *benefaciendo prævenit*, *ut illi rependere debeam ?*

ỳ. 36. *Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia; ipsi gloria in sæcula. Amen.)* Antegressam sententiam, qua negaverat Deo quidquam ab homine tribui posse, inde hic *confirmat* (ὅτι), quòd monet, *rerum creatarum universitatem* (τα παντα) esse *ex Deo* (ἐξ αυτου) tamquam causa ideali, *per Deum* (δι' αυτου) tamquam causam effectricem, et *ad Deum* (εις αυτον) tamquam causam finalem. Ex quo profectò consequitur nihil non a Deo pendere et ipsius esse omnia.

---

(1) *Variata* ibi oratio est, ut 1. Cor. XIV. 1; ανταποδοθησεται αυτω reddendum esse *ut rependatur* nisi forte verius dixeris και (ut ו Job. XLI. 3) *ei* (ut illi rependendum sit).



CAPUT DUODECIMUM.

ARGUMENTUM. *Expositâ doctrinâ* de gratuita Justificatione per fidem, *quod erat præcipuum epistolæ suæ thema, transit nunc Apostolus ad danda nonnulla morum præcepta, Romanis suis opportuna. Et statim quidem eos in universum monet, vitam ut agant Christiano homine dignam; ut Deo sese consecrent totos, huic sæculo ne conformentur, sed mores exprimant qui respondeant illi mentis innovationi quæ in Baptismo illis obtigisset, adeòque exquirendæ et perficiendæ Dei voluntati assiduò sint intenti* (1—3). *Hinc verò ad particularia descendens, primo loco monita illis dat ad rectum usum Charismatum pertinentia* (3—9); *deinde conciso sermone sigillatim ad varias virtutes excercendas eosdem adhortatur* (9—21).

℣. 1—2. Obsecro itaque vos fratres per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. 2 Et nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in novitate sensus vestri: ut probetis quæ sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta.

℣. 1—2. *Παρακαλῶ οὖν ὑμᾶς, ἀδελφοὶ, διὰ τῶν οἰκτιρμῶν τοῦ Θεοῦ, παραστῆσαι τὰ σώματα ὑμῶν θυσίαν ζῶσαν, ἁγίαν, εὐάρεστον τῷ Θεῷ, τὴν λογικὴν λατρείαν ὑμῶν· 2 Καὶ μὴ συσχηματίζεσθε τῷ αἰῶνι τούτῳ· ἀλλὰ μεταμορφοῦσθε* a) *τῇ ἀνακαινώσει τοῦ νοὸς ὑμῶν, εἰς τὸ δοκιμάζειν ὑμᾶς τί τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ, τὸ ἀγαθὸν καὶ εὐάρεστον καὶ τέλειον.*

Paraphrasis. Quum ergo talis tantaque fuerit Dei erga vos misericordia, per ipsam illam misericordiam vobis impartitam exhortor vos, fratres, ut ne ingrati sitis, sed in grati animi testimonium illi offeratis corpora vestra in victimam vivam, eamque incontaminatam, adeoque Deo gratam atque acceptam; qua in re constat spiritualis ille cultus vester religiosus; et mores exprimite non qui similes sint moribus hominum mundanorum sed tales qui conveniant illi mentis innovationi, quæ in Baptismo vobis obtigit; quare intenti estote exquirendo et perficiendo id quod velit Deus, id quod bonum et illi gratum et perfectum sit.

VARIANS LECTIO.

a) Pro Imperativis *συσχηματίζεσθε* et *μεταμορφοῦσθε* leguntur Infinitivi *συσχηματίζεσθαι* et *μεταμορφοῦσθαι* in Codd. AB**DEFG, eamque lectionem alteri prætulerim quum testes habeat Codices unciales multo plures. Tischendorfius tamen edidit (2ª Lips.) *συσχηματίζεσθε* et *μεταμορφοῦσθε*, quia existimaverit Infinitivos illos tribuendos esse correctioni librariorum, qui pro Imperativis scripsissent Infinitivos ut sic continuaretur inchoata syntaxis: *παρακαλῶ ὑμᾶς παραστῆσαι*. Atqui ex æquo potuêre librarii existimasse a versu secundo novam esse inchoandam sententiam, atque hanc ob causam Infinitivos mutasse in Imperativos. Itaque ex numero et auctoritate testium res dijudicanda est.

℣. 1. *Obsecro itaque vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra, cet.*) Post expositam doctrinam de Justificatione non operibus tamquam meritis, sed gratuitæ Dei misericordiæ accepta referenda, Apostolus heic transit ad danda nonnulla morum præcepta, Romanis suis nunc opportuna. Nectitur autem

posterior hæc epistolæ pars cum priore per Particulam *ουν* (*itaque*), idque in hanc sententiam : Quum ergo (*ουν*) talis tantaque fuerit Dei erga vos misericordia, per (*δια* seq. Gen.) ipsam illam Dei misericordiam vobis impartitam (tamquam incitamentum ad exhibendum Deo gratum vestrum animum) exhortor vos ut ne ingrati sitis, sed exhibeatis corpora vestra, cet.

Particula *ουν* referenda est ad antegressam orationem omnem, quatenùs ibi exposita fuit gratuita Dei erga peccatores, tam Judæos quam Gentiles, misericordia, conspicua ea in gratia Justificationis. Præpositio *δια* (seq. Genit.) dicitur *in exhortando* de causa quæ impellere debeat eum quem exhortaris ad faciendum id ad quod faciendum exhortaris. Confer illud 2[æ] Ep. ad Corinthios (Cap. X. 1) : *παρακαλῶ ὑμας δ ι α της πραότητος και επιεικειας του Χριστου*, cet.— *Οικτιρμοι*, *viscera*, refert Hebraicum רַחֲמִים. Hebræis autem *viscera* erant sedes amoris et ceterarum, quæ ejus generis sunt, affectionum. Itaque per Metonymiam *causæ pro effectu* hoc loco *viscera Dei* intelliguntur Dei *misericordia.*

ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem) Primo loco eos adhortatur, *corpora sua Deo ut offerant* (*παραστησαι*) *in victimam vivam* (*θυσίαν ζωσαν*), *sanctam, Deo gratam*, hoc est, ut corpora sua sint illis instrumentum cujus usus cedat in honorem Dei; sed metaphorica est hoc loco oratio Apostoli, et metaphora quidem ducta est *a victima offerenda;* quare et vox *παραστησαι sacrificalem* notionem ibi obtinet, veluti in hoc Polybii [1]) : *θυματα τοις βωμοις παραστησαντες ηξιωσαν αυτον θυσαι*, *admotis aris victimis, ut sacrificaret rogaverunt.* Eodem sensu verbo *παραστησαι* usus est Fl. Josephus (Lib. IV Antiqq. Cap. IV) : *septem aras exstruere regem jubet*, *και τοσου τους ταυρους και κριους παραστησαι*, *et totidem tauros et arietes admovere.* Dicit autem Apostolus *in victimam v i v a m*, quo distinguat victimam de qua ipse loquitur a victimis cultûs levitici aut Ethnicorum, ut quæ *ante occisæ* offerebantur. Et *sanctam* eam victimam vocat, ut doceat oportere eam esse *incontaminatam*, *omni labe* (peccati) *carentem*, adeòque talem quæ sit *ευαρεστος τῳ Θεῳ*, *Deo placens*, grata acceptaque. Ad *rem* quod attinet, eamdem ac hic sententiam Apostolus expressit supra (Cap. VI. 13), quum Romanos suos moneret, ut membra sui corporis exhiberent Deo tamquam totidem instrumenta ad præstanda opera justitiæ.

---

(1) Apud Elsnerum in observ. sacr. ad h. l.

rationabile obsequium vestrum.) In quarto Casu: *την λογικην λατρειαν ὑμων.* Et est *Appositio* ad integram sententiam antegressam [1]: *παραστησαι τα σωματα ὑμων... ευαρεστον τῳ Θεῳ.* Puta Paulum scripsisse ad hunc modum: *παρακαλῶ ὑμας παραστησαι τα σωματα ὑμων θυσιαν ζωσαν, ἁγιαν, ευαρεστον τῳ Θεῳ, ὁπερ εστι ἡ λογικη λατρεια ὑμων*, *exhortor vos ut corpora vestra offeratis Deo in victimam vivam, sanctam, Deo placentem, quod nempe est spiritualis ille vester cultus.* Sciendum est, Substantiva tam in Nominativo quam in Accusativo a Græcis nonnumquam ita integris sententiis *apponi*, ut enuntient *judicium* de præmissa sententia. Pertinent huc ex Novo Testamento, præter hunc locum, etiam 2 Thess. Cap. 1. 5: *ὡστε ἡμας αυτους εν ὑμιν καυχᾶσθαι... ενδειγμα της δικαιας κρισεως του Θεου.* Item 1 Tim. II. 6: *ὁ δους ἑαυτον αντιλυτρον ὑπερ παντων, το μαρτυριον καιροις ιδιοις.* Exempla ex scriptoribus profanis collegit Kühnerus [2]. Corporis illam mactationem mente et animo præstandam Apostolus vocat *spiritualem* (*λογικην*) illorum cultum religiosum, hoc epitheto internam et incruentam hanc *λατρειαν* distinguens ab externa et cruentâ illa *λατρειᾳ*, quam Christiani Romani, tam Judæi quam Gentiles, antequam Christo initiarentur, exercuerant in *occisorum* animalium oblatione [3]. Adjectivum *λογικος* simili sensu

---

(1) Facilior sit hoc loco Grammatica structura, si Accusativus *την λογικην λατρειαν* referatur tamquam Accusativus epexegeticus ad *θυσιαν—ευαρεστον*. Sed obstat quod *λατρεια* non *victimam* significat sed *cultum religiosum.* Pertinet ergo *την λογικην λατρειαν* ad *cultum* illum qui exprimitur verbis istis: *παραστησαι τα σωματα..... ευαρεστον τῳ Θεῳ.*

(2) *Ausfürliche Grammatik der Griechischen Sprache* §. 500 1. et *Anm.* 1. Istiusmodi Accusativos Kuhnerus existimat positos esse ellipticè, et pendere ab omisso verbo *λεγω*, *dico*, *voco*, aut simili. Verba ejus hic subjicimus: *Ein Substantiv im Accusativ... tritt zuweilen als Apposition zu dem Prädikate, und spricht ein Urtheil über den ganzen Satz aus. Schon bei* Homer, *als* Iliad. ω, 735: *ἤ τις τῶν Ἀχαιῶν ῥίψει, χειρὸς ἑλὼν, ἀπὸ πύργου, λυγρὸν ὄλεθρον. Man muss diesen appositionalen Zusatz ohne Zweifel auf elliptische Weise als Objekt eines ausgelassenen Verbs des* Sagens *erklären, als: das nenne ich ein trauriges Verderben* (*λυγρὸν ὄλεθρον*). Rectius, ut mihi quidem videtur, Bernhardy (Wissenschaftliche Syntax der Griechischen Sprache. pag. 127. III.): «*Einen grösseren Einfluss im Gebiet des Accusativus*, inquit, *hat die Epexegese ausgeübt, welche dem Verbum in einer mittelbaren Apposition untergeordnet ist, und in der Form eines besonderen Objektes, das eine beurtheilende Nebenbestimmung bildet, auf den Hauptbegriff des Satzes sich zurückbezieht; woraus ebenso sehr ihre Struktur im Accusativus als dezen lockere Verknupfung mit dem Verbum hervorgeht. Ihrer Natur nach kann sie als subjektiver Beisatz allein den Sinn eines Prädikats aussprechen.*«

(3) Cyrillus Alexandrinus (Hom. Paschal. XXII; apud Suicerum ad voc. *λατρεια*): *Λογικην λατρειαν την του ανθρωπου καλεῖ καθιερωσιν, αντιπαρεξαγων το χρημα ταις κατα νομον θυσιαις· ου γαρ λογικη λατρεια το δρωμενον ην, βουθυσιαι δε μαλλον.*» *Cultum λογικον hominis consecrationem appellat eumque legalibus sacrificiis opponit; id enim quod fiebat non erat cultus λογικος, sed mactationes potius boum.*

adhibuit Petrus Apostolus (1 Petr. II. 2) dicens: το λογικον γαλα επιποθησατε. Sed omnino huc facit illud Athenagoræ (Legat. pro Christian. p. 106, apud *Fritsche*): *Τι δε μοι ὁλοκαυτωσεων, ὧν μη δεῖται ὁ Θεος; καιτοι προσφερειν δεον αναιμακτον θυσιαν και την λογικην προσαγειν λατρειαν.* Vocem λατρεια, *cultus*, Vulgatæ auctor hoc loco et iterum Cap. IX. 4 reddidit *obsequium*. Non rectè; sed fortasse quo tempore scribebat usus loquendi is erat ut *obsequium* etiam de cultu religioso diceretur.

ỳ. 2. *Et nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in novitate sensus vestri;)* Auctor Vulgatæ videtur hoc loco legisse Imperativos συσχηματιζεσθε et μεταμορφουσθε. Sed huic lectioni omnino præferenda est illa quæ pro duobus Imperativis exhibet Infinitivos duos, συσχηματιζεσθαι et μεταμορφοῦσθαι. Hi autem Infinitivi per Conjunctionem και junguntur antegresso (ỳ. 1.) Infinitivo παραστῆσαι, pariterque pendent a Verbo Finito παρακαλῶ (ỳ. 1.). Συσχηματιζεσθαι τινι (Med.) notat *sibi sumere idem* σχημα (*eumdem habitum*), *quod habet alter, conformare se alicui*. Cf. 1 Petr. 1. 14. Ὁ αἰών οὗτος, *sæculum hoc*, per Metonymiam hic dicitur de *hujus sæculi hominibus* quatenus impii sunt moribusque corrupti. Cf. Gal. I. 4. Dicitur autem *sæculum hoc*, quatenus opponitur sæculo *futuro*. Cf. Ephes. 1. 21. Luc. XVIII. 30. Itaque sensus est: *Nolite corrupti hujus sæculi imitari mores*. Μεταμορφουσθαι (Med.) quum opponatur antegresso συσχηματιζεσθαι, *configurare se*, significat *transfigurare se*. Τῇ ἀνακαινωσει est Dativus *normæ secundum quam*, ut τῷ εθει Act. XV. 1, et τῷ αυτῳ πνευματι 2 Cor. XII. 18. Adeoque monet illos Apostolus, ut pro moribus quos habuissent antequam justificarentur novique homines fierent in Christo, nunc totâ vitæ suæ ratione eos exprimant mores qui conveniant mentis illi innovationi, quæ per gratiam Justificationis ipsis obtigisset. Confer loca parallela, Cap. VI. 4 et VII. 6.

ut probetis quæ sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta.) Græcè εἰς τὸ δοκιμαζειν ὑμας, ubi εἰς Præpositio dicitur *de effectu* quem habere debeat μεταμόρφωσις sive *transfiguratio* illa de qua hic agitur. Εἰς Præpositio hoc sensu passim in epistolis Paulinis occurrit, veluti Rom. 1. 20. VI. 12. VII. 5, alibi. Itaque εις το δοκιμαζειν ὑμᾶς valet ὥστε δοκιμαζειν ὑμᾶς, et reddendum est: *ita ut probetis*. Est autem δοκιμαζειν, (Vulg. *probare*) hoc loco non *approbare*, sicut infra Cap. XIV. 22, sed *explorare*, *examinare*, ut 1 Cor. XI. 28. XIII. 5. Gal. VI. 4. Itaque vult Apostolus ut diligenter exquirant quid ab ipsis fieri velit Deus, quæ studia, quas actiones in ipsis desideret, adeòque quomodo ex Dei voluntate vitam suam omnem instituere debeant. Sed quod ibi additur το αγαθον, και ευαρεστον, και τελειον, non sunt hæc tria Epitheta quibus το θελημα του Θεου describatur, sed sunt Adjectiva Substantivè sumta, totaque hæc pars *Appositio* est ad antegressum το θελημα του Θεου: *ita ut exquiratis quid velit Deus*, (ut

exquiratis) τὸ *bonum Deoque gratum atque perfectum*. Non erat necesse ut Articulus ter poneretur, quum ibi propriè non nisi res *una* exprimatur. Ab iis qui mallent cum auctore Vulgatæ verba illa, *το αγαθον, και ευαρεστον, και τελειον*, habere pro epithetis, edoceri cupiam quid intelligant *voluntatem* Dei *beneplacentem*; item an sit etiam quæpiam Dei voluntas *non bona* aut *non perfecta*.

℣. 3—8. Dico enim per gratiam quæ data est mihi, omnibus qui sunt inter vos: Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem: et unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei. [4] Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent: [5] ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.

℣. 3—8. *Λέγω γὰρ διὰ τῆς χάριτος τῆς δοθείσης μοι, παντὶ τῷ ὄντι ἐν ὑμῖν, μὴ ὑπερφρονεῖν παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν, ἀλλὰ φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν, ἑκάστῳ* a) *ὡς ὁ Θεὸς ἐμέρισε μέτρον πίστεως.* [4] *Καθάπερ γὰρ ἐν ἑνὶ σώματι μέλη πολλὰ ἔχομεν, τὰ δὲ μέλη πάντα οὐ τὴν αὐτὴν ἔχει πρᾶξιν·* [5] *οὕτως οἱ πολλοὶ ἓν σῶμά ἐσμεν ἐν Χριστῷ, ὁ δὲ* b) *καθ' εἷς ἀλλήλων μέλη.*

Paraphrasis. Jubeo nempe per auctoritatem Apostolicam divinitùs mihi concessam, idque, nullo discrimine, unicuique ex cœtu vestro, ut nemo vestrum sit immodicus sui æstimator, plus æquo sibi arrogans, sed ut de se sentiat ita ut sane et juste de se existimet, seque contineat intra fines doni et officii, quod Deus illi concesserit. Nam quemadmodum in uno nostro humano corpore multa habemus membra, varia autem illa membra non habent officium omnia idem, ita quoque nos Christiani, qui multi sumus, unum efficimus mysticum quoddam corpus in Christo, singuli autem sumus alter alterius membra; alter alterius operâ indigemus, nec possumus singuli omnia.

VARIANS LECTIO.

a) Ante ἑκάστῳ, *unicuique*, Vulgata habet *et*, sed hanc Particulam nullus Græcus Codex agnoscit. Abest etiam ab antiqua Itala.

b) Pro ὁ δὲ est in Codd. ABD*G τὸ δέ.

℣. 3. *Dico enim per gratiam quæ data est mihi omnibus qui sunt inter vos, cet.*) A superiore admonitione, quæ generalis erat, jam transit Apostolus ad danda specialia quædam morum præcepta Romanis Christianis nunc opportuna. *Γαϱ* Particula non est hic *ratiocinantis*, sed mentem suam distinctius *declarantis*, valetque *scilicet*, *nempe*, ut passim alibi. *Gratiam sibi datam* Apostolus hoc loco intelligit Apostolicam suam auctoritatem *gratuitò* illi a Christo collatam. Cf. Ephes. III. 8. Rom. XV. 15. Gal. II. 9. Ex quo consequitur, *λεγω* verbum hic valere *edico*, *præcipio*, sicut Matth. XXIII. 3. *Διὰ*, *per* illam auctoritatem præcipio. Ab illo *λεγω* pendent qui sequuntur Infinitivi *ὑπεϱφϱονειν* et *φϱονειν*. Bene Estius (ad h. l.): Post generalem admonitionem, specialia daturus præcepta, ne videatur arroganter agere quod Romanis præcipiat, allegat auctoritatem suam apostolicam. Verum et id facit modestè, vocans apostolatum suum *gratiam*, id est, munus gratuitò sibi a Deo collatum et commissum; simul innuens se quod facit, facere ex officii necessitate. » Pertinet autem, quod primo loco heic dat præceptum, ad rectum usum charismatum; et disertè declarat se illud præceptum dare, nullo discrimine gentis, ordinis, officii, *cuilibet ex cœtu Romanorum Christianorum* (*παντι τῳ οντι εν ὑμιν*).

non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem;) Græce est hic elegans quædam *paronomasia* sive *agnominatio* [1], quam Latinus interpres imitari non potuit. *Φϱονειν* verbum, quod quater hic legitur, ubique notat *sentire* (de se), quo sensu Galli dicunt *avoir de soi une opinion humble*, *trop haute*, cet. Itaque compositum verbum *ὑπεϱφϱονειν* est *justo præclarius de se sentire*; quod additur *παϱ' ὁ δεῖ φϱονειν*, *ultra id quod oportet de se sentire*, eo explicatur antegressum *ὑπεϱφϱονειν*. *Σωφϱονειν* autem in præsenti oratione significat *sano modo* adeòque *non justo præclarius de se sentire; arrogantem non esse*. Et *sanum* illum *de se sentiendi modum* Apostolus statim ibi definit, addens: *ἑκαστῳ ὡς* (*trajectio* pro *ὡς ἑκαστῳ*) *ὁ Θεος ἐμεϱισε μετϱον πιστεως*, *prout unicuique Deus distribuit mensuram fidei*, hoc est, *pro eâ gratiæ mensurâ, majore, minore, quam cuique Deus admetiri voluerit*. Nimirum *πιστις*, *fides*, hoc loco (cf. ℣. 6) per Metonymiam *causæ pro effectu* dicitur de *charismatibus* [2] sive donis vel *gratiis gratis datis*, ut loquuntur Theologi, quæ in primitiva Ecclesia fidelibus a Spiritu sancto conferri solebant. Fides enim veluti causa erat sive radix unde varia illa charismata fidelibus, aliis

(1) Nostrates *woordspeling* vocant.

(2) S. Chrys. (Hom. XX. in Ep. ad Rom,): πιστιν ενταῦθα το χαρισμα καλῶν, h. e. *fidem ibi charisma vocans*. Theodoretus (ad h. l.): Διδασκει δε και τα του φρονηματος μετρα· ἑκαστῳ ὡς ὁ Θεος εμερισε μετρον πιστεως, την χαριν ενταυθα πιστιν εκαλεσε. Δια γαρ πιστεως ἡ της χαριτος δοσις. h. e. *Docet etiam mensuram sentiendi de se: Unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei. Gratiam hoc in loco vocavit fidem. Per fidem enim dabatur charisma.*

alia, pro Dei arbitrio, provenirent. Præpositio εἰς ibi dicitur *de effectu* valetque ὥστε, *ita ut*. Sensus ergo præsentis versiculi hic est : *Nemo immodicus sui æstimator sit, plus æquo sibi arrogans, sed de se sentiat ita ut* (εἰς) *sane et justè de se existimet, seque contineat intra fines charismatis quod illi Deus concesserit.* Quamquam verò non distinctè significavit Apostolus, quodnam vitium hic reprehendere voluerit, attamen ex institutâ comparatione (4—5) atque etiam ex iis quæ ibi subdit (6—8), satis certò colligitur in eo peccatum fuisse a Romanis quod non se continerent intra fines officii aut doni divinitùs sibi tributi, verum alii aliorum munera sibi arrogarent, seque ingererent in ea quæ ad se non pertinerent.

℣. 4.—5. *Sicut enim in uno corpore multa membra habemus . . . . ita multi unum corpus sumus in Christo*, cet.*)* Jusserat ergo Apostolus, debere unumquemque in suo charismate acquiescere, non alienum sibi arrogare, sed contentum esse eo charismate quod cuique Deus concessisset. Et hoc præceptum nunc comparatione illustrat (γάρ) idque ita ut simul distinctius illud explicet. Similitudinem autem desumit a corpore humano ; aptissimè ; loquebatur enim de mystico Christi corpore, quod est Ecclesia. Dicit ergo : *Nam quemadmodum in u n o nostro humano corpore m u l t a habemus membra, varia autem illius membra officium non habent omnia idem, ita quoque nos Christiani, qui m u l t i sumus* (οἱ πολλοί), *u n u m efficimus mysticum quoddam corpus in* Christo, *singuli autem sumus alter alterius membra ;* alter alterius operâ indigemus, nec possumus singuli omnia.

Πρᾶξις (Vulg. *actus*) hic dicitur de *officio*, cui unumquodque corporis membrum præest. Occurrit hoc sensu πρᾶξις vox apud Siracidem (Cap. XI. 10), et Xenophontem (Mem. II. 1. 6). Sumus *multi unum* corpus in Christo, cui per Baptismum fuimus veluti incorporati. Vide supra ad Cap. VI. 11.— Ὁ δὲ καθ' εἷς solœcum est pro ὁ εἷς καθ' ἕνα (l'un sur l'autre) i. e. *singuli.*

℣. 6—9. Habentes autem
donationes secundum gra-
tiam, quæ data est nobis,
differentes : sive prophetiam
secundum rationem fidei,
7 sive ministerium in minis-
trando, sive qui docet in
doctrina, 8 qui exhortatur
in exhortando, qui tribuit
in simplicitate, qui præest

℣. 6—9. Ἔχοντες δὲ χα-
ρίσματα κατὰ τὴν χάριν
τὴν δοθεῖσαν ἡμῖν διά-
φορα, εἴτε προφητείαν,
κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς
πίστεως· 7 εἴτε διακο-
νίαν, ἐν τῇ διακονίᾳ·
εἴτε ὁ διδάσκων, ἐν τῇ
διδασκαλίᾳ· 8 εἴτε ὁ
παρακαλῶν, ἐν τῇ παρα-

Paraphrasis. Quum autem habeamus charismata pro vario Dei favore varia, si prophetiæ donum habeamus, utamur illo dono secundum mensuram scientiæ divinitùs nobis concessæ. Si quod diaconium nobis obtigerit, in eo simus toti. Si docendi gratiam quis obtinuerit, doceat ; si exhortandi, exhortetur. Qui de suo erogat in pauperes, sincero hoc fa-

in sollicitudine, qui miseretur in hilaritate.	*κλήσει· ὁ μεταδιδοὺς, ἐν ἁπλότητι· ὁ προϊστάμενος, ἐν σπουδῇ· ὁ ἐλεῶν, ἐν ἱλαρότητι.*	ciat animo. Qui aliis præest, diligenter hoc agat. Cui commissa est cura miserorum, hilari animo hoc officio fungatur.

℣. 6—9. *Habentes autem donationes secundum gratiam, quæ data est nobis, differentes, sive prophetiam, cet.)* Participium *εχοντες* non pendet ab antegresso *εσμεν* *sumus*, sed nova ab hoc Participio incipit sententia, et *transit* (*δε*) ibi Apostolus ad applicationem antegressæ comparationis (℣. 4. 5), quo disdinctius doceat, id quod præcepto suo (℣. 3) volebat, scilicet, suo quemque debere uti dono, suo gnaviter fungi officio, nec ea quæ aliorum sunt dona et officia sibi arrogare. Sed est Apostoli oratio hoc loco singulari quodam modo elliptica. Tu ut plenam facias, puta Apostolum dixisse ita: *ἔχοντες δε χαρισματα κατα την χαριν την δοθεισαν ἡμιν διαφορα, ειτε προφητειαν εχοντες, κατα την αναλογιαν της πιστεως προφητεύωμεν, ειτε διακονιαν εχοντες, εν τῃ διακονιᾳ ὦμεν·* (hic variat orationis forma) *ειτε ὁ διδασκων εστι, εν τῃ διδασκαλιᾳ εστω· ειτε ὁ παρακαλῶν εστι, εν τῃ παρακλησει εστω·* (denuò variat orationis forma) *ὁ μεταδιδους, εν ἁπλοτητι μεταδιδοτω· ὁ προϊσταμενος, εν σπουδῃ προϊστασθω· ὁ ελεων, εν ἱλαροτητι ελεεῖτω.* Simile ellipticæ orationis exemplum est in loco parallelo S. Petri (1 Petr. IV. 9—11): *Εκαστος καθως ελαβε χαρισμα, εις ἑαυτους αυτο διακονουντες, ὡς καλοι οικονομοι ποικιλης χαριτος Θεου. Ει τις λαλεῖ, (λαλειτω) ὡς λογια Θεου· ει τις διακονεῖ, (διακονειτω) ὡς εξ ισχυος ἧς χορηγει ὁ Θεος.* Vulgata: *Unusquisque, sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei. Si quis loquitur,* (loquatur) *quasi sermones Dei; si quis ministrat,* (ministret) *tamquam ex virtute, quam administrat Deus.* Nec multum dissimile est illud Epicteti (apud Fritschium ad h. l.): *Θελετ᾽ εις Ῥωμην* (scil. *αγεσθαι με*); *εις Ῥωμην* (scil. *απερχομαι.*) *Εις Αθηνας; εις Αθηνας. Εις φυλακην; εις φυλακην.* h. e. *Vultis-ne me Romam (ducere)? Romam (eo). Athenas? Athenas (eo). In carcerem? In carcerem (eo).*

Sensus est: *Quum autem habeamus charismata pro vario Dei favore varia, si prophetiæ donum habeamus, utamur illo dono secundum mensuram gratiæ nobis concessæ* (*κατα την αναλογιαν της πιστεως*); *si diaconatûs officium nobis* (*διακονία*) *obtigerit, in eo simus toti; si docendi gratiam quis obtinuerit, doceat; si admonendi, admoneat. Qui de suo erogat in pauperes* (*ὁ μεταδιδους*), *sincero hoc faciat animo* (*εν ἁπλοτητι*); *qui aliis præest* (*ὁ προϊσταμενος*), *diligenter hoc agat* (*εν σπουδῃ*); *cui commissa est cura miserorum* (*ὁ ελεων*), *hilari animo hoc officio fungatur* (*εν ἱλαροτητι*).

Quod dicit Apostolus, *κατα την χαριν την δοθεισαν ὑμιν*, *secundum gratiam nobis datam*, *την χαριν* sive *gratiam* intelligit Dei *favorem* quo tributa sunt *χαρισματα* sive *dona*, aliis alia; et *κατα* Præpositio ibi dicitur de *norma secundum quam;* ut sensus sit: *quum autem habeamus charismata pro vario Dei favore varia.*

De *Prophetiæ* dono et generatim de *charismatibus* diximus quædam in Commentario ad Act. Cap. II. ✝. 17. XI. 27. XIII. 1. XIX. 6. XX. 23. Quod autem dicit Apostolus *κατα την αναλογιαν της πιστεως*, Vulg. *secundum rationem fidei*, *πιστις* vox metonymice dicitur, ut supra ✝. 3, de dono sive charismate divinitùs concesso [1]; *αναλογια* autem ibi intelligitur *proportio*, *ratio* [2], *quantitas;* adeòque *κατα την αναλογιαν της πιστεως* tantundem est ac *κατα το μετρον της πιστεως*, quod recte jam vidit Syrus interpres; nam præsentem locum reddidit: ܐܝܟ ܡܫܘܚܬܐ ܕܗܝܡܢܘܬܗ h. e. *secundum mensuram fidei suæ*, i. e. prophetici doni sui [3]. Monet Apostolus, ut qui prophetiæ charisma accepit, prophetam agat secundum mensuram scientiæ divinitùs sibi concessæ, nec quidquam suopte ingenio comminiscatur. De *anologia fidei*, sensu theologico, hoc est, de congruentia sive convenientia doctrinæ cujuspiam cum Fidei articulis, nullo modo hoc loco sermo est.

✝. 7. *sive ministerium, in ministrando.*) Sed Græce est: *ειτε διακονιαν* (scil. *εχοντες*), *εν τῃ διακονιᾳ*, *sive ministerium*, *in ministerio.* Auctor Vulgatæ rectè vidit, *διακονια* vocem bis hic repetitam, priore quidem loco dici de ipso *διακονιας* officio cuipiam concesso, secundo verò loco de illius officii *functione;* quare scitè vertit *in ministrando.* Sed heic disputatur utrum *διακονια* vox stricto sensu accipienda sit de officio *diaconatûs* (Act. Ap. Cap. VI. 1—6), an verò referenda sit latiori sensu ad ministerium ecclesiasticum universum, ita nempe ut præter dia-

---

(1) Theodoretus *κατα την αναλογιαν της πιστεως* interpretatur: *τῃ ἑκαστου πιστει μετρεῖ την χαριν ὁ των αγαθων χορηγος*, h. e. *pro uniuscujusque fide gratiam metitur bonorum largitor;* quasi Apostolus dicere voluerit, distribui donum propheticum, minori, majori mensurâ, pro magnitudine fidei quam quis habuisset. Sed hanc interpretationem Estius improbavit; recte, ut mihi quidem videtur. « Constat enim, inquit, id simpliciter non esse verum. Multi quippe magnam fidem habent, dono prophetiæ penitus destituti. Neque nunc docere vult Apostolus, quomodo hæc charismata acquirantur, sed quomodo sit iis utendum.»

(2) Veluti in hoc Ciceronis (ad Attic. VI. 3.): *Pro ratione pecuniæ liberalius est Brutus tractatus quam Pompejus.*

(3) *Αναλογια* vox hoc sensu passim occurrit; exempla collegit Wetstenius ad Rom. XII. 6. Addatur hoc S. Justini (Apol. II. 50. apud Ad. Maier ad h. l.): *προς αναλογιαν ὧν ελαβε των δυναμεων παρα Θεου.* Et *αναλογειν* verbo hoc sensu usus est S. Basilius (in Ps. 1. apud Suicerum ad vox *αναλογεω*): *Οικοδομοι μεγεθη κατασκευασματων εις ὑψος αιροντες, αναλογουντας τῳ ὑψει τους θεμελιους ὑποβαλλονται.*

conatum etiam episcopatum et presbyteratum complectatur. Est sane cur videatur posterior hæc sententia priori præferenda. Nam si diaconatum proprie ita dictum cogitasset Apostolus, scripsisset την διακονιαν cum Articulo; nunc verò quia indefinitè loquitur, videatur cujuscumque gradûs ministerium ecclesiasticum significasse. Sed contra est, quod infra (ỷ. 8: ὁ προϊσταμενος) illi qui gubernandæ ecclesiæ præsunt specialiter designari videntur. Nisi forte quod ibi dicitur ὁ προϊσταμενος referendum sit ad prælaturam aliquam alterius generis et inferioris ordinis quam sit aut episcopatus aut presbyteratus; puta ad eam, quam 1 Cor. XII. 28 Apostolus vocat κυβερνησεις, *gubernationes*.

Deinde memorantur charismata *docendi* (ὁ διδασκων), et *exhortandi* (ὁ παρακαλῶν), quæ duo diversa sunt dona. Sequitur ὁ μεταδιδους, Vulg. *qui tribuit*. Interpretes non pauci existimant designari ibi donum et officium publicas eleëmosynas in pauperes distribuendi. Sed contra est, quod officium hoc pertinebat ad diaconatum de quo supra (ỷ. 7) jam sermo fuerat; item, quod ex usu loquendi μεταδιδοναι significat non *largiri de alieno*, quod est διαδιδόναι, sed *de suo*. Alii ergo maluerunt τὸν μεταδιδόντα intelligere talem, cui hoc donum divinitùs esset concessum ut liberalem se præstaret erga egenos. In qua sententia fuêre etiam S. Chrysostomus (Hom. XXI in Ep. ad Rom.), Theodoretus (ad h. l.), Photius [1] (apud Oecumenium ad h. l.) aliique ex antiquis. Quod additur εν ἁπλοτητι, *in simplicitate*, id quidem retulerim *ad mentem qua* quis de suo largiatur, et putaverim Apostolum præcipere, ut qui de suo largiatur, hoc faciat non vanâ quâdam gloriâ ductus, ut scilicet beneficus videatur, sed ut egentibus succurrat. Chrysostomus tamen (Hom. XXI.) illud εν ἁπλοτητι interpretatur μετα δαψιλειας, h. e. *liberaliter*, *largiter*.

De προστασιᾳ supra jam diximus. Quod superest, ὁ ελεῶν, εν ἱλαροτητι, eo significari videtur tale aliquod charisma, quod vim suam exereret in *miserendo* puta ægrotantium et aliorum miserabilium hominum; vult autem Apostolus ut hoc fiat εν ἱλαροτητι, *hilariter*. Huic enim operi misericordiæ, quod Estius hic notat, valde convenit hilaritas; ut ii quos morbus affligit et contristat, ex alacritate et promptitudine eorum a quibus juvantur, capiant consolationem.

---

(1) Επειδη τα χαρισματα, ἤ εν δοσει την ενεργειαν αυτων επιδεικνυσιν, ἤ εν προστασιᾳ, ἤ εν ελεῳ, φησιν, ὁτι ουχ ἁπλως ταυτα δει επιτελεῖν, αλλα διδοναι μεν μετα ἁπλοτητος και χαρας, ουχ ὡς ζημιουμενον τι, αλλα μαλλον κερδαινοντα, και προΐστασθαι μη αμελως, αλλ' ὡς ὑπερ ἑαυτου σπουδάζοντα, και ελεεῖν ἱλαρως και ευθυμως, ὡς αυτον τι καρπουμενον. h. e. *Quoniam dona vel in impertiendo suam ostendunt efficaciam, vel in præsidendo, vel in miserando, dicit quod non utcumque hæc exhibere debeamus, sed dare cum simplicitate et gaudio, non quasi damnum patientes, sed potius quasi lucrum facientes; et præesse non negligenter, sed quasi nostras res agentes: et misereri hilari promptoque animo, quasi ipsi fructum quempiam inde ferremus.*

Ceterum, de variis charismatibus distinctius et copiosius, Deo volente, dicturi sumus in Commentario in epistolam ad Corinthios priorem, ad Cap. XII, quum illic propria sit tractandæ illius quæstionis sedes.

℣. 9—13. Dilectio sine simulatione. Odientes malum, adhærentes bono : [10] Charitate fraternitatis invicem diligentes : Honore invicem prævenientes : [11] Sollicitudine non pigri : Spiritu ferventes : Domino servientes : [12] Spe gaudentes : In tribulatione patientes : Orationi instantes : [13] Necessitatibus sanctorum communicantes : Hospitalitatem sectantes.

℣. 9—13. Ἡ ἀγάπη, ἀνυπόκριτος· ἀποστυγοῦντες τὸ πονηρὸν, κολλώμενοι τῷ ἀγαθῷ. [10] Τῇ φιλαδελφίᾳ εἰς ἀλλήλους φιλόστοργοι· τῇ τιμῇ ἀλλήλους προηγούμενοι. [11] Τῇ σπουδῇ μὴ ὀκνηροὶ, τῷ πνεύματι ζέοντες, τῷ Κυρίῳ a) δουλεύοντες. [12] Τῇ ἐλπίδι χαίροντες, τῇ θλίψει ὑπομένοντες, τῇ προσευχῇ προσκαρτεροῦντες. [13] Ταῖς χρείαις τῶν ἁγίων κοινωνοῦντες· τὴν φιλοξενίαν διώκοντες.

Paraphrasis. Sit amor in proximum sincerus minimeque fucatus. Quod malum est aversemini, bono adhærescite. Ad fraternam charitatem quod attinet, tenerrimo amore invicem vos prosequamini ; in præstanda mutua observantia, unus alterum præveniat. In studio christianæ pietatis minime segnes sitis, sed contra animo ferventes, memores non hominis cujuspiam sed CHRISTI servos vos esse. Ob spem futuræ retributionis gaudentes estote, in rebus afflictis constantes, piis precationibus assiduè vacantes. Fratrum vestrorum egestati de vestris facultatibus succurrite ; hospitalitatem erga Christianos peregrinantes diligenter exercete.

VARIANS LECTIO.

a) Pro τῷ Κυρίῳ est τῷ καιρῷ in Codd. D*FG, sed lectionem τῷ Κυρίῳ exhibent reliqui Unciales et antiquæ versiones fere omnes, ut et Græci Patres. Itaque ambigendum non est quin hæc lectio alteri sit præferenda.

℣. 9. *Dilectio sine simulatione. Odientes malum, adhærentes bono ;* cet). Post particularia illa monita (℣. 3—9.) de recto usu charismatum, Apostolus, nulla

transitione utens, deinceps (ỳ. 9 — 21) conciso sermone sigillatim ad varias animi virtutes exercendas Romanos suos adhortatur. Ἡ αγαπη ανυποκριτος, scil. ἔστω. *Amor vester in proximos sit* ανυποκριτος, *non larvatus*, non fucatus, germanus, sincerus, non simulatus sed ex animo proveniens. Nota ellipsin Imperativi ἔστω, cujusmodi ellipseos exempla alia habes Hebr. XIII. 4. 5. De hac Ellipsi videsis Kuhnerum §. 417. *Anm.*

odientes malum, adhærentes bono.) Ea quæ hoc versu et tribus insequentibus leguntur Participia, subintellectum habent ἦτε, *sitis* [1]. Similis ellipsis occurrit quoque in hoc Hebr. XIII. 5: αρκουμενοι τοις παρουσιν. Sed αποστυγεῖν maluerim reddere *abhorrere*, idque ob verbi compositi Præpositionem απο et antitheticum κολλᾶσθαι *adglutinari* (significatione reflexivâ), Gallicè *s'attacher*. Intelliguntur ibi τὸ πονηρὸν et τὸ ἀγαθὸν *bonum* et *malum* morale (virtutes animi et vitia) generatim.

ỳ. 10. *Charitate fraternitatis invicem diligentes;*) Τῇ φιλαδελφιᾳ Dativus est *respectûs;* Gallice reddideris: *Quant a la charité fraternelle.* Idem dictum puta de Dativis duobus insequentibus: τῃ τιμῃ et τῃ σπουδῃ. Sicut αγαπη vox in universum dicitur de amore erga proximum, ita φιλαδελφια usurpatur speciatim de amore illo quo fideles tamquam totidem fratres in Christo inter se conjungi debent. Cf. 1 Thess. IV. 9. Hebr. XIII. 1. 1 Petr. 1. 22. 2 Petr. 1. 7. Voces στοργη et φιλοστοργος de vehementiori amoris affectu dici solent, v. g. de eo amore quo proles et parentes mutuò sese amant. Vult ergo dicere Apostolus: Ad fraternam caritatem quod attinet, *tenerrimo amore* invicem vos prosequamini.

honore invicem vos prævenientes.) Τῃ τιμῇ, *ad honorem quod attinet.* Loquitur Paulus de mutua *observantia* inter pares. Προηγεῖσθαι (Med.) est *præire*, *præcedere.* Vult Apostolus ut in præstandâ mutuâ illâ observantiâ unus alterum *præveniat.* Confer Rabbinorum illud: כל שיודע בחברו שהוא רגיל ליתן לו שלום יקדים לו שלום h. e. *Quisquis novit quod proximus se salutare consueverit, præveniat illum salutando.* (apud Wolfium ad h. l.).

ỳ. 11. *Sollicitudine non pigri, spiritu ferventes, Domino servientes.*) Τῃ σπουδῇ, *ad studium quod attinet.* Sed cujusnam rei studium Apostolus hic potissimum commendare voluerit, non satis liquet. Attamen quum tria hujus versiculi membra non nisi unum præceptum continere videantur, ego quidem ob conjunctum τῷ Κυριῳ δουλευοντες existimaverim, Apostolum in universum intellexisse *studium christianæ pietatis.* Μη οκνηροι, *non pigri*, *non segnes*, sed contra τῷ πνευμάτι ζεοντες,

---

(1) Fritschius Anacoluthon ibi agnoscit, forsitan rectius. « Paulus, inquit, Nominativos (ỳ. 9—13) αποστυγουντες... διωκοντες ad sensum verbis ἡ αγαπη ανυποκριτος subjectum (αγαπᾶτε ανυποκριτως) accommodavit: *amor vester sit sincerus* (i. q. amate sincero animo), *abhorrentes*, cet. »

animo ferventes, memores non hominis cujuspiam sed Christi *servos* vos esse (τῷ Κυρίῳ δουλεύοντες).

℣. 12. *Spe gaudentes, in tribulatione patientes, orationi instantes.)* Τῇ ελπιδι est Dativus *rationis* sive *causæ*, sicut Rom. XI. 20 : τη απιστεία εξεκλασθησαν, *ob incredulitatem suam fracti sunt*. Itaque sensus est : *Gaudete ob spem* scilicet *futuræ retributionis*. Τῇ θλιψει videtur esse Dativus *temporis*, ut sit : *tempore calamitoso*, in rebus afflictis. Ὑπομενοντες (remanentes) *sustinentes*, *constantes*. Προσκαρτερουντες, *perseveranter insistentes*, assiduò vacantes, τη προσευχῃ, *piis precationibus*, puta ad divinum implorandum auxilium, quo carere non potest humana infirmitas.

℣. 13. *Necessitatibus sanctorum communicantes.)* Χρειαι intelliguntur ea quibus *opus* quis habet ad vitam tolerandam. Χρειας βιωτικας dixit Diod. Sic. II. 29.— Κοινωνειν, *in societatem venire*, *participem fieri* indigentiæ sive egestatis fratrum Christianorum (των ἁγιων), puta, de vestris facultatibus illis subveniendo. De των ἁγιων vide ad Philipp. 1. 1. Διωκειν *persequi*, et mox *studere*, *operam dare alicui rei*, et hic *exercendæ hospitalitati*. Bene Estius ad h. l.) : « Hospitalitati cumprimis studete, sedulo eam exercentes erga Christianos hospitio egentes, ne videlicet exponantur injuriis cœli aut malorum hominum, aut divertere cogantur apud infideles. Quam posteriorem rationem indicat S. Joannes in epistola ad Cajum. Neque enim ad eam hospitalitatem proprie hortatur quæ magnificentiæ pars est et non nisi a locupletibus exerceri potest, sed ad eam quæ est inter opera misericordiæ, de qua Christus in fine sæculi dicturus est : *Hospes eram et collegistis me*. »

℣. 14—16. Benedicite persequentibus vos : benedicite, et nolite maledicere. 15 Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus : 16 Idipsum invicem sentientes : Non alta sapientes, sed humilibus consentientes. Nolite esse prudentes apud vosmetipsos :

℣. 14—16. *Εὐλογεῖτε τοὺς διώκοντας ὑμᾶς· εὐλογεῖτε, καὶ μὴ καταρᾶσθε.* 15 *Χαίρειν μετὰ χαιρόντων, καὶ κλαίειν μετὰ κλαιόντων.* 16 *Τὸ αὐτὸ εἰς ἀλλήλους φρονοῦντες· μὴ τὰ ὑψηλὰ φρονοῦντες, ἀλλὰ τοῖς ταπεινοῖς συναπαγόμενοι. Μὴ γίνεσθε φρόνιμοι παρ' ἑαυτοῖς.*

Paraphrasis. Beneprecamini iis qui vos vexant, beneprecamini, inquam, illis, et nolite mala illis imprecari. Fratrum vestrorum res, sive prosperas sive adversas, veluti vestras reputetis ; de his verè doleatis, de illis ex animo gaudeatis. Estote eodem animi sensu erga vos invicem affecti, æquali amore invicem vos amantes. Alta et excelsa, talia, inquam, quibus super alios emineatis, nolite appetere, sed, minimè ambitiosi, ea quæ humilia sunt ne dedignemini. Neque videamini vobis eatenus sapere ut putetis aliorum prudentiâ et monitis facile carere vos posse.

℣. 14. *Benedicite persequentibus vos ; cet.)* Loquitur de hostibus Christiani nominis. Beneprecamini, inquit, iis qui vos persequuntur, affligunt, vexant, et nolite illis *imprecari mala* (*καταρᾶσθαι*). « Apud Homerum *ἀρᾶσθαι* est *precari*, quique pro populo orabat, *sacerdos*, *ἀρητήρ*. Apud Homero recentiores significat verbum *male precari*, *diris devovere*, qua vi semper *καταρᾶσθαι* ponitur, apud Atticos scriptores junctum *tertio* Casui, in Novo Testamento plerumque *quarto.*» Valcken. ad Luc. VI. 28.

℣. 15. *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus.)* Pro Imperativis adhibiti hic fuêre Infinitivi ; aut, quod rectius dixerim, Infinitivi ibi positi sunt elliptice [1]. Sensus patet. Nempe vult Apostolus ut fratrum res, sive prosperas sive adversas, veluti nostras reputemus ; de his verè doleamus, de illis ex animo gaudeamus ; in quo est profectò sinceræ charitatis argumentum.

℣. 16. *Idipsum invicem sentientes.)* Græca reddere maluerim : *idem erga vos invicem sentientes ;* h. e. eodem animi sensu erga (*εις*) vos invicem affecti. Congruit præsens sententia cum illa qua ad Philippenses dixit Apostolus (Cap. II. 2) : *την αυτην αγαπην εχοντες*, volens *ut æquali amore invicem sese prosequerentur*. Quod præceptum S. Chrysostomus explicat in hunc sensum : *Noli cum magna aliorum in te charitate fruaris, minorem ipsis præstare* [2].

non alta sapientes, sed humilibus consentientes.) Pertinent hæc ad commendandam *animi modestiam ;* et opportunè præceptum hoc additur superiori de æquali exhibendo amore ; quem exhibere profecto impediunt non parum vitiosa ambitio et superbi animi elatio. *Τα ὑψηλα φρονειν* est *alta*, *excelsa meditari et appetere*, talia, inquam, quibus super alios emineas. *Τοις ταπεινοις* (in Neutro ob antegressum Neutrum *τα ὑψηλα*) *συναπαγεσθαι* (Med.) valet *rebus humilibus pati se unà* (cum aliis) *abduci*. Vult Apostolus ut, *minimè ambitiosi*, *ea quæ humilia sunt ne dedignentur*. Ad

---

(1) Kuhner (§. 644. a): Der *Infinitiv* wird sehr haüfig bei den *Epikern*, zuweilen auch bei andern Dichtern und selbst auch attischen Prosaikern, als Ausdruck eines *Befehls statt des Imperativs* gebraucht. Der Infinitiv ist hier elliptisch zu erklären, indem man ihn als ein von einem gedachten, aber nicht ausgedrückten, Verb des Begehrens oder Wünschens oder Befehles abhängiges, das *Resultat* der Thätigkeit eines solchen Verbs bezeichnendes, Objekt ansehen muss. Die Beziehung der Begehrung, welche sich im Imperativ auf eine unmittelbare Weise darstellt, erscheint hier in dem Verhältnisse der *Abhängigkeit* von einem zu ergänzenden Verbalbegriffe, kann aber in der lebendigen Rede durch den Ton ausgedrückt werden. Der Infinitiv kann aber nur statt *der Zweiten Person des Imperativs* im Singular und Plural stehen.

(2) Hom. V in Ep. ad Philipp. *Ὁμοιως και φιλειν και φιλεισθαι. Μη συ μεν απολαυε της πολλης* (scil. *αγαπης*), *ελαττονα δε τοις αλλοις παρεχε.*

commendandam animi modestiam pertinet quoque id quod addit : *μη γινεσθε φρονιμοι παρ' εαυτοις*, quibus verbis Apostolus Romanos suos monet, ut ne *sua opinione* (*παρ' εαυτοις*) usque adeo sapere sibi videantur, ut putent se aliorum prudentiâ et monitis facile carere posse.

ỳ. 17—21. Nulli malum pro malo reddentes : providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus.
18 Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes :
19 Non vosmetipsos defendentes carissimi, sed date locum iræ. Scriptum est enim : Mihi vindicta : ego retribuam, dicit Dominus.
20 Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum : si sitit, potum da illi : hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus.
21 Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.

ỳ. 17—21. *Μηδενὶ κακὸν ἀντὶ κακοῦ ἀποδιδόντες, προνοούμενοι καλὰ* a) *ἐνώπιον πάντων ἀνθρώπων.*
18 *Εἰ δυνατὸν, τὸ ἐξ ὑμῶν, μετὰ πάντων ἀνθρώπων εἰρηνεύοντες.*
19 *Μὴ ἑαυτοὺς ἐκδικοῦντες, ἀγαπητοὶ, ἀλλὰ δότε τόπον τῇ ὀργῇ· γέγραπται γάρ· Ἐμοὶ ἐκδίκησις· ἐγὼ ἀνταποδώσω, λέγει Κύριος.*
20 *Ἐὰν οὖν* b) *πεινᾷ ὁ ἐχθρός σου, ψώμιζε αὐτόν· ἐὰν διψᾷ, πότιζε αὐτὸν· τοῦτο γὰρ ποιῶν, ἄνθρακας πυρὸς σωρεύσεις ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ.*
21 *Μὴ νικῶ ὑπὸ τοῦ κακοῦ, ἀλλὰ νίκα ἐν τῷ ἀγαθῷ τὸ κακόν.*

Paraphrasis. Nemini umquam malum pro malo inferatis, sed exercendis virtutibus studete sive rem habeatis cum fidelibus sive cum infidelibus. Vivite in pace cum hominibus sine discrimine omnibus, si fieri potest; si qui verò sint qui vicissim vobiscum in pace vivere recusent, vos ex vestra saltem parte pacem colite. A privata vindicta abstinete, carissimi, et Deo permittite vindictam. Scriptum est enim: *Mihi competit vindicta et ego retribuam.* Imo, si inimicus tuus inopiâ prematur, tu illi succurras; quod si feceris acutum quempiam illi intuleris dolorem ex pudore natum; quo fieri poterit ut resipiscat. Ne patiaris vinci te inimici tui malitiâ ut eâ abripiaris ad vindictam; sed contra da operam ut malitiam ejus tuâ vincas beneficentiâ.

VARIANS LECTIO.



a) In Codd. FG pro *ενωπιον παντων ανθρωπων* legitur *ου μονον ενωπιον του Θεου αλλα και ενωπιον ανθρωπων*. Vocem *παντων* exhibent (A *?) BD*** EJ et plurimæ versiones antiquæ. Existimaverim genuinam lectionem heic esse *ενωπιον παντων ανθρωπων*, reliqua vero (*ου μονον ενωπιον του Θεου αλλα και*) in nonnullos Codices irrepsisse ex glossemate ducto ex 2 Cor. VIII. 21; in qua sententia Estium quoque fuisse video.

b) Pro *εαν ουν* est *αλλα εαν* in Codd. AB. et nonnullis Minusculis; hanc lectionem Vulgata quoque exhibet.

ỳ. 17. *Nulli malum pro malo reddentes, providentes bona*, cet.). Romanos suos prohibet Apostolus malum malo rependere, si quis sive Christianus sive Ethnicus illos forte læsisset. Quod additur, προνοουμενοι καλα ενωπιον παντων ανθρωπων, *operam dantes recte factis* (καλα) *coram omnibus hominibus*, eo significat dandam esse operam exercendæ virtuti sive res sit cum fidelibus sive cum infidelibus. Et volebat Apostolus generali hoc præcepto specialiter illos monere, mansueti ut essent etiam erga infideles, si qua forte injuria ab his affligerentur.

ỳ. 18. *Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.*) Hortatur eos, in pace ut vivant cum hominibus sine discrimine omnibus, sive fidelibus sive infidelibus. Sed adimplendo huic præcepto obstare poterat quod aliqui recusarent vicissim pacem colere cum ipsis; ideò dicit: ει δυνατον, *si res fieri potest;* vult tamen ut eo in casu pacem colant *quantum quidem hoc pendeat ex ipsis* (το εξ ὑμων). Dictio το εξ ὑμων ad eam classem dictionum pertinet, in quibus Accusativus *adverbialiter* usurpatur. Idem est Accusativi usus in τοὐναντίον, τἀναντιά, τἆλλα, λοιπον, το δ᾽ὅλον, aliis. Cf. Kuhner §. 557. *Anm.* 4. Ceterum, quod Fritschius monuit (ad h. l.), hæc formula το εξ ὑμων raró legitur. Magis frequentantur formulæ: το γε επ᾽ εμοι, τοὐπ᾽ εμε, το εις εμε, το κατ᾽ εμε.

ỳ. 19. *Non vosmetipsos defendentes, carissimi, sed date locum iræ.*) Pro *defendentes* Græce est εκδικουντες, hoc est, *ulciscentes*. Præcipit Apostolus ne si quando læsi ab aliquo fuerint, illatam injuriam *ipsi* ulciscantur; vult autem *ut Deo vindictam permittant;* nam hoc, in præsenti quidem loco, valent verba ista, δοτε τοπον τη οργη. Idque probatur cum ex sensu antithetico qui illis verbis subesse debet, tum etiam ex sacræ Scripturæ testimonio quod Apostolus statim adducit ad confirmandum id quod dixerat, δατε τοπον τη οργη *date locum iræ.* Itaque ἡ οργη vox nude posita Dei *iram* hoc loco significat, quemadmodum et supra Cap. V. 9 et 1 Thess. I. 10. Ceterum ἡ οργη Θεου, *ira Dei*, per anthropopathiam dicitur pro condemnatorio Dei judicio aut pœna divinitùs infligenda.

scriptum est enim: Mihi vindicta; ego retribuam, dicit Dominus.) Allatus Scripturæ locus legitur Deuteron. XXXII. 35, hisce verbis: לִי נָקָם וְשִׁלֵּם h. e. *mihi* (competunt) *vindicta et retributio.* Septuaginta Interpretes locum reddiderunt liberius in hanc sententiam: εν ἡμερᾳ εκδικησεως ανταποδωσω. Itaque Apostolus in recitando hoc Scripturæ loco nec illos interpretes nec Hebraicum textum omnino secutus est; hujus tamen sensum perspicuè expressit.

---

(1) *Defendere* de *vindicando* et *ulciscendo* dixêre etiam profani scriptores Latini, licet non optimi, veluti Ulpianus (*Dig.* 38, 2, 14): *Si patris mortem defendere necesse habuerit.* Alia exempla dabit Facciolati, ad vocem *defendo.*

℣. 20. *Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, cet.*) Nexus hujus orationis cum antegressâ hic est: Non tantum non sumenda est privata vindicta ab eo qui te læserit, sed contra, si inimicus tuus necessitate aliqua prematur, subveniendum illi est; quod si facias acutum quempiam dolorem ex pudore natum illi inferes, quo fieri potest ut, superatus tuis beneficiis, cedat suamque inimicitiam deponat [1].— Notandum autem est, Apostolum hoc loco non suis verbis uti sed verbis Scripturæ; nam quod heic dicit, sumtum est hoc ex Proverbiorum Capite XXV. ℣. 21, ubi sic legitur:

אִם־רָעֵב שֹׂנַאֲךָ הַאֲכִלֵהוּ לָחֶם וְאִם־צָמֵא הַשְׁקֵהוּ מָיִם׃ כִּי גֶחָלִים אַתָּה חֹתֶה עַל־רֹאשׁוֹ וַיהוָה יְשַׁלֶּם־לָךְ׃

h. e. Si *esurierit is qui odio te habet* (osor tui), *ciba illum pane; et si sitiverit, pota illum aquâ; nam prunas* (carbones ardentes) *congeres* [2] *super caput ejus, et Jehova rependet tibi*, puta, pro beneficio quod inimico tuo impenderis. *Prunæ in* cujuspiam *caput aggestæ* proverbialiter dicuntur de *acerbo dolore* quo quis afficitur; et hoc quidem loco intelligendus est dolor qui nascatur ex pudore; quo pudore veluti ustus læsor tui, forsitan resipiscet eumque illatæ injuriæ pœnitebit. Origenes quoque ad hunc modum *prunas candentes in caput inimici congerendas* intellexit. « *Potest fieri*, inquit, *ut animus ferus ac barbarus inimici, si sentiat beneficium nostrum, si humanitatem, si affectum, si pietatem videat, compunctionem cordis capiat, commissi pœnitudinem gerat, et ex hoc ignis in eo quidam succendatur, qui eum pro commissi conscientia torqueat et adurat: et isti erunt carbones ignis qui super caput ejus ex nostro misericordiæ et pietatis opere congregantur.* Proverbiorum illum locum ad eumdem modum interpretatus est Rabbi Levi ben Gersom (ad Proverb. XXV. 21): כי זה הענין קשה לו כאילו אתה חותה גחלים על ראשו לשרפו מרוב בשתו על הטובה שיקבל תחת הרעה אשר גמלך:

h. e. *nam hæc res* (scil. quod inimicum tuum pane cibaveris et potaveris aquâ, i. e. inopiæ ipsius subveneris) *erit illi* (*tam*) *molesta quam si tu capiti illius imposueris prunas candentes ad urendum illum; idque propter magnum pudorem quo afficietur ex eo quod bonum recipit pro malo quo te affecit.* Concinit Aben Ezra (ad Proverb. XXV. 21):

בזכרו המאכל והמשקה שנתת לו תשרפנו כאילו גחלים הבאת כל ראשו לשרפו ויִשָּׁמר מעשות לך רע:

h. e. *Quando recordabitur cibum et potum, quem dedisti ei, adures eum quasi prunas ardentes congessisses super caput ejus, et cavebit sibi ne* ulterius *malum tibi faciat.*

---

(1) In hanc sententiam præsentem locum interpretatus jam est S. Hieronymus (apud Estium ad h. l.) « *Carbones ignis congregabis super caput ejus, non in maledictum et condemnationem, ut plerique existimant, sed in correctionem et pœnitudinem; ut superatus beneficiis, excoctus fervore charitatis, inimicus esse desistat.* »

(2) Hebraice est ibi verbotenus: *nam prunas tu capiens* (eris) *super caput ejus*; sed hoc *prægnanter*, ut loquuntur Grammatici, dictum est pro *capiens* (et *imponens* eris) *super caput ejus.*

Haririus, quod monet Gesenius (in *Thesauro Ling. Hebr. ad voc.* גַּחֶלֶת) vehementem animi dolorem simili metaphora vocavit *prunas cordis* [1].

℣. 21. *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.)* Sententia hæc veluti epiphonema est antegressæ (17—21) exhortationis. Sensus patet: Ne patiaris vinci te malitiâ inimici tui ita ut propter illatam ab eo injuriam tu ad vindictam ab illo sumendam abripiaris, sed contra da operam ut malitiam ejus vincas tuâ erga eum beneficentiâ. *'Ἐν* Præpositio ibi dicitur de *instrumento quo*, ut sæpe alibi.

---

(1) » Similiter Arabes *prunas cordis*, *ignem hepatis*, figurate dicunt de curis ardentibus deque animo æstuante et pudore suffuso. Har. V. in fine: *abiit* وَأَوْدَعَ قَلْبِى جَمْرَ ٱلْغَضَا *et reliquit cordi meo prunas tamariscinas*, i. e. curas diuturnas. Tamarisci enim prunæ ignem diu servant.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

ARGUMENTUM. *Pergit Apostolus particularia dare præcepta ad instituendam vitam bene Christianam pertinentia; et primo loco heic agit de præstanda obedientia civilibus Magistratibus tamquam Dei administris* (1—8). *Deinde adhortatur ad studium charitatis erga proximum* (8—11) ; *quam adhortationem roborat ducto argumento a temporis convenientia. Hinc vero dilabitur ad suadendam vitæ rationem sobriam , castam, ab omni luxuria et turpi libidine remotam* (11—14).

℣. 1—2. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit : Non est enim potestas nisi à Deo : quæ autem sunt, a deo ordinatæ sunt. 2 Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.

℣. 1—2. *Πᾶσα ψυχὴ ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις ὑποτασσέσθω· οὐ γάρ ἐστιν ἐξουσία εἰ μὴ ἀπὸ* a) *Θεοῦ· αἱ δὲ οὖσαι ἐξουσίαι* b), *ὑπὸ τοῦ Θεοῦ τεταγμέναι εἰσίν.* 2 *Ὥστε ὁ ἀντιτασσόμενος τῇ ἐξουσίᾳ, τῇ τοῦ Θεοῦ διαταγῇ ἀνθέστηκεν· οἱ δὲ ἀνθεστηκότες, ἑαυτοῖς κρίμα λήψονται.*

Paraphrasis. Unusquisque, nemine excepto, magistratibus sese subjiciat; nam divinæ originis est civilis potestas, et qui constituti sunt magistratus, divinâ ordinatione constituti sunt; adeoque divinæ ordinationi resistit qui magistratibus resistit. Qui autem resistunt, in futuro sæculo pœnas dabunt, nisi resipiscant.

VARIANS LECTIO.

a) Pro ἀπὸ est ὑπὸ in Codd. ABD***E**J et Minusculis bene multis. Sed lectio απο sine dubio alteri præferenda est. Rationem dat Fritschius (ad h. l.) :« Constat, inquit, *divinum esse*, hoc est, *a Deo originem repetere*, græce dici ειναι απο Θεου, ειναι παρα Θεου (Joh. IX. 33. cf. ℣. 30), ειναι εκ Θεου, non verò ειναι υπο Θεου. Ineptum ὑπο proxima verba ὑπο Θεου τεταγμέναι εισιν pepererunt. Nempe fuerunt antiquitùs qui verba αἱ δε ουσαι ὑπο Θεου male consociarent. Unica lectionem ει μὴ ὑπο Θεου expediendi ratio hæc est, ut verbis sequentibus τεταγμενη suppleas. Sed sic inanis tautologia *oritur* : non enim est magistratus nisi *a Deo constitutus*; quotquot autem (magistratus) sunt, *a Deo constituti sunt.* »

b) Vox εξουσίαι a plerisque Codd. uncialibus abest. Glossema est.

Gravi oratione Apostolus hoc loco (℣. 1—8) Romanos suos adhortatur ad præstandam civilibus magistratibus obedientiam. Nec inopportuna fuerit hæc admonitio si minus Ethnico-christianis, at certè Judæo-Christianis. Novimus enim Judaicam gentem Romano Imperio paruisse invitam et ad rebellandum perpetuò fuisse proclivem [1];

(1) Cf. Sueton. *Claud.* XXV. Et videsis quæ notavimus ad Act. XVIII. 2.

exortam quoque tempore Herodis M. sectam Galilæorum, qui negarent Judæis tributum pendendum esse alienigenis aut præter unum Deum quempiam Dominum esse appellandum [1]. Igitur facile fieri potuit ut Romani Christiani qui olim Judæi fuissent, falsam illam popularium suorum de civili libertate opinionem etiamnum foverent; id quod eo probabilius videtur, quòd Petrus scribens ad Judæos inter varias gentes dispersos, hos similiter ad præstandam civilibus magistratibus obedientiam graviter adhortatur. Vide 1 Petr. II. 13.

ỳ. 1. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.*) Πασα ψυχη refert Hebraicum כָּל־נֶפֶשׁ, quod valet *unusquisque*. Confer Levit. XVII. 12, et legesis quæ notavimus suprà ad Cap. II. 9. pag. 60. Pro πασα ψυχη Apostolus, nullâ sententiæ varietate, scribere ex æquo potuisset πας ανθρωπος. Puta hominem vocari *animam* (ψυχην) per Synedochen *partis pro toto*. Εξουσιαι, *potestates* (Belgice *magten*), abstracto nomine posito pro concreto, sicut Tit. III. 1., intelliguntur οἱ οντες εν εξουσιᾳ sive οἱ αρχοντες (ỳ. 3). Intelliguntur autem αρχοντες, *imperantes*, universim, h. e. omnes qui in re civili publicâ præditi sunt potestate, non verò intelliguntur *summi* imperantes tantum; nam epitheton illud ὑπερεχούσαι, *eminentes* [2], non fuit appositum ad distinguendum inter magistratus summos et inferiores, sed vocantur *eminentes* respectu *subditorum* sive eorum qui *non* sunt εν εξουσιᾳ [3]. Et verò quis crediderit Paulum præcipere voluisse præstandam obedientiam Imperatoribus tantum, non vero etiam aut provinciarum præsidibus, aut urbium pagorumve magistratibus? Ὑποτασσέσθω (Imperat. Med.) *subjiciat sese*. Non loquitur Apostolus de potestate ecclesiastica sed de laicâ tantum sive de civili magistratu; patet hoc ex contexta oratione. Confer ỳỳ. 4 et 7. Ceterum præceptum Pauli universale est, ut adeo ab illa præstandæ civilibus magistratibus obedientiæ lege eximatur nemo, puta, quatenus subditus est illorum potestati aut jurisdictioni. Nam et illud servandum est præceptum, quo jubemur *Deo potius obedire quam hominibus* (Act. V. 29), sicubi et his et Deo simul obedire non possimus.

---

(1) Cf. Matth. XXII. 17. Act. V. 37. Flav. Joseph. *Antiqq.* XVIII. 1. *De bello Jud.* II. 8.

(2) Auctor Vulgatæ vocem ὑπερεχούσαις reddidit *sublimioribus*; non satis recte. Obiter hic moneo, verbum ὑπερέχειν pertinere ad eam classem verborum *transitivorum*, quæ hic illic *neutraliter* usurpata leguntur. Cf. Winer §. 39.

(3) S. Thomas (ad h. l.) « *Potestates* autem *sublimiores* hic dicuntur homines in potestatibus constituti, quibus secundum justitiæ ordinem subjici debemus. Dicit autem indefinite, *potestatibus sublimioribus*, ut ratione sublimitatis officii eis subjiciamur. Concinit Salmeron (Disput. ad h. l.): « Per *potestates præeminentes*, inquit, homines intellige potestate publicâ præditos, sive reges sint, sive principes, sive duces, sive quicumque magistratus. »

non est enim potestas nisi a Deo.) Rationem (γαρ) dat Apostolus præmissi præcepti; et petita hæc ratio est ab ipsa origine potestatis. *Omne jus imperii*, inquit, *auctorem et largitorem habet Deum*, non hominem; neque hominibus illud obtingit ex sociali nescio quo contractu, verum ex divinâ institutione. Ergo jus imperii divinum est, non humanum.

quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt.) Ἁι δε ουσαι scil. εξουσιαι (de bestaande magten), *les puissances établies* [1]. Id quod modò dixerat Apostolus de imperii jure sive de potestate *in abstracto*, illud hic iterum affirmat de varii gradûs potestatibus *in concreto*, hoc est, de hominibus publicâ aliquâ potestate præditis, quos pariter docet fuisse non humano arbitrio sed *divinâ ordinatione constitutos*, imo et porrò constitui; puta, hominum ministerio, ut quorum arbitrio sicut Deus permisit reipublicæ gubernandæ rationem monarchicam, democraticam, aliam, ita quoque eisdem concessit deferre imperium quibus, quo modo, qua lege, potissimum vellent.

ỷ. 2. *Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt,* cet.) Concludit (ὥστε) ex præmissis: *Itaque* (ὥστε, h. e. quum civiles potates sive magistratus divinitus sint constituti), *quicumque Magistratui* (τῇ εξουσιᾳ) *sese opponit* (αντιτασσόμενος), *divinæ dispositioni* (διαταγῇ) adeoque ipsi Deo *resistit* [2]. Et minatur pœnas a resistentibus luendas, inquiens: *Qui autem resistunt divinæ dispositioni* (οἱ δε ανθεστηκοτες scil. τῃ του Θεου διαταγῃ), *sibi* (ἑαυτοις, in Dativo *incommodi*) *sententiam* (condemnatoriam) *accipient*, hoc est, *pœnas dabunt. Κριμα, judicium*, per metonymiam *de pœna* dicitur hic sicut supra Cap. II. 2. 3, quo sensu et respondens hebraicum מִשְׁפָּט legitur Exod. VI. 6. Λαμβανειν κριμα phrasis occurrit eodem sensu Matth. XXIII. 14, et Jacob. III. 1. *Pœnas* autem intellige quæ refractario pro ratione culpæ a Deo in futuro sæculo infligendæ sint, nisi resipiscat. « Ceterum, quod recte monet Estius (ad h. l.), injustis legibus, quoniam a legitima potestate seu potestatis usu non procedunt, aut non obedire, aut etiam adversus earum vim sese tueri, non est potestati resistere. Quamquam id vel ob metum majoris mali, vel ne scandalum detur infirmis, sæpe non expedit. »

---

(1) Herodotus (apud Raphel. ad h. l.) eodem sensu dixit τιμας τας εουσας: *Pisistratus Atheniensium imperio potitus*, ουτε τιμας τας εουσας συνταραξας, ουτε θεσμια μεταλλαξας, επι τε τοισι κατεστεῶσι εμενε, την πολιν κοσμεων καλως τε και ευ, *nullis qui tum erant magistratibus perturbatis, neque legibus mutatis, sed in præsenti statu manens, urbem bene ac pulcre exornavit.* Imo, *gubernavit*; sic enim κοσμεω verbum hoc loco reddendum erat.

(2) S. Thomas (ad h. l.): « Si enim potestas principum in quantum talis est, a Deo est, et nihil est a Deo sine ordine, consequens est, quod etiam ordo, quo inferiores potestatibus superioribus subjiciuntur, sit a Deo. Itaque qui contra hunc ordinem *resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Resistere autem divinæ ordinationi contrariatur honestati virtutis. Unde contra virtutem agit, quicumque potestati resistit in eo quod pertinet ad ordinem suæ potestatis. »

ỳ. 3—4. nam principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem ? Bonum fac : et habebis laudem ex illa : 4 Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time : non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est : vindex in iram ei, qui malum agit.

ỳ. 3—4. Οἱ γὰρ ἄρχοντες οὐκ εἰσὶ φόβος τῶν ἀγαθῶν ἔργων a), ἀλλὰ τῶν κακῶν. Θέλεις δὲ μὴ φοβεῖσθαι τὴν ἐξουσίαν, τὸ ἀγαθὸν ποίει· καὶ ἕξεις ἔπαινον ἐξ αὐτῆς· 4 Θεοῦ γὰρ διάκονός ἐστί σοι εἰς τὸ ἀγαθόν. Ἐὰν δὲ τὸ κακὸν ποιῇς, φοβοῦ· οὐ γὰρ εἰκῇ τὴν μάχαιραν φορεῖ· Θεοῦ γὰρ διάκονός ἐστιν, ἔκδικος εἰς ὀργὴν b) τῷ τὸ κακὸν πράσσοντι.

Paraphrasis. Nempe magistratus metuendus non est bonis sed malis. Quodsi vis non metuere magistratum, bonus esto, et laudabit te. Dei, inquam, minister est magistratus in tuum constitutus bonum, si tu vis esse bonus; si verò malè agas, est cur timeas; neque enim gladium portat sine causâ, sed ut eo utatur eumque stringat in malefactores; Dei enim minister est et vindex ad pœnam infligendam malefactoribus.

VARIANS LECTIO.

a) Pro των αγαθων εργων, αλλα των κακων legitur τῳ αγαθῳ εργῳ αλλα τῳ κακῳ in Codd. ABD*FG, item in antiquis nonnullis versionibus, ut et apud Patres nonnullos tam Græcos quam Latinos; et hanc lectionem alteri prætulerim, cum quòd testium numero et gravitate præstat, tum etiam quòd difficilior est alterâ et hæc glossema redolet.

b) Voces istæ, εις οργην, absunt a Codd. D*FG; quod tribuerim correctioni librariorum qui quum notio dictionis εις οργην jam contineretur antegressâ voce εκδικος, illud εις οργην redundare existimaverint, non animadvertentes voci εκδικος additum fuisse εις οργην ob antegressum εις αγαθον, idque antitheseos causâ.

ỳ. 3—4. *Nam principes non sunt timori boni operis, sed mali*; cet.) Nova heic ratio (γαρ) adducitur cur fas sit præstare civilibus magistratibus obedientiam; et petita illa ratio est *a fine ob quem* divinitus instituti sunt magistratus; qui finis est, publico prospicere bono; quare nefas sit negare illis obedientiam. *Nam*

magistratus, inquit, *metuendus non est bonis sed malis. Quodsi* (δε) *vis non metuere magistratum* (την εξουσιαν), *bonus esto, et laudabit te. Dei, inquam* (γαρ), *minister est magistratus in tuum* (σοι εις το αγαθον) *constitutus bonum* [1], *si tu vis esse bonus; si verò malè agas, est cur timeas; neque enim gladium portat sine causâ, sed ut eo utatur eumque stringat in malefactores; Dei enim minister est et vindex* (εκδικος) *ad pœnam infligendam* (εις οργην) *malefactoribus.*

In dictione ουκ εισι φοβος, quæ valet ουκ εισι φοβεροί, *abstractum* positum est pro *concreto.* Simili modo, quod notat Kypkius (ad h. l.), Menander (apud Stobæum Serm. 71. p. 431) dixit: εστι δε γυνη λεγουσα χρηστ' ὑπερβαλλων φοβος, *mulier verbis benigna maxime timenda est.*— Per quamdam prosopopœiam dictum est ibi τῳ αγαθῳ εργῳ αλλα τῳ κακῳ pro τῳ αγαθον εργον αλλα το κακον ποιουντι. Ut prosopopœiam ibi adesse putemus, suadet conjuncta vox φοβος; *metus* enim non cadit in opera sed in operantes. Εξ αυτης scil. εξουσίας. Particula γαρ (℣. 4) non infert rationem antegressæ sententiæ (*habebis laudem ex illâ*), sed confirmat superiorem illam qua dictum fuerat (℣. 3), *magistratum non esse timendum bene operanti.* Μαχαιρα, *gladius*, signum est juris vitæ ac necis; quod divinum est jus, non humanum: Οργη *ira*, per Metonymiam de *pœna* dicitur. »

℣. 5—7. Ideo necessitate subditi estote non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam. 6 Ideo enim et tributa præstatis: ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes. 7 Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.

℣. 5—7. Διὸ ἀνάγκη ὑποτάσσεσθαι a), οὐ μόνον διὰ τὴν ὀργὴν, ἀλλὰ καὶ διὰ τὴν συνείδησιν. 6 Διὰ τοῦτο γὰρ καὶ φόρους τελεῖτε· λειτουργοὶ γὰρ Θεοῦ εἰσιν, εἰς αὐτὸ τοῦτο προσκαρτεροῦντες. 7 Ἀπόδοτε οὖν b) πᾶσι τὰς ὀφειλάς· τῷ τὸν φόρον, τὸν φόρον· τῷ τὸ τέλος, τὸ τέλος· τῷ τὸν φόβον, τὸν φόβον· τῷ τὴν τιμὴν, τὴν τιμήν.

Paraphrasis. Igitur necesse est subjicere sese magistratibus, idque non solum propter evitandam pœnam quam irrogare possunt refractariis, verum etiam ut satisfaciamus conscientiæ nostræ dictanti obediendum esse divinæ voluntati. Nam ideo etiam debetis, sicut facitis, pendere illis tributa tamquam Dei ministris. Sunt enimvero Dei ministri, ipsum hoc officium, ut scilicet publico civium bono consulendo Deo ministrent, assiduò curantes. Reddite ergo magistratibus, quod cuique debetur: tributum poscenti, pendite tributum; vectigal exigenti solvite vectigal; reverentiam sui requirenti exhibete reverentiam; honorem postulanti date honorem.

---

(1) 1 Tim. II. 1: *ut quietam et tranquillam vitam agamus.*

VARIANS LECTIO.

a) Pro αναγκη ὑποτασσεσθαι legitur simpliciter ὑποτασσεσθε in Codd. DEFG, quam lectionem exhibent quoque antiqua Itala et *S. Irenæus;* et fieri potest ut hæc lectio genuinam referat Pauli scripturam. Quo casu dicendum sit lectionem αναγκη ὑποτασσεσθαι natam esse ex glossemate quod deinceps pro germana lectione ὑποτασσεσθε in textum fuerit admissum. Auctor Vulgatæ videtur legisse αναγκη ὑποτασσεσθε *necessitate subditi estote;* sed istiusmodi lectio nullos fere testes habet, imo nec congruit contextæ illius versiculi orationi.

b) Vocula ουν abest a Codd. ABD*.

℣. 5. *Ideò necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.)* Est heic *collectio* (διὸ) ex tota (℣. 1—4) antegressâ oratione in qua duo dixerat: *unum*, divinæ originis esse civilem potestatem et qui ea præditi sint magistratus, Dei esse ministros; *alterum*, eosdem constitutos quoque esse ad infligendas pœnas iis qui edictis illorum non obtemperent et malè agant. Itaque concludit (διὸ) esse *necessitatem* ethicam *subjiciendi se* (αναγκη ὑποτασσεσθαι Med.) magistratuûm imperio non solum *propter evitandam pœnam* (δια την οργην) et præsentem ultionem quam irrogare possunt refractariis, verum etiam (quum hæc sit Dei voluntas ut illorum imperio nos subjiciamus) *propter conscientiam* (δια την συνειδησιν), hoc est, ut satisfaciamus conscientiæ dictanti obediendum esse divinæ voluntati.

℣. 6. *Ideò enim et tributa præstatis; ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes.)* Dicit in Indicativo, *præstatis* (τελεῖτε [1]) *tributa*, significans id quod *fieri debet* per id *quod fit.* Obligationem autem tributa pendendi principibus Apostolus inde repetit, quòd sint λειτουργοι, *ministri* Dei.—Præsens versiculus cum antegresso cohæret hac ratione: *Nam ideò* (quia nempe principibus subditi esse debetis propter conscientiam) *ideò etiam* (και) *debetis*, *sicut facitis*, *pendere illis tributa* tamquam Dei ministris; *ministri enim Dei sunt principes*, *ipsum hoc officium* (εις αυτο τουτο), ut scilicet publico civium bono consulendo Deo inserviant, *assiduò curantes.* Λειτουργοι γαρ Θεου εισιν scil. οἱ αρχοντες, ex ℣. 3 supplendum. Προσκαρτερειν

---

(1) Prohibet antegressum γαρ quominus τελεῖτε pro Imperativo habeas.

quod construi solet cum Dativo, hic structum est cum Præpositione *εις*. Mutata heic structura videtur perspicuitatis causâ; nam *αυτῳ τουτῳ* si scripsisset Apostolus, referri illud potuisset ad antegressum *Θεου*.

℣. 7. *Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum, cet.*) Ex præmissis (℣. 1—7) rationibus jam *concludit* (*ουν*) Apostolus: *Reddite ergo*, inquit, *omnibus* (puta, omnibus iis qui publica aliqua potestate præditi sunt; nam de his solum sermo fuerat [1],) *ea quæ ipsis debentur* (*τας οφειλας*): *tributum poscenti* (*τῳ το τελος* scil. *απαιτουντι* [2]) *pendite tributum* (*το τελος* scil. *αποδοτε*); *vectigal exigenti solvite vectigal; reverentiam sui requirenti, exhibete reverentiam; honorem postulanti date honorem.* Si Apostolus pro Articulo *τῳ* scripsisset Relativum *ῳ̄*, forma orationis hæc foret: *cui tributum debetis* (*ῳ̄ τον φορον* scil. *οφειλετε*, quod sumendum sit ex antegresso *οφειλας*), *tributum pendite; cui vectigal debetis, vectigal solvite*, et sic porrò.—*Ὁ φόρος* et *το τέλος* hoc differunt, quod *φορος tributum* solvitur pro capite aut fundis, *τελος vectigal* pro mercibus aut importandis aut exportandis.

℣. 8—10. Nemini quidquam debeatis: nisi ut invicem diligatis: qui enim diligit proximum, legem implevit. 9 Nam: Non adulterabis: Non occides: Non furaberis: Non falsum testimonium dices: Non concupisces: et si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur: Diliges proximum tuum sicut teip-

℣.8-10. *Μηδενὶ μηδὲν ὀφείλετε, εἰ μὴ τὸ ἀγαπᾶν ἀλλήλους· ὁ γὰρ ἀγαπῶν τὸν ἕτερον, νόμον πεπλήρωκε.* 9 *Τὸ γάρ· Οὐ μοιχεύσεις· Οὐ φονεύσεις· Οὐ κλέψεις· Οὐ ψευδομαρτυρήσεις* a)· *Οὐκ ἐπιθυμήσεις· καὶ εἴ τις ἑτέρα ἐντολὴ, ἐν τούτῳ τῷ λόγῳ ἀνακεφαλαιοῦται, ἐν τῷ·’ Αγαπήσεις τὸν*

Paraphrasis. Nemini quidquam debeatis nisi debitum mutui amoris, ut quo debito numquam non estis adstricti; nam Decalogi lex, qua numquam non tenemini, ad dilectionem proximi revocatur universa, et qui proximum diligit, legem implevit. Nam præcepta ista, *Non adulterabis, Non occides, Non furaberis, Non falsum testimonium dices, Non concupisces*, et quodcumque præterea est præceptum proximum respiciens, omnia hæc summatim

(1) Falsò Estius: « *omnibus*, id est, tam principibus quam aliis quibuscumque.»

(2) Vox *απαιτουντι requirenti* ad singula membra hujus partis mente supplenda sumi debet ex *αποδοτε*, quæ ipsa quoque vox ad singula illa membra pariter supplenda est *απο του κοινου*.

sum. 10 Dilectio proximi
malum non operatur. Ple-
nitudo ergo legis est dilectio.
11 Et hoc scientes tempus :
quia hora est jam nos de
somno surgere. Nunc enim
proprior est nostra salus ,
quam cum credidimus.

πλησίον σου ὡς ἑαυτόν.
10 *Ἡ ἀγάπη τοῦ πλησίον*
κακὸν οὐ κατεργάζεται·
πλήρωμα οὖν νόμου ἡ
ἀγάπη. 11 *Καὶ τοῦτο ,*
εἰδότες τὸν καιρὸν , ὅτι
ὥρα ἡμᾶς ἤδη ἐξ ὕπνου
ἐγερθῆναι· νῦν b) *ἐγγύ-*
τερον ἡμῶν ἡ σωτηρία ,
ἢ ὅτε ἐπιστεύσαμεν.

comprehenduntur unico hoc mandato : *Diligito proximum tuum sicut teipsum.* Qui proximum diligit , is nihil mali illi infert ; ergo adimpletio legis in dilectione proximi posita tota est. Et tanto magis hoc facite, quia nostis quale sit quod nunc agitis vitæ vestræ tempus, quod scilicet jam nunc adsit hora ex spirituali nostro somno expergiscendi ; nunc enim , postquam jam magna vitæ pars in Evangelicæ fidei professione nobis præteriit , propius a perfecta salute absumus quam quo tempore primum facti sumus Christiani.

VARIANS LECTIO.

a) Voces *ου ψευδομαρτυρησεις* non leguntur in Codd. ABDEFGJ. Ceterum quæ hic recensentur Decalogi præcepta non eodem ordine in omnibus Codicibus recensita leguntur.

b Post *νυν* est *γαρ* Particula in plerisque Codicibus.

ỳ. 8—9. *Nemini quidquam debeatis , nisi ut invicem diligatis.)* A præcepto reddendi magistratibus quod ipsis *debetur* , Apostolus , sumptâ occasione ex voce *debiti* , transit ad commendandam charitatem, cujus *debitum* ut maxime solvatur, usque tamen manet solvendum. « *Nemini* , inquit , (nemini , non solum non magistratibus , sed omninò nemini hominum) *quidquam debeatis* (*οφειλετε* [1]), *nisi debitum mutui amoris* , quo debito numquam non estis adstricti ; nam Decalogi lex [2] , qua numquam non tenemini , ad dilec-

(1) *Οφειλετε* in Imperativo ; si Indicativum voluisset Apostolus, scripsisset non *μηδενι μηδεν* , sed *ουδενι ουδεν*. Cf. WIN. 1. 60.

(2) Decalogum cogita quod attinet ad secundæ tabulæ præcepta.

tionem proximi revocatur universa, et *qui proximum diligit, legem implevit. Nam præcepta ista, Non adulterabis, Non occides, Non furaberis, Non falsum testimonium dices, Non concupisces, et quodcumque præterea est præceptum proximum respiciens, omnia hæc summatim comprehenduntur unico hoc mandato: Diligito proximum tuum sicut teipsum.*

Implevit (πεπληρωκε), in Præterito; rectè; nam qui amat proximum, eo ipso quod amat, jam *implevit* legem; nam dum amat proximum, hunc nec occidit, nec furtum illi facit, nec omnino injuriâ aliquâ eumdem afficit. Νομον scribi poterat absque Articulo, quamquam de *Mosaicâ* lege agitur; vide supra ad Cap. VIII ℣. 6. Græci Articulum præponunt etiam recitandis integris sententiis; quod hic (℣. 9) factum est bis; semel dum ait: τὸ γαρ· Ου μοιχευσεις, cet., et iterum paulò infra ubi dicit: εν τῷ· Αγαπησεις, cet. Και ει τις ἑτερα εντολη scil. εστι, *et si quod aliud mandatum est*, puta in Decalogo, quâ parte agitur de officiis erga proximum. — Ανακεφαλαιουν (q. d. *recapitulare*) hic valet *in summam redigere*, aut quod Galli dicunt *résumer.* Atque ipsam hanc notionem *instaurare* verbo auctor Vulgatæ hoc loco forsitan [1] tribuit. Nota ἑαυτον Pronomen ibi construi cum verbo secundæ personæ, sicut Joh. XVIII. 35; de qua structura videsis Winerum §. 22. 5. Ceterum quod dicitur *diliges proximum tuum sicut te ipsum*, eo non exigitur amor *æqualis* sed *similis.*

℣. 10. *Dilectio proximi malum non operatur; plenitudo ergo legis est dilectio.*) Superiorem argumentationem (℣. 8—9) qua probaverat, *impletam esse legem ab eo qui proximum diligit*, Apostolus hic paucioribus verbis replicat dicens: *Qui proximum diligit, is nihil mali illi infert*; atqui nihil mali inferre proximo, est hoc ipsum totum quod Lex universa præcipit; *ergo Legis adimpletio posita est in dilectione proximi*, et qui proximum diligit, is jam legem implevit. — Ἡ αγαπη vox, quæ bis hoc versu legitur, priori loco per Prosopopoeiam pro *ipso amante* dicitur. Πληρωμα vocabulum, quod frequentius passivè significat, hoc loco *activo sensu* sumitur, valetque *impletio* [2]).

℣. 11. *Et hoc, scientes tempus, quia hora est jam nos de somno surgere.*) Antegressum (℣. 8—11) de mutua dilectione præceptum Apostolus *corroborat*

(1) S. Chrys. *Hom.* 1. *in Ep. ad Ephes.* (apud Suicer. ad h. v.): Παρ' ἡμιν και εν συνηθεια ανακεφαλαιωσις λεγεται, το δια μακρῶν λεγομενα εις βραχυ συστειλαι, και παντα τα δια πολλων λεγομενα συντομως ειπειν. h. e. *Apud nos et in communi consuetudine* ανακεφαλαιωσις *dicitur, quæ prolixe dicta sunt in breve contrahere, et pluribus dicta compendiose dicere.*

(2) De varia notione vocis πληρωμα disputavit Fritschius ad Rom. XI. 12.

(*και τουτο*), ratione ductâ a temporis convenientia, ut quæ illius præcepti adimpletionem postulet. *Και τουτο* (*idque*), pro quo scriptores bene Græci dicere solent *και ταυτα*, valet *præsertim*. Pro *και τουτο* Apostolus hoc loco ex æquo scribere potuisset *και τοσουτῳ μαλλον*, *et tanto magis*, ut fecit in loco parallelo (Hebr. X. 25) illo: *και τοσουτῳ μαλλον, ὁσῳ βλεπετε εγγιζουσαν την ἡμεραν*. Participium *ειδοτες* laxo modo pendet ab antegresso *οφειλετε* (ỳ. 8). Verba illa *ειδοτες τον καιρον* explicantur per epexegetica ista: *ὁτι ὡρα ἡμας ηδη εξ ὑπνου εγερθηναι*. Itaque, quod hoc loco dicit Paulus, tale est: *Et quod hic præcipio* (*οφειλετε*, ỳ. 8), *hoc facite* *e o m a g i s* (*και τουτο*), *q u i a n o s t i s* (*ειδοτες*) *quale sit quod nunc agitis vitæ vestræ* *t e m p u s* (*τον καιρον* qualitativè), *q u o d s c i l i c e t* (*ὁτι* epexegeticum) *j a m n u n c a d s i t h o r a e x s o m n o n o s t r o e x p e r g i s c e n d i* (*ὁτι ὡρα ἡμας ηδη εξ ὑπνου εγερθηναι*); *nunc temporis enim*, postquam jam magna vitæ pars nobis in Evangelicæ fidei professione præteriit, *p r o p i u s a n o b i s* (*εγγυτερον ἡμων*) *abest* *p e r f e c t a s a l u s* (*ἡ σωτηρια*) *quam quo tempore primum facti sumus Christiani* (*ἡ ὁτε επιστευσαμεν*).

Non defuerint inter Romanos Christianos qui temporis progressu, uti fit, de pristino pietatis et bonorum operum studio aliquid remisissent; quorum socordiam oblique hic arguit Apostolus, vocans illam *ὑπνον* *somnum* quemdam spiritualem nunc certe excutiendum, quandoquidem deceat tanto majori alacritate vitæ sanctioris cursui insistere, quanto propius absumus a pertingendâ metâ [1]. — *Εγγυτερον*, Neutrum Comparativi *adverbialiter* adhibitum. Pronomen *ἡμων* ab *εγγυτερον* pendet, non verò ab *ἡ σωτηρια*, *salus*. *Ἡ σωτηρια*, perfecta, absoluta salus intelligitur, æterna felicitas, sicut Philipp. 1. 28 et Hebr. 1. 14.

---

(1) S. Chrys. Hom. XXIV in Ep. ad Rom. Επειδη εικος ην αυτους εν μεν αρχη και προοιμιοις σπουδαιοτερους ειναι, ... του χρονου δε προελθοντος καταμαραθηναι την πασαν σπουδην, φησιν ότι τοὐναντιον μεν ουν δεῖ ποιειν· ουχι εκλυεσθαι προϊοντος του χρονου, αλλα μαλλον ακμαζειν. Ὁσῳ γαρ αν ὁ βασιλευς εγγιζῃ, τοσουτῳ μαλλον δει παρασκευασθαι· ὁσῳ μαλλον εγγυς το βραβειον, τοσουτῳ μαλλον διεγερεισθαι χρη προς τους αγωνας· επει και οἱ δρομεις τουτο ποιουσιν· ὁταν προς τῳ τελει του δρομου γινωνται και τῃ του βραβειου ληψει, τοτε διανιστανται μειζονως. Δια τουτο ελεγεν· Ν υ ν ε γ γ υ τ ε ρ ο ν ἡ μ ω ν ἡ σ ω τ η ρ ι α, ἡ ὁ τ ε ε π ι σ τ ε υ σ α μ ε ν. h. e. *Quia verisimile erat illos initio studiosiores fuisse ... tempore vero procedente studium magnum illud emarcuisse, dicit contrarium fieri oportere, non procedente tempore dissolvi, sed potius vigere. Quando enim regis imminet adventus, tum tanto magis sese apparare oportet; quanto propius bravium, tanto magis sese excitare oportet ad certamina. Nam et cursores hoc agunt; cum ad cursûs finem devenerunt et ad bravium accipiendum, tunc magis excitantur. Ideo dixit: n u n c e n i m p r o p i u s a n o b i s a b e s t s a l u s, q u a m c u m c r e d i d i m u s.*

℣. 12—14. Nox præcessit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis. 13 Sicut in die honestè ambulemus: non in comessationibus, et ebrietatibus, non in cubilibus, et impudicitiis, non in contentione, et æmulatione: 14 sed induimini Dominum Jesum Christum, et carnis curam ne feceritis in desideriis.

℣. 12—14. Ἡ νὺξ προέκοψεν, ἡ δὲ ἡμέρα ἤγγικεν. Ἀποθώμεθα οὖν τὰ ἔργα τοῦ σκότους, καὶ ἐνδυσώμεθα a) τὰ ὅπλα τοῦ φωτός. 13 Ὡς ἐν ἡμέρᾳ, εὐσχημόνως περιπατήσωμεν· μὴ κώμοις καὶ μέθαις, μὴ κοίταις καὶ ἀσελγείαις, μὴ ἔριδι καὶ ζήλῳ, 14 ἀλλ' ἐνδύσασθε τὸν Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, καὶ τῆς σαρκὸς πρόνοιαν μὴ ποιεῖσθε εἰς ἐπιθυμίας.

Paraphrasis. Progressa jam est præsentis vitæ nox, instat verò futuræ vitæ dies. Quum igitur nox jam vergat in diem, deponamus opera tenebrarum, et induamur arma lucis. Quum, inquam, jam illucescat nobis perpetua illa sine nocte dies æternitatis, curemus ut, quemadmodum diurno tempore decoro vestitu indui solemus, ita quoque, illucescente jam nobis illa æternitatis die, vitam agamus honestam, non in luxuriosis conviviis et crapulosis compotationibus, non in prohibito concubitu et impudicitia, non in rixis et odio, sed Jesum Christum imitemini, mores illius vobis veluti induentes, et carnem vestram ne curetis ita ut eam ad libidinem provocetis et lasciviatis.

VARIANS LECTIO.

a) Pro και ενδυσωμεθα est ενδυσωμεθα δε in Codd. ABC*D*E. Ambigi potest utra lectio præferenda sit. Prætulerim tamen και ενδυσωμεθα. Sed rationes meas exponere supersedeo, quia res non tanti est.

℣. 12. *Nox præcessit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergo*, cet.) Antegressæ adhortationi (℣. 8—12) quæ *specialis* erat heic additur *generalior* ad agendam

vitam sobriam, castam, ob omni luxuria et turpi libidine remotam. Pro *præcessit*, quod Vulgata nunc exhibet, antiquitus forsitan legebatur *processit* [1]; nonnulli certe Latini *processit* legerunt; atque ita omnino legendum est, quum Græcè ibi habeatur προεκοψεν, nullâ lectionis varietate. Taceo, versionem Vulgatæ nonnihil habere offensionis; nam si ponas *præcessit* ibi significare *præivit*, languida erit sententia, nec ad rem; si verò dicas *præcessit* valere *præteriit*, jam nec omninò vera videatur; nam si nox præteriit, non *appropinquat* dies sed jam *adest*. Προκοπτειν dicitur de *procedendo* sive *progediendo* aut *proficiendo*, quo Latino verbo auctor Vulgatæ alias reddere solet vocem προκοπτειν. Cf. Luc. II. 52. 2 Tim. II. 16. III. 9. 13. Ergo dicere vult Apostolus: *Nox processit* [2] (nocturni temporis pars magna jam effluxit), *dies autem propinqua est.*

Sed quid *nox*, quid *dies* hic intelliguntur? Respondent SS. Athanasius, Chrysostomus, Basilius, Augustinus, alii, *noctem* intelligi *præsentem vitam*, huic vero opponi *futuram vitam*, quam Apostolus *diem* vocaverit. Rectè. Igitur sub imagine progressæ jam *noctis* (ἡ νυξ προεκοψεν) et *instantis diei* (ἡ ἡμερα ηγγικεν) Romanorum suorum animos Apostolus revocat ad memoriam futuræ vitæ, adeoque etiam, quamquam obliquè, ad memoriam mortis et secuturi post mortem judicii. Utitur autem hac recordatione ad roborandam (ουν) quam facturus erat adhortationem ad vitam sobriam castamque agendam. Ergo Apostolus, ad antegressam noctis et lucis imaginem alludens novâque adhibitâ imagine ductâ ab exuendo aut induendo vestes aut arma, sic eosdem adhortatur: *Deponamus* (αποθωμεθα) *ergo* (ουν, h. e. quum nox jam vergat in diem) *opera tenebrarum* (opera quæ lucem fugiant, pudenda) *et induamur armaturam lucis* (opera quæ lucem non fugiant sed clara die ostendi possunt sine pudore, honesta).

Αποθωμεθα ab αποτιθημι. Auctor Vulgatæ videtur legisse απωθωμεθα ab απωθεομαι (Med.) *a me repello*. Εργα του σκοτους, in Genitivo *objecti*, opera *quæ tenebris deputantur*. Ὁπλα του φωτος (Genit. *obj.*) *arma*, *armatura* (opera) *quæ lucem* non fugiant. Et *armaturam* quam *vestimenta lucis* dicere maluerit Apostolus unà monere volens, ut videtur, militiam quamdam esse vitam Christianam, eamque carere non posse illâ bonorum operum armaturâ contra Satanæ insidias.

℣. 13—14. *Sicut in die, honestè ambulemus; non in comessationibus et ebrietatibus*, cet.) Explicatius repetit antegressum (℣. 12) præceptum. Mentem Apostoli et seriem orationis hisce verbis expresserim: Quum jam illucescat nobis


---

(1) Conf. Estium ad h. l.

(2) Confer *Sallustianum* illud *Jugurth.* Cap. 21. (apud *Fritschium* ad h. l.): *Ubi plerumque noctis processit, obscuro etiam tum lumine, milites Jugurthini signo dato castra hostium invadunt.*

perpetua illa sine nocte dies æternitatis (ἡ δε ἡμερα ηγγικεν ℣. 12), curemus ut quemadmodum diurno tempore decoro vestitu indui solemus (ὡς εν ἡμερᾳ), ita quoque, illucescente jam nobis illa æternitatis die, *vitam agamus honestam* (ευσχημονως περιπατησωμεν), non in commissationibus (luxuriosis conviviis) et crapulosis compotationibus, non in prohibito concubitu et impudicitia, non in rixis et odio, sed Jesum Christum imitemini, mores illius vobis veluti induentes, et carnem vestram ne curetis *ita ut eam ad libidinem provocetis* (εις επιθυμιας) et lasciviatis.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.



Argumentum. *Erant Romæ ex Judæo-Christianis non pauci qui existimarent etiamnum observanda sibi esse ritualia quædam Moysis præcepta* ; *reliqui verò ibi Christiani præcepta illa tamquam nullam obligationis vim habentia recte negligebant. Sed ea res, uti fit, contentiosas pepererat disputationes ; imo et valde oberat fraternæ fovendæ charitati, quum ii qui illa præcepta non curarent præceptorum illorum observantes despicerent tamquam Evangelicæ libertatis ignaros atque imbecilli animi homines ; hi vero vicissim instructiores illos pro legis transgressoribus haberent. Apostolus igitur huic malo occurrere volens, utrosque ita corripit simul et instituit ut tamen caveat ne in mosaïcorum decretorum observatione rudiores illos obfirmet. Orditur ab hortando instructiores ut rudiores illos benigne et tamquam fratres tractent nec inopportunis disceptationibus aggrediantur ; vicissim autem et rudiores vetat ne fratres suos ob neglecta ciborum et dierum discrimina tamquam improbos condemnent ; et porrò utrosque monet, ut ab invicem judicando abstineant, unum omnes habituri judicem* Christum, *cui pro se quisque redditurus sit rationem* (1—13). *Deinde, converso ad instructiores sermone, his quidem concedit, nullos cibos per se esse immundos, negat tamen utendum esse quævis manducandi licentiâ, sicubi hoc fieri nequeat quin scandalum præbeant rudioribus* (13—23).



℣. 1—4. Infirmum autem in fide assumite, non in disceptationibus cogitationum. 2 Alius enim credit se manducare omnia: qui autem infirmus est, olus manducet. 3 Is, qui manducat, non manducantem non spernat: et qui non manducat, manducantem non judicet: Deus enim illum assumpsit. 4 Tu quis es, qui judicas alienum servum? Domino suo stat, aut cadit: stabit autem: potens est enim Deus statuere illum.

℣. 1—4. *Τὸν δὲ ἀσθενοῦντα τῇ πίστει προσλαμβάνεσθε, μὴ εἰς διακρίσεις διαλογισμῶν.* 2 *Ὃς μὲν πιστεύει φαγεῖν πάντα, ὁ δὲ ἀσθενῶν λάχανα ἐσθίει* a). 3 *Ὁ ἐσθίων, τὸν μὴ ἐσθίοντα μὴ ἐξουθενείτω· καὶ ὁ μὴ ἐσθίων, τὸν ἐσθίοντα μὴ κρινέτω· ὁ Θεὸς γὰρ αὐτὸν προσελάβετο.* 4 *Σὺ τίς εἶ ὁ κρίνων ἀλλότριον οἰκέτην; τῷ ἰδίῳ κυρίῳ στήκει ἢ πίπτει. Σταθήσεται δέ· δυνατός γάρ ἐστιν* b) *ὁ Θεὸς στῆσαι αὐτόν.*

Paraphrasis. Eum autem, qui necdum habet persuasum, Christianos legibus Moysis ritualibus non teneri, ne arceatis a vestro contubernio sed comiter recipite et benigne tractate; nolite verò præsentiâ illius abuti ad disputandum et dijudicanda cogitata ejus circa abrogationem legum ritualium. Unus quidem persuasum habet licere sibi manducare omnia; alter verò olera tantùm manducare audet. Is qui quævis manducat ne spernat eum qui abstinet a cibis Mosaica lege prohibitis; sed hic vicissim ne arguat impietatis eum qui quævis manducat; nam Deus illum inter famulos suos assumpsit. Tu autem quis tandem es tu qui non dubitas condemnare alterius heri famulum, quasi is ex tua sententia quidquam facere aut omittere debeat, et damnabilis sit si secus agat. Non tuo, sed proprii heri sui judicio aut firmus in suo stat officio famulus, aut in eo labitur. Firmus autem stabit. Ita confido. Potens enim Deus est gratiæ suæ auxilio efficere ut firmus stet.

VARIANS LECTIO.

a) Pro Indicativo εσθιει legitur Imperativus εσθιετω in Codd. D*FG, quam lectionem Vulgata quoque exhibet. Sed hæc lectio etiam ideo admitti nequit, quòd eam vel contexta oratio respuit.

b) Pro δυνατος γαρ εστιν legitur δυνατεῖ γαρ in Codd. ABCD*FG.

℣. 1. *Infirmum autem in fide assumite, non in disceptationibus cogitationum.*) *Fidem* in præsenti quæstione Apostolus intelligit *animi persuasionem* [1]), *Christianos legibus Moysis ritualibus non teneri.* Vocat autem ibi ασθενουντα τῃ πιστει[2]), *infirmum fide*, eum qui necdum habeat persuasum, rem ita esse; cui opponitur δυνατος τῃ πιστει, *firmus fide*, is cui hoc persuasissimum sit. Jam quod dicit Apostolus, τον δε ασθενουντα τῃ πιστει προσλαμβανεσθε, *infirmum fide ad vos recipite*, adloquitur τους δυνατους, *firmos*, inter quos se ipse quoque adnumerat. Cf. Cap. XV. I. Προσλαμβανεσθαι τινα (Med.) *ad se recipere aliquem, comiter tractare.* Cf. Act. XVIII. 26. XXVIII. 2. Philem. ℣. 12. 17. Quod autem ibi addit Apostolus, μη εις διακρισεις διαλογισμων, *non ad dijudicationes cogitationum*, eo prohibet ne *infirmum fide* (τον ασθενουντα τῃ πιστει) vexent inopportunis de abrogatione legum ritualium disputationibus. Verbis istis, μη εις διακρισεις διαλογισμῶν, quum Antithesin contineant, supplendum est conveniens aliquod verbum, quod ex antegresso προσλαμβανεσθε sumi debet. Mentem Apostoli hac oratione expresserim: *Eum, qui necdum habet persuasum, Christianos legibus Moysis ritualibus non teneri, ne arceatis a vestro contubernio sed comiter eumdem recipite et benigne tractate; nolite verò præsentiâ illius abuti ad dijudicandum cogitata* (μη εις διακρισεις διαλογισμων) *ejus circa abrogationem legum ritualium.*

Quæri potest, quænam causa sit cur Paulus in epistola ad Galatas tam acriter invehatur in eos qui ritualia aliqua Moysis præcepta observarent, cum Romanis verò in re simili tam benigne agat. Ad quam quæstionem Toletus rectissime ita respondet: « *In epistola ad Galatas*, inquit, Paulus *cum illis agit qui Legi virtutem justificandi tribuebant, non autem Evangelio; idcirco dogma hoc tamquam adversarium et destructivum Evangelii evertit; hoc vero loco cum eis agit qui Evangelii virtutem agnoscebant et confitebantur, ceremonias tamen aliquas simul retinebant tamquam a Deo institutas; quod in initio permissum est conversis ex Judæis, quibus non solidus cibus sed lac ministrandum erat propter eorum imbecillitatem et nimium legis zelum ex antiqua consuetudine ab incunabilis imbibitum.* »

℣. 2. *Alius enim credit se manducare omnia; qui autem infirmus est, olus manducet.*) Obscura est hoc loco Vulgata versio, eoque magis quod pro Indicativo *manducat* ibi legitur *manducet;* quam lectionem, ut jam dixi, refellit cum Græcorum Codicum auctoritas, tum etiam ipsa contexta oratio; necdum enim aliquod præceptum dat Apostolus, sed *casum ponit;* præceptum demum dat versu tertio. Sensus est: *Unus quidem* (ὃς μεν) *persuasum habet* (πιστευει) *licere sibi manducare omnia: alter*

---

(1) Cf. ℣℣. 2. 22. 23. (2) Τῃ πιστει in Dativo *respectûs.*

verò (δε) *olera tantùm manducat.* Sed Apostolus scripsit : *unus quidem* (ὁς μεν).... *infirmus verò* (ὁ δε ασθενων scil. τῃ πιστει), cetera. Itaque orationem suam *variavit ;* nam cum scripsisset ὃς μὲν , series orationis postulabat ut adderet ὃς δὲ , sicut fecit infra ỷ. 5 et 1 Cor. XI. 21 : ὃς μὲν πεινᾷ , ὃς δὲ μεθυει , *unus quidem esurit* , *alius autem ebrius est.* *Πιστευει* scil. ἐξεῖναι, *licere* , qui Infinitivus in istiusmodi oratione reticeri potest. Confer Lobeckium ad Phryn. pag. 753. *Olera manducat* ibi dictum est ad modum exempli , ut sensus sit : Qui persuasum habet , abstinendum etiamnum esse a cibis Mosaicâ lege vetitis , is non quævis manducat , sed tantùm vescitur oleribus aliisque cibis lege non prohibitis.

ỷ. 3. *Is qui manducat , non manducantem non spernat ; et qui non manducat , manducantem non judicet ; Deus enim illum assumpsit.*) Nunc porrò utrumque , et *firmum* fide et *infirmum* , officii sui admonet. *Is* , inquit , *qui non abstinet a cibis Mosaicâ lege vetitis* , *ne contemnat abstinentem tamquam imbecille caput ; et abstinens vicissim ne tamquam improbum condemnet* (κρινετω) *non abstinentem ; nam* (rationem addit ob quam eum condemnare nefas sit) *Deus illum* (non abstinentem) *inter famulos suos assumsit.* *Κρινειν judicium ferre* condemnatorium , ut Cap. II. 1.

ỷ. 4. *Tu quis es qui judicas alienum servum ? Domino suo stat aut cadit : stabit autem ; potens est enim Deus illum statuere.*) *Abstinentem* qui non dubitet condemnare *non abstinentem* Apostolus reprehendit quòd audeat *damnare* servum alterius heri (scil. Christi. Cf. ỷ. 6. 8. 10). *Τῳ ιδιῳ κυριῳ* in Dativo *judicii* , ut εμοι Philipp. I. 21 , et τῳ Θεῳ 2 Cor. X. 4. *Stare* et *cadere* in præsenti loco , quemadmodum et 1 Cor. X. 12 , *ethice* dicuntur. *Σταθησεται* Fut. 1 Passiv. cum notione intransitivâ *stabit* , sicut Matth. XII. 25. 46. Quod autem dicit Apostolus *stabit* , est hoc non *prædicentis* aut *affirmantis* , sed *confidentis.*

Mentem Apostoli hisce verbis explicaverim : *Tu* , *quis tandem es tu qui alterius heri famulum condemnare non dubitas* , *quasi is ex tua sententia quidquam facere aut omittere debeat* , *et damnabilis sit si secus agat ? Non tuo , sed proprii heri sui judicio aut firmus in suo stat officio famulus* , *aut in eo labitur. Firmus autem stabit manducans, quem tu condemnas. Ita confidimus ; potens est enim Deus gratiæ suæ auxilio efficere ut firmus stet nec libertate sua ad petulantiam abutatur* , *id quod tu unà forte apprehendis.* Cf. Gal. Cap. V. 13.

ỷ. 5—6. Nam alius judicat diem inter diem : alius autem judicat omnem diem: unusquisque in suo sensu abundet. 6 Qui sapit diem,

ỷ. 5—6. Ὃς μὲν a) κρίνει ἡμέραν παρ' ἡμέραν, ὃς δὲ κρίνει πᾶσαν ἡμέραν· ἕκαστος ἐν τῷ ἰδίῳ νοΐ

Paraphrasis. Alter quidem diem unum majoris æstimat quam alium diem ; alter verò peræque æstimat quemvis diem. Uterque , sive hoc sive illud faciat, plenè persuasum

Domino sapit: Et qui manducat, Domino manducat: gratias enim agit Deo. Et qui non manducat, Domino non manducat, et gratias agit Deo.

πληροφορείσθω. 6 Ὁ φρονῶν τὴν ἡμέραν, Κυρίῳ φρονεῖ· καὶ ὁ μὴ φρονῶν τὴν ἡμέραν, Κυρίῳ οὐ φρονεῖ. b) Καὶ ὁ ἐσθίων, Κυρίῳ ἐσθίει· εὐχαριστεῖ γὰρ τῷ Θεῷ· καὶ ὁ μὴ ἐσθίων, Κυρίῳ οὐκ ἐσθίει, καὶ εὐχαριστεῖ τῷ Θεῷ.

habeat licere sibi facere id quod faciat. Qui certum aliquem diem festum celebrat, in honorem Christi Domini celebrat; et qui certum aliquem diem festum non celebrat, pariter in honorem Christi hoc omittit. Et qui, non servato rituali ciborum discrimine, quævis manducat, in honorem Christi hoc facit; nam manducaturus pro concessis cibis gratias Deo agit: et qui abstinet a cibis rituali lege prohibitis in honorem Christi ab iisdem abstinet, et pariter gratias agit Deo pro concessis cibis illis, quibus vesci non dubitat.

VARIANS LECTIO.

a) Pro ὅς μεν Codices unciales duo (AC) habent ὅς γαρ, quam lectionem Vulgata quoque exhibet. Sed ambigendum non est quin lectio ὅς μεν genuinam referat Pauli scripturam, tum quia eam lectionem exhibent codices plerique atque præstantiores, tum etiam quia eam postulat contexta oratio. Neque enim versu quinto ratio datur antegressæ sententiæ, sed novus ponitur casus.

b) Pars hæc, και ὁ μη φρονῶν την ἡμεραν, Κυριῳ ου φρονεῖ, non legitur in Codd. ABC*DEFG, et pariter abest a Vulgata aliisque nonnullis antiquis versionibus; legitur autem in Codd. C***J ut et in antiquis versionibus quatuor. Sed orationis series illam partem omninò requirere videtur. Etenim quum de ciborum discrimine observato aut neglecto Paulus pergat dicere, και ὁ εσθιων, Κυριῳ ουκ εσθιει· και ὁ μη εσθιων, Κυριῳ ουκ εσθιει, non omiserit in assignando dierum discrimine pari modo suam conformare orationem, adeoque dicere, ὁ φρονῶν την ἡμεραν, Κυριῳ φρονεῖ· και ὁ μη φρονῶν την ἡμεραν, Κυριῳ ου φρονεῖ. Itaque existimaverim omissionem hanc tribuendam esse librariis, quorum oculos fefellerit similis vocabulorum series bis ibi occurrens (Κυριῳ φρονει· και ὁ et Κυριῳ ου φρονει· και ὁ). Attamen perquam mirandum est, partem illam a tot Codicibus abesse.

ỳ. 5. *Nam unus judicat diem inter diem: alius autem judicat omnem diem.*) Græce non est *nam unus* (ὅρ γαρ), sed ὅς μεν, *unus quidem*, cui mox res-

pondet ὃς δε, *alter verò.* — Alterum hic datur exemplum idque ad Mosaicum discrimen dierum pertinens; qua in re pariter ac in Mosaico ciborum discrimine *infirmus fide* (ὁ ασθενων τῃ πιστει) a *firmo* et robusto dissentiret. *Alter quidem*, inquit, *diem unum æstimat præ alio die; alter vero peræque æstimat quemvis diem.* Uter rectius agat, in medio relinquit Apostolus, sed hoc monet, ut scilicet, sive hoc sive illud quis faciat, plene persuasum habeat licere sibi facere id quod faciat; ut ne quid agat contra dictamen suæ conscientiæ. Nam hoc significant verba illa: ἑκαστος εν τῳ ιδιῳ νοΐ πληροφορεισθω; quæ verba non satis recte in Vulgata reddita sunt, *unusquisque in suo sensu abundet.* Nimirum πληροφορεισθαι est *plènus fieri*, quod eximiè dicitur *de eo qui rem quampiam habet conpertissimam*, qui veluti *repletus est* rei cujuspiam persuasione. Nec aliter ipse Vulgatæ auctor πληροφορεισθαι verbum supra (Cap. IV. 21) reddiderat. In dictione κρινει ἡμεραν παρ' ἡμεραν (verbotenùs: *judicat diem unum ultra* (παρα) *alium diem*), παρα Præpositio valet *præ*, sicut Luc. XIII. 2 [1]. Quod rectè jam viderat Syrus interpres; nam reddidit: ܐܝܬ ܕܕܐܢ ܝܘܡܐ ܡܢ ܝܘܡܐ ܘܐܝܬ ܕܕܐܢ ܟܠܗܘܢ ܝܘܡܬܐ hoc est: *Est qui judicat diem præ die, et est qui judicat omnes dies.* Est autem *judicare unum quid præ alio*, in præsenti quidem re, *majoris æstimare unum quam aliud;* et jam quod insequitur κρινει πασα ἡμεραν, propter contextam orationem recte reddideris: *quemvis diem* (peræque) *æstimat* (κρινει). Sensum præsentis loci recte Estius hisce verbis explicat: « Qui fide adhuc infirmus est, diem cum die comparat et inter eos discernit; dierum facit discrimen, alium præ alio eligens, dum sabbata, neomenias et alia festa secundum Legem observat..... Qui autem firmior fide est.... peræque æstimat omnem diem. » Idem opportunè addit: « Ceterum, *inquit*, ex data jam interpretatione, quæ, quod ad summam rei pertinet, omnium commentatorum est, atque ex ipsius Apostoli scopo liquet, quam pravè ea quæ hic dicuntur, detorqueant hæretici contra certorum dierum jejunia, quorumdam ciborum abstinentias, ac festorum dierum observationem lege vel consuetudine in Ecclesia præscriptam; cum utique constet Apostolum loqui de discrimine ciborum ac dierum observato ab iis qui ex Judæis Christiani facti, legi Mosaicæ ac pristinis observantiis adhuc tenacius inhærerent. Nam quod ad Ecclesiæ leges attinet, dubium esse non debet, quin illæ ut justam habent obligandi rationem pro tempore novæ legis, ita verè et in conscientia filios Ecclesiæ obligatos teneant. »

℣. 6. *Qui sapit diem, Domino sapit;* cet.) Mens Apostoli est dicere: *Is qui ciborum et dierum discrimina observat, et is qui ea non observat, uterque quod facit, in honorem* Christi *Domini facit.* Sed dum dicit Apostolus quid utrinque fiat, præsumens scilicet rem ita habere, unà monet ut ita *reapse* utrinque fiat. Et quod hoc

---

(1) Confer illud Demosthenis (De Cor. 52): *fœdera nostra minoris quam nihili.* παρ' ουδεν ἡγουμενος τας ἡμετερας συνθηκας, *æstimans*

monere potissimum voluerit, id quidem patet ex iis quæ statim (℣℣. 7—9) ibi addit ut doceat, in honorem Domini facienda esse omnia.

Φρονειν, *studere*, *operam dare alicui rei* (Philipp. III, 19) in præsenti re valet *παρατηρεισθαι*, *observare*, (celebrare), quo verbo Apostolus de eadem re loquens usus est in epistola ad Galatas Cap. IV. 10. Scripsit *την ἡμεραν*, cum Articulo, cogitans *certum* aliquem diem festum ex festis diebus cultûs levitici. *Κυριῳ* in hoc versu ubivis est Dativus *commodi*, valetque *in honorem Domini.*

Sensum præsentis versiculi hac oratione exposuerim: *Qui certum aliquem diem festum celebrat, in honorem* Christi *Domini celebrat; et qui certum aliquem diem festum non celebrat, pariter in honorem* Christi *hoc omittit. Et qui non servato rituali ciborum discrimine, quævis manducat* (*ὁ εσθιων*), *in honorem* Christi *hoc facit* (*Κυριῳ εσθιει*); *nam manducaturus pro concessis cibis gratias Deo agit* (*ευχαριστει γαρ τῳ Θεῳ*); *et qui abstinet a cibis rituali lege prohibitis* (*ὁ μη εσθιων*), *in honorem* Christi *ab iisdem abstinet* (*Κυριῳ ουκ εσθιει*), *et pariter gratias agit Deo pro concessis cibis illis, quibus vesci non dubitat.* Quod uterque Deo gratias agat, argumento est utrumque id quod facit in honorem Christi Domini facere.

℣. 7—9. Nemo enim
nostrum sibi vivit, et ne-
mo sibi moritur. 8 Sive
enim vivimus, Domino vivi-
mus: sive morimur, Domino
morimur. Sive ergo vivimus,
sive morimur, Domini su-
mus. 9 In hoc enim Christus
mortuus est, et resurrexit:
ut et mortuorum et vivorum
dominetur.

℣. 7—9. *Οὐδεὶς γὰρ
ἡμῶν ἑαυτῷ ζῇ, καὶ
οὐδεὶς ἑαυτῷ ἀποθνήσ-
κει. 8 Ἐάν τε γὰρ ζῶ-
μεν, τῷ Κυρίῳ ζῶμεν·
ἐάν τε ἀποθνήσκωμεν,
τῷ Κυρίῳ ἀποθνήσκο-
μεν. Ἐάν τε οὖν ζῶμεν,
ἐάν τε ἀποθνήσκωμεν,
τοῦ Κυρίου ἐσμέν. 9
Εἰς τοῦτο γὰρ Χριστὸς
καὶ ἀπέθανε καὶ ἀνέ-
στη καὶ ἀνέζησεν* a),
*ἵνα καὶ νεκρῶν καὶ
ζώντων κυριεύσῃ.*

Paraphrasis. Neque enim quisquam nostrûm, qui Christiani sumus, quasi suimet ipse finis sit, aut vitam agit ut sibi vivat, aut mortem subit ut post mortem sui sit juris; nam si vivimus Domino vivimus; si morimur, Domino morimur, ut scilicet etiam post mortem ab ipso pendeamus simusque ipsius. Sive ergo vitam agamus, sive mortem subeamus, Domini sumus. In hunc enim finem Christus mortem oppetivit et revixit, ut dominium exerceret in humanum genus universum.

VARIANS LECTIO.



a) Magna est hoc loco lectionis varietas, sed in re nullius momenti. Testibus omnibus auditis, judicaverim genuinam lectionem esse hanc: *εις τουτο γαρ Χριστος απεθανε και εζησεν, ἱνα και;* cet.

℣. 7—9. *Nemo enim nostrum sibi vivit, et nemo sibi moritur;* cet.) Probat (γαρ) heic (℣. 7—10) Apostolus id quod in antegresso versu sexto obliquè monuerat, scilicet, Christiano nihil non faciendum esse in honorem Christi. Probat autem ex eo quòd Christianus non sit homo *liber* et sui juris, sed Christi *servus*, quum ab ipso sanguinis sui pretio sit redemtus atque ita in ipsius redactus potestatem. Confer illud posterioris epistolæ ad Corinthios (Cap. V. 15): *Pro omnibus mortuus est Christus; ut et qui vivunt jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est et resurrexit.* Item illud prioris (Cap. VI. 19, seq.): *Non estis vestri; empti enim estis pretio magno.* Quod autem in præsenti loco dicit Apostolus, tale est: *Neque enim*, inquit, *quisquam nostrûm, qui Christiani sumus, quasi suimet ipse finis sit, aut vitam agit ut sibi* (ἑαυτῳ Dativ. *Commodi*) *vivat, aut mortem subit ut post mortem sui sit juris; nam si vivimus, Domino* (τῷ Κυρίῳ, in Dativo *commodi*: pour le Seigneur) *vivimus; si morimur, Domino morimur, ut scilicet etiam post mortem ab ipso pendeamus simusque ipsius. Sive ergo vitam agamus, sive mortem subeamus, Domini* (Κυριου Genitiv. possessoris) *sumus* (nous appartenons au Seigneur). *In hunc enim finem* [1] (εις τουτο) Christus *mortem oppetivit et revixit, ut dominium exerceret in humanum genus universum.* Confer quæ notavimus supra ad Cap. IV. 25, et ad Philipp. II. 8, sqq. Matth. XXVIII. 18.

℣. 10—13. Tu autem quid judicas fratrem tuum? aut tu quare spernis fratrem tuum? Omnes enim stabimus ante tribunal Christi. 11 scriptum est enim: Vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu: et

℣. 10—13. *Σὺ δὲ τί κρίνεις τὸν ἀδελφόν σου; ἢ καὶ σὺ τί ἐξουθενεῖς τὸν ἀδελφόν σου; πάντες γὰρ παραστησόμεθα τῷ βήματι τοῦ Χριστοῦ.* 11 *Γέγραπται γάρ· Ζῶ ἐγὼ, λέγει Κύριος, ὅτι ἐμοὶ κάμψει πᾶν γόνυ, ἐπουρα-*

Paraphrasis. Tu verò cur temere judicas fratrem tuum? Aut etiam tu cur contemnis fratrem tuum? Neque enim constituti sumus alii aliorum judices, sed ex æquo omnes judicandi sumus a Christo, qui solus omnium judex constitutus est. Scriptum est enim: *Per vitam meam affirmo, dicit Domi-*

(1) Puta, *in hunc quoque finem.* «Loquitur autem Paulus, ut ad hunc locum monet Toletus, de Christo ratione humanitatis; ut enim homo est, dominus est dominio particulari, quia homines suo sanguine redemit. Advertendum est autem verbum Pauli *dominetur;* aliud enim est *dominari*, aliud *dominum* esse; nam *dominus* est per potestatem, *dominatur* autem per potestatis exercitium. Dominus quidem erat etiam ut homo, propter unionem hypostaticam, etiam ante mortem;... tamen non dominatus est plene, nec exercuit potestatem dominii, nisi post mortem et resurrectionem, post quas dixit: *Data est mihi omnis potestas in cælo et in terra*, nimirum quantum ad exercitium.»

omnis lingua confitebitur Deo. 12 Itaque unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo. 13 Non ergo amplius invicem judicemus : sed hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum.

ίνων, καὶ ἐπιγείων, καὶ καταχθονίων a) ; *καὶ πᾶσα γλῶσσα ἐξομολογήσεται τῷ Θεῷ.* 12 *Ἄρα οὖν ἕκαστος ἡμῶν περὶ ἑαυτοῦ λόγον δώσει τῷ Θεῷ.* 13 *Μηκέτι οὖν ἀλλήλους κρίνωμεν· ἀλλὰ τοῦτο κρίνατε μᾶλλον, τὸ μὴ τιθέναι πρόσκομμα τῷ ἀδελφῷ ἢ σκάνδαλον.*

nus, quod mihi genua flectent homines omnes, omnesque Dominum me agnoscent. Quum ergo unusquisque nostrûm pro se de suis actibus redditurus sit rationem Deo, ipsi relinquamus exercendum judicium, nos autem deinceps a judicando abstineamus. Sed hoc nobis decretum esto : cavere ne intempestivo nostræ libertatis usu occasionem peccandi fratri præbeamus.

VARIANS LECTIO.

a) Verba ista επουρανιων, επιγειων και καταχθονιων, quæ in nonnullis Codicibus Minusculis hoc loco leguntur, glossema sunt ex Philipp. II. ℣. 10.

℣. 10. *Tu autem quid judicas fratrem tuum? Aut tu quare spernis fratrem tuum? Omnes enim*, cet,) Redit Apostolus eò unde digressus erat docens (℣. 3), *non sibi arrogandum esse judicium in alienum servum.* Redit autem non veluti ex abrupto, sed ita ut præsentem sermonem cum proxime antegresso connectat. Nexus verò talis est : in versu proxime antegresso (℣. 9) docuerat Christo in omnes homines competere dominium ; si dominium, ergo et judicium in omnes homines exercendum. Itaque Christo judici *opponit* (δε) hominem temerè in fratrem suum judicium exercentem, atque ita pergit dicere : tu *autem cur judicas fratrem tuum?* Quibus verbis compellat *abstinentem* qui improbitatis condemnet fratrem suum *non abstinentem.* Statim autem et *non abstinentem*, qui fratrem suum *abstinentem* spernat, pariter compellat dicens : *aut etiam tu* (ἢ και συ) *cur contemnis fratrem tuum?* Utrumque autem reprehendit quòd sibi usurpet judicium in fratrem; neque enim, inquit, constituti sumus alii aliorum judices, sed ex æquo omnes, quotquot sumus homines, judicandi sumus a Christo, qui olns omnium judex constitutus est. Cf. 2. Cor. V. 10.

℣. 11. *Scriptum est enim : Vivo ego, dicit Dominus, quoniam*, etc.) Id quod modò dixerat Apostolus (*omnes enim stabimus*, *cet.*) hic confirmat adducto Isaiæ (Cap. XLV. 23.) testimonio, quod tamen non verbotenùs recitat sed *ad sensum* tantùm. Notandum etiam hoc est, scilicet in recitato Isaiæ loco proxime quidem sermonem non esse de Christo omnium judice constituto, verùm de Christo Deo ab omnibus agnoscendo; atqui hoc perfecte demum fiet in extremo judicio. Unde patet quo jure Apostolus laudata Isaiæ verba ad præsentem materiam accommodaverit. Confer quæ in commentario in epistolam ad Philippenses notavimus ad Cap. II. ℣. 11.

Ζῶ ἐγὼ, *vivo ego*, refert Hebraicum חַי־אָנִי, *vivus ego;* est autem jurandi formula (q. d. *ita vivam!*) qua Deus ipse per *συγκαταβασιν* jurans passim exhibetur in Scripturis Veteris Testamenti, veluti Isaiæ Cap. 49. ℣. 18. Jerem. Cap. 22. ℣. 24, alibi. Particula ὅτι pendet a *Ζῶ ἐγω* inducitque *objectum* juramenti : *per vitam meam affirmo*, *quod* (ὅτι). Confer illud Isaiæ Cap. 49. ℣. 18. 18. חַי אָנִי כִּי וגומר— *Ἐξομολογεισθαι τινι*, *celebrare aliquem*, ut infra Cap. XV. 9, refert Hebraicum הוֹדָה sequente לְ, velut in hoc Psalmi XIII. ℣. 1. טוֹב לְהוֹדוֹת לַיהוָֹה.

℣. 12—13. *Itaque unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo; non ergo amplius invicem judicemus.* Ex eo quod modo dixerat (℣℣. 10. 11), scilicet *sistendos esse ad tribunal* Christi *homines sine exceptione omnes*, jam *infert* (*ἄρα ουν*) Apostolus, *unumquemque nostrûm pro se de suis actibus* (*περι ἑαυτου*) rationem redditurum esse Deo. Hinc verò *concludit* (*ουν*), abstinendum esse ab invicem judicando, relinquendum autem judicium Domino, unico omnium judici. Quâ sententiâ non *infirmum fide* (℣. 1.) tantùm sed et *firmum* perstringit; nam quod firmus infirmum *contemneret* (℣. 3.), judicium quoddam in eumdem exercebat. Ceterum rectè ad præsentem locum Estius monet, judicium propriè esse earum rerum quæ per se non satis patent; nam in re manifesta nihil opus esse judicio.

sed hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum.) Hic Apostolus denuò sermonem unicè convertit ad eos quos in principio hujus Capitis specialiter allocutus fuerat, hoc est, *ad firmos*, ad eos, inquam, quibus persuasissimum esset, Christianos legibus Moysis ritualibus minimè teneri. Quos *firmos* deinceps (℣. 13—23) admonet, sedulo curent ne dum suâ ab istis legibus libertate utantur *infirmis fide* præbeant occasionem ruinæ. Transit autem Apostolus ad hanc monitionem per elegantem quamdam *antanaclasim.* [2] Nam *κρινειν* verbum quod in sententia proxime

---

(1) Hebr. VI. 13. 16 : *Deus quoniam neminem habuit per quem juraret (se) majorem, juravit per semetipsum;... homines enim per majorem sui jurant.*

(2) Ἀντανακλασις (q. d. *refractio*) figura orationis est, qua idem verbum bis, sed alio atque alio sensu adhibetur.

antegressa adhibuerat de *judicando* sive *condemnando*, nunc adhibet de *decernendo* sive de *constituendo apud animum suum*, quo sensu verbum illud legitur quoque 2 Cor. II. 1. Græca valent: *Sed hoc* (τουτο) *potius apud animum vestrum constituite, hoc decernite, scilicet, non ponere* (το μὴ τιθεναι) *offendiculum* (προσκομμα) *fratri vestro* aut *scandalum* (σκανδαλον). *Ponere alicui* προσκομμα aut σκανδαλον metaphoricè dicitur de danda alicui occasione delinquendi. Nimirum προσκομμα proprie omne est *in quod pede impingimus;* σκανδαλον autem, pro quo antiquiores σκανδαλητρον dixêre, propriè *mobile in decipula lignum* significat. Hortatur ergo *firmos* ut caveant ne suâ licentiâ (puta v. g. quibusvis cibis edendi) *infirmis* sint occasioni peccandi. « Et duplex, quod Estius hic notat, erat infirmo periculum : vel ne fratrem quosvis cibos edentem temere judicaret; vel certe ne exemplo provocatus contra conscientiam ederet ea quæ lex prohibebat. »

℣. 14—16. Scio, et confido in Domino Jesu, quia nihil commune per ipsum, nisi ei qui existimat quid commune esse, illi commune est. [15] Si enim propter cibum frater tuus contristatur : jam non secundum caritatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est. [16] Non ergo blasphemetur bonum nostrum.

℣. 14—16. Οἶδα καὶ πέπεισμαι ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, ὅτι οὐδὲν κοινὸν δι' αὑτοῦ, εἰ μὴ τῷ λογιζομένῳ τὶ κοινὸν εἶναι, ἐκείνῳ κοινόν. [15] Εἰ δὲ a) διὰ βρῶμα ὁ ἀδελφός σου λυπεῖται, οὐκέτι κατὰ ἀγάπην περιπατεῖς. Μὴ τῷ βρώματί σου ἐκεῖνον ἀπόλλυε, ὑπὲρ οὗ Χριστὸς ἀπέθανε. [16] Μὴ βλασφημείσθω οὖν ὑμῶν τὸ ἀγαθόν.

Paraphrasis. (Non me latet, verum scio et persuásum habeo, a Christo Jesu sic edoctus, cibum nullum ex sua natura esse immundum. Illi tantum homini immundum vetitumque quid est, qui illud pro immundo sibique vetito habeat.) Nam si fratri tuo præbes occasionem peccandi quia cibum sumis ab ipso pro vetito habitum, jam tu id agis quod non est secundum regulam fraternæ charitatis. Noli, inquam, noli tuo isto cibo animi exitium afferre illi quem tanti fecit Christus, ut pro eo mortem oppetere non dubitaverit. Caveamus ergo ne christiana nostra libertas ab infirmis maledicto proscindatur.

VARIANS LECTIO.

a) Pro δε est γαρ in Codd. ABCDEFGJ.

℣. 14. *Scio et confido in Domino Jesu quia nihil commune per ipsum* , etc.) Occurrit objectioni, qua quis contra antegressum præceptum (*ne ponatis offendiculum fratri*) forte monuerit, nullum cibum ex sua natura esse immundum adeòque nec ab ullo abstinendum. Occurrit autem ita ut disertis verbis declaret, non se latere hoc; *scire se* (οιδα) *et persuasum esse* (πεπεισμαι), *quippe a* Christo Jesu *sic edoctum*, (εν Χριστῳ Ιησου), *nihil* (nullum cibum) *per se* (δι' αὐτου) *sive ex sua natura esse immundum* (κοινον) ; *illi tantum homini* (εκεινῳ) *immundum* (κοινον) *esse aliquid* (cibum quempiam) *qui illud* (illum cibum) pro immundo adeoque prohibito habeat (τῳ λογιζονενῳ τι κοινον ειναι), et nihilominus eodem utatur. Non quod hominis existimatio rei naturam immutet, sed quòd conscientiæ suæ dictamine ligetur.

Πεπεισμαι non significat *confido* sed *persuasus sum* , sive *certus sum* , quo modo supra (Cap. VIII. 38) auctor Vulgatæ vocem πεπεισμαι recte reddiderat . *Confido* est πεποιθα , ut Philipp. I. 14. II. 24. II. 3. 4. — Οιδα et πεπεισμαι non sunt heic subtiliter distinguenda ; πεπεισμαι tamen auget notionem antegressi οιδα. Quod autem addit Apostolus εν Χριστῳ Ιησου , eo significat *scientiam* suam et *persuasionem* niti Jesu Christi revelantis auctoritate [1] . Κοινον, *commune* , in præsenti quæstione tantumdem significat quod ακαθαρτον, *immundum*. Nimirum ea quæ Hebræis interdicta erant tamquam immunda , hæc illi vocabant *communia* , propterea quod horum usus esset *communis* ceteris gentibus [2]. Cf. Act. Cap. X. 14. Δι' αὐτου , *per se* , S. Chrysostomus interpretatur τῇ φυσει , *naturâ ipsâ suâ* [3]. Pro δι' αὑτου cum Spiritu *aspero* auctor Vulgatæ legisse videtur δι' αὐτου cum Spiritu *leni* ; nam vertit : *per ipsum*.

℣. 15. *Si enim propter cibum frater tuus contristatur* , *jam non secundum caritatem ambulas.*) Ea quæ versu proximè antegresso continentur pro *parenthesi* sive interjecta sententia habeo. Itaque putem præsentem versiculum decimum quintum cum decimo tertio ita cohærere ut in decimo quinto *ratio* (γαρ) detur cur quævis com-

---

(1) S. Chrys. (Hom. XXVI in Ep. ad Rom.): Εν Κυριῳ· τουτεστιν, εκειθεν μαθων, και παρ' αυτου πληροφορηθεις. Ουκ ἄρα ανθρωπινης διανοιας ἡ ψηφος. h. e. *Illinc edoctus , et ab ipso plene persuasus. Igitur non humanæ mentis decretum est.*

(2) S. Hieronymus (ad Matth. XV. 11) :« *Populus Judæorum , partem Dei se esse jactans , communes cibos vocat , quibus omnes utuntur homines , ut suillam carnem .... Commune ergo , quod ceteris hominibus patet quasi non de parte Dei , pro immundo appellatur.* »

(3) Hom. XXVI in Ep. ad Rom. : Τι τοινυν πεπεισαι και οιδας; ειπέ. Ὁτι ουδεν κοινον δι' αὑτου. Τῇ φυσει , φησιν , ουδεν ακαθαρτον , αλλ' απο της προαιρεσεως γινεται του μετιοντος· εκεινῳ γουν γινεται μονῳ, και ουχι πασι. h. e. *Qua igitur de re persuasus es ? quid nosti ? Dic. Quod nihil sit commune per se. Naturâ , inquit , nihil immundum est sed immundum fit ex proposito utentis ; illi ergo soli immundum est , non omnibus.*

edendi licentiâ utendum non sit, si hoc fieri nequeat quin infirmioribus fratribus scandalum præbeatur. *Hoc*, inquit Apostolus, *apud animum vestrum constituite* (*κρινατε*), *nullum præbere fratri vestro offendiculum* (*το μη τιθεναι προσκομμα τῳ αδελφῳ*); *nam* (*γαρ*) *si tu propter cibum quempiam* (*δια βρωμα*), hoc est, quia sumis cibum quempiam ab infirmo fratre tuo pro vetito habitum, *fratri tuo præbes occasionem peccandi* (*ὁ αδελφος σου λυπεῖται*), *jam non amplius agis secundum regulam charitatis* (*κατα αγαπην*). Negando contrarium plus vult significare quam verbis exprimit; quare et gravissimam addit monitionem hanc: *Noli*, inquit, *noli tuo cibo* (*τῳ βρωματι σου*) *animi exitium afferre* (*μη απολλυε*) *illi quem tanti fecit* Christus *ut pro eo mortem oppetere non dubitaverit!*

In *δια βρωμα* est breviloquentia contemtûs: *propter vilem aliquem cibum*, puta, a quo tu abstinere recusas, quamquam vides fratrem tuum tuo provocatum iri exemplo ad vescendum illo cibo contra suam conscientiam. *Λυπεισθαι contristari*, et hic propter *læsam*[1] conscientiam ob culpam admissam. Nam sicut solatium homini affert conscientia rectè facti, ita vicissim animi ægritudinem eidem affert malè facti conscientia. *Περιπατειν* ex Hebræorum loquendi modo (Cf. הָלַךְ Ps. I. 1.) hoc loco dicitur de *instituto vitæ*, de cujuspiam *agendi* seu *vivendi ratione*. *Κατα* Præpositio usurpata hic est de *norma secundum quam* quid fit aut fieri debet. Pronomen *σου* non sine indignatione adjectum fuit vocibus *τῳ βρωματι*, q. d. *noli tuo vili cibo isto.*

℣. 16. *Non ergo blasphemetur bonum nostrum*). *Το αγαθον*, *bonum*, Apostolus intelligit Evangelicam a Mosaicis circa cibos præceptis libertatem [2]; et monet, cavendum esse ne illa libertas ab infirmis *fide* (Cf. ℣.1.) maledictis proscindatur sive *blasphemetur* (*βλασφημεισθαι*); id quod pronum erat fieri si *firmi* (*οἱ δυνατοι* Cap. XV. 1.) intempestivo illius libertatis usu infirmis præberent occasionem ruinæ.

℣. 17—19. Non est enim regnum Dei esca et potus: sed justitia, et pax,

℣. 17 — 19. *Οὐ γάρ ἐστιν ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ βρῶσις καὶ πόσις,*

Paraphrasis. Neque enim vita in Christianismo instituenda consistit in sumendo

---

(1) Confer parallelum illum locum ex I Ep. ad Corinthios (Cap. VIII. 9—13): *Videte autem ne forte hæc licentia vestra offendiculum* (*προσκομμα*) *fiat infirmis.... Et peribit infirmus in tua scientia, frater, propter quem Christus mortuus est. Sic autem peccantes in fratres, et percutientes conscientiam eorum infirmam* (*και τυπτοντες αυτων την συνηδεισιν ασθενουσαν*) *in Christum peccatis. Quapropter si esca scandilizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.*

(2) Conf. 1 Cor. X. 29: *Ut quid enim libertas mea judicatur ab aliena conscientia?*

et gaudium in Spiritu sancto:
[18] qui enim in hoc servit
Christo, placet Deo, et
probatus est hominibus. [19]
Itaque quæ pacis sunt, sectemur: et quæ ædificationis sunt, in invicem custodiamus.

ἀλλὰ δικαιοσύνη καὶ
εἰρήνη, καὶ χαρὰ ἐν
Πνεύματι ἁγίῳ. [18] Ὁ
γὰρ ἐν τούτοις a) δουλεύων τῷ Χριστῷ, εὐάρεστος τῷ Θεῷ καὶ δόκιμος τοῖς ἀνθρώποις. [19] Ἄρα οὖν τὰ τῆς
εἰρήνης διώκωμεν καὶ τὰ τῆς οἰκοδομῆς τῆς εἰς ἀλλήλους. b)

hoc vel illo cibo aut potu, sed in observandis Dei mandatis et in colenda pace cum omnibus et in gaudendo in Spiritu sancto; nam is qui hisce rebus studet Christo servire, hic placet Deo et gratus est hominibus, nec provocabit eorum convicia. Itaque diligentem ponamus operam in servandâ animorum inter nos concordiâ et promovendâ mutuâ ædificatione.

VARIANS LECTIO.

a) Pro τουτοις est τουτῳ in Codd. ABCD*FG, quam lectionem exhibent quoque Vulgata plurimæque antiquæ versiones.

b) Post αλληλους additur φυλαξωμεν in Codd. DEFG, eamque lectionem Vulgata quoque exhibet. Sed vocem φυλαξωμεν recte, ut mihi quidem videtur, tribueris librario falsò existimanti verba και τα της οικοδομης εις αλληλους absque illa voce mancam præbere sententiam.

℣. 17—18. *Non est enim regnum Dei esca et potus, sed justitia*, etc.) Collectio (ουν) in antegresso versiculo (℣. 16) expressa, hæc erat: Caveamus ne libertate nostra intempestivè utentes eam exponamus infirmorum conviciis. Hanc vero collectionem nunc eo *firmat* (γαρ) Apostolus, quod monet, nullâ nos necessitate adigi ut illâ quævis vescendi licentiâ aliquando utamur, nedum semper et ubivis; *neque enim* (γαρ) *vitam in Christianismo instituendam* (ἡ βασιλεια του Θεου) *consistere in sumendo hoc vel illo cibo aut potu* [1], *sed in observandis Dei mandatis* (αλλα δικαιοσυνη), *et in colenda pace cum omnibus* (και ειρηνη), *et in gaudendo in Spiritu sancto; nam eum qui hisce rebus* (εν τουτοις) *studet* Christo *servire*, *hunc placere Deo et gratum esse hominibus nec provocaturum eorum convicia.*

(1) Confer locum parallelum istum (1 Cor. VIII. 18): *Esca nos non commendat Deo. Neque enim si manducaverimus, abundabimus* (meliores erimus); *neque si non manducaverimus, deficiemus* (pejores erimus).

Regnum Dei hoc loco intelligitur instituta a CHRISTO societas sive præsentis temporis Ecclesia [1]). Sumitur autem ibi *regnum Dei* non *objectivo* sensu de ipsa illa societate, sed *subjectivo*, hoc est *de ratione vitæ in regno Dei instituendæ*, sicut 1 Col. IV. 20. In qua figura orationis notanda est Metonymia *Adjuncti pro Subjecto.*— *Βρωσις* et *ποσις*, *comestio* et *bibitio* (*eeten en drinken*) de *actu* comedendi et bibendi. Cf. 2 Cor. IX. 10. Coloss. II. 16. De *cibo* ipso PAULUS non *βρωσις* sed *βρωμα* dicit 1 Cor. III. 2. VIII. 4. Attamen Hebr. XII. 16 *βρωσις* vox de ipsa *esca* adhibetur. Voces *βρωσις* et *ποσις* de ipso etiam *cibo* usurpari posse equidem non negaverim; sed cum adhibeantur quoque de *comedendi* et *bibendi* actu, hoc sensu maluerim illas voces hic accipere, propterea quod in contexta oratione (ỷ. 18: ὁ *εν τουτοις δουλευων*) agatur non de *rebus* sed de *actionibus*. *Δικαιοσυνη* et *ειρηνη* voces, quum, ut dixi, de *actionibus* sermo sit, sumendæ sunt, prior quidem de *probitate vitæ*, [2]) ut Matth. V. 6. 20. VI. 33, Act. X. 35, altera verò de *colenda pace* cum aliis, ut 2. Tim. II. 22.— *Χαρα εν Πνευματι ἁγιῳ* intelligitur *gaudium* illud quo gaudent justificati IN sua unione cum Spiritu sancto, qui *habitat* in justificatis (Rom. VIII. 11), quique gaudii illius *auctor* est (Gal. V. 22; 1 Thessal. I.); sed ob contextam orationem videtur hoc loco gaudium illud eo sensu esse sumendum ut gaudens intelligatur non tantum ipse gaudio suo frui, sed et eodem uti ad fratres suos quantum potest exhilarandos [3]), puta per suavem illam quam continuò promovet animorum concordiam *Εν τουτοις*, *in hisce* rebus occupatus. *Δοκιμος*, *acceptus*, *gratus.*

ỷ. 19. *Itaque quæ pacis sunt sectemur; et quæ ædificationis sunt in invicem custodiamus.*) Ex antegressa doctrinâ (ỷỷ. 13—18) exhortans *concludit* (*ἀρα ουν*) Apostolus *α*) *diligenter consectanda esse* (*διωκειν*) ea quæ ad pacem inter [4]) fratres

---

(1) Sicut Coloss. I. 13. IV. 11. De varia significatione qua dictio hæc, *regnum Dei*, in Scripturis Novi Testamenti sumitur, strictim diximus in Commentario in Actus Apostolorum ad Cap. XXVIII. 31.

(2) S. CHRYS. (Hom. XXVI in Ep. ad Rom.): Τινα ουν εστι τα εισαγοντα; Δικαιοσυνη, και ειρηνη, και χαρα. Ὁ εναρετος βιος, ἡ προς τον αδελφον ειρηνη, ᾗ εναντιουται αὕτη ἡ φιλονεικια· ἡ εκ της ὁμονοιας χαρα, ἣν αναιρει αὕτη ἡ επιπληξις. h. e. *Quænam ergo sunt quæ in regnum inducunt? Justitia, pax, gaudium. Vita cum virtute acta; pax cum fratre servata, cui contraria est contentio; lætitia, quæ ex concordia oritur, quam aufert increpatio.*

(3) S. CHRYS. (Hom. XXVI in Ep. ad Rom.): Ου γαρ οὕτω σε θαυμασονται της τελειοτητος, ὡς της ειρηνης και της ὁμονοιας ἁπαντες. Τουτου μεν γαρ του καλου παντες απολαυσονται, εκεινου δε ουδε εἱς. h. e. *Non enim sic te mirabuntur omnes propter perfectionem, sicut propter pacem et concordiam. Hoc quippe bono omnes fruentur, illo nullus.*

(4) Bene ESTIUS: *Pacem*, inquit, *opponit disceptationibus seu concertationibus*, *quas inter se habebant; ædificationem verò scandalo de quo superius egerat. Nam scandalum destructio proximi est.*

excolendam pertineant (*τα της ειρηνης*); et *β*) ea quoque quæ faciant ad mutuam ædificationem; adeoque et vitanda esse ea omnia quæ servandæ animorum concordiæ aut mutuæ ædificationi promovendæ (*τα της οικοδομης εις αλληλους*) obstarent. Prior exhortationis pars utrosque, tam *firmos* quam *infirmos*, spectat; altera vero *firmos* tantum, ad quos et deinceps Apostolus sermonem dirigit.

Διωκειν, *persequi*, et metaphoricè *studere*, *diligentem operam ponere in aliqua re.* *Τα της ειρηνης*, *της οικοδομης*, *ea quæ pacis*, *quæ ædificationis* (spiritualis) *sunt propria.* *Οικοδομη*, *exstructio*, ut puta tectorum, metaphoricè hic dicitur *de promovendo spirituali cujuspiam bono*, quo nempe ipsius animus veluti exstruitur.

℣. 20—23. Noli propter escam destruere opus Dei. omnia quidem sunt munda: sed malum est homini, qui per offendiculum manducat. 21 Bonum est non manducare carnem, et non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur. 22 Tu fidem habes? penes temet ipsum habe coram Deo: Beatus qui non judicat semet ipsum in eo, quod probat. 23 Qui autem discernit, si manducaverit, damnatus est: quia non ex fide. Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est.

℣. 20—23. *Μὴ ἕνεκεν βρώματος κατάλυε τὸ ἔργον τοῦ Θεοῦ. Πάντα μὲν καθαρά· ἀλλὰ κακὸν τῷ ἀνθρώπῳ τῷ διὰ προσκόμματος ἐσθίοντι.* 21 *Καλὸν τὸ μὴ φαγεῖν κρέα, μηδὲ πιεῖν οἶνον, μηδὲ ἐν ᾧ ὁ ἀδελφός σου προσκόπτει ἢ σκανδαλίζεται ἢ ἀσθενεῖ.* [a]) 22 *Σὺ πίστιν ἔχεις· κατὰ σεαυτὸν ἔχε ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ· Μακάριος ὁ μὴ κρίνων ἑαυτὸν ἐν ᾧ δοκιμάζει.* 23 *Ὁ δὲ διακρινόμενος, ἐὰν φάγῃ, κατακέκριται, ὅτι οὐκ ἐκ πίστεως· πᾶν δὲ, ὃ οὐκ ἐκ πίστεως, ἁμαρτία ἐστίν.*

Paraphrasis. Cave ne cibi causâ tu destruas id quod Deus exstruxit. Non nego equidem quin cibi sint ex natura sua mundi omnes, et hactenus fateor in nullius cibi usu quidquam esse mali; sed tamen is qui, nullo facto ciborum discrimine, quibusvis cibis vescitur, promiscuo illo ciborum usu fratri suo præbens occasionem peccandi, is, inquam, promiscuo hoc ciborum usu malum facit et peccat. Contrà, recte facis si, ut ne fratri tuo scandalum præbeas, abstines a carnibus et a vino et omninò a quocumque tandem cibo, cujus sumptio fratri tuo fieri possit occasio peccandi. Mihi firma persuasio est, inquis, prohibitum cibum esse nullum. Egregie! Sed nihil opus est persuasionem tuam ostentare cum proximi detrimento. Habeto tibi illam persuasionem coram Deo judice; cave verò utaris illâ cum proximi scandalo. Beatus qui in foro suæ conscientiæ non condemnat, ipse se in re quam exterius approbat! Qui vero dubitat an liceat nec-ne quibusvis cibis vesci, si nihilominus hoc fecerit, peccati reus factus est, quia egit contra conscientiæ suæ dictamen. Quidquid autem fit contra dictamen conscientiæ, peccatum est.

VARIANS LECTIO.

a) Voces istæ, ἢ σκανδαλίζεται ἢ ασθενει, non leguntur in Codd. AC. Glossema quidem sapiunt hæc verba, sed testatiora sunt quam ut liceat de eorum genuinitate dubitare. TISCHENDORFIUS ea omisit. Non probo.

ỳ. 20. *Noli propter escam destruere opus Dei.)* Antegressam adhortationem (*quæ ædificationis sunt in invicem custodiamus*) hic roborat Apostolus prohibendo proximi *destructionem*, quæ *ædificationi* opposita est. *Dei Opus* (το εργον του Θεου) vocat fratrem fidelem sive Christianum, utpote qui *divinâ* operante gratiâ talis evaserit: Cf. Ephes. II. 10. Et *opus* (εργον) hic cogita *ædificium* aliquod; nam metaphorica Apostoli oratio est, ductâ imagine ab ædificio quod *ædificetur* sive *exstruatur* (οικοδομειν) aut *destruatur* (καταλυειν). Ergo quod dicit Apostolus tale est: *Cave ne cibi causâ* (ἕνεκεν βρωματος) *tu destruas id quod Deus exstruxit.*

omnia quidem sunt munda; sed malum est homini qui per offendiculum manducat.) Apostolus, sicut supra ỳ. 14, ita etiam hic denuò occurrit illi qui forte objiceret, nullos esse cibos immundos, adeòque non esse cur ab ullo abstineatur. Concedit antecedens, negat vero consequentiam. *Non nego*, inquit, *quin cibi sint ex naturâ suâ mundi omnes, et hactenus fateor in nullius cibi usu quidquam esse mali; sed homini illi* (τῳ ανθρωπῳ) *qui nullo facto ciborum discrimine quibusvis cibis vescitur, promiscuo illo ciborum usu fratribus occasionem præbens peccandi* (δια προσκομματος), *illi promiscuus hic ciborum usus malum est et peccatum* (κακον τῳ εσθιοντι Dativ. *incommodi*). Præpositio δια, seq. Genitivo, ibi dicitur *de circumstantiis in quibus quis positus facit aliquid*, ut supra Cap. II. 27. IV. 11, et 2 Cor. II. 4, alibi.

ỳ. 21. *Bonum est non manducare carnem et non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur*, cet.) Dixerat *peccare* eum (κακον) qui promiscuo illo ciborum usu fratri præbet scandalum; jam, *ex opposito*, declarat, *rectè factum edere* (καλον) eum, qui ut ne fratri suo scandalum præbeat, abstinet a carnibus et a vino et omnino a quocumque tandem cibo potuve cujus sumptio fratri suo fieri possit occasio peccandi. — Apostolus hac sententia occurrit illi qui forte oggereret, nihil esse *honesti* in illa abstinentia.

Καλον scil. σοι εστιν, nam statim dicit ὁ αδελφος σου, et modò (ỳ. 20) oppositum κακον Dativo junxerat. Vetitum Judæis quoque erat vinum Gentilium. Vide

Mishnam, Tract. *De idololatria* Cap. II. 3. *Μηδὲ εν ῷ προσκοπτει* dictum est elliptice pro *μηδε φαγειν ἢ πιειν τι εν ῷ προσκοπτει*. Vulgatæ auctor *προσκοπτει* non satis recte reddidit *offenditur;* debebat *offendit*. *Εν ῷ* Belgice hic reddiderim *waaraan;* pertinet ex æquo ad tria quæ insequuntur verba. *Προσκοπτει* et *σκανδαλιζεται* synonyma sunt. *Ασθενεῖ infirmatur*, succumbit culpæ agendi contra conscientiam.

℣. 22—23. *Tu fidem habes? penes temetipsum habe coram Deo.)* Occurrit objectioni, qua quis diceret, *se firmiter persuasum habere* (*πιστιν εχω*) *prohibitum cibum esse nullum*, *ideoque et recte posse se quibuslibet cibis vesci*. Dicit Apostolus: *Mihi firma persuasio est* (*συ πιστιν εχεις*), *inquis*, *prohibitum cibum esse nullum. Egregie! Sed nihil opus est persuasionem tuam ostentare cum proximi detrimento. Habeto tibi* (*κατα σεαυτον*) *illam persuasionem coram Deo judice; cave verò utaris eâ cum scandalo aliorum*. *Πιστις animi persuasio*, ut supra ℣. 1.

Beatus qui non judicat semet ipsum in eo quod probat; qui autem discernit etc. *)* Tertiò hic, sed nunc obliquè, monet *firmum*, animadvertat fieri posse ut si intempestive persuasionem suam prodat, fratri suo *infirmo* occasionem præbeat ruinæ. Quod autem dicit, tale est: *Beatus qui interius* sive in foro suæ conscientiæ *non condemnat* (*κρινων*) *semetipsum in re quam exterius actu approbat!* (q. d. Beatus qui nulla in re agit contra conscientiæ suæ dictamen). *Qui verò dubitat* (*ὁ διακρινομενος*) an liceat nec-ne quibusvis cibis vesci, si nihilominus hoc fecerit (*εαν φαγη*), *reus factus est peccati* (*κατακεκριται*). *Ratio est, quia non fecit hoc secundum dictamen suæ conscientiæ* (*ὅτι ουκ εκ πιστεως*, scil. *ἔφαγε*). *Quidquid autem non fit secundum dictamen conscientiæ* (*παν δε ὁ ουκ εκ πιστεως* scil. *γινεται*), *peccatum est*.

Κρινειν=*κατακρινειν*, ut Act. XIII. 27. *Κατακεκριται damnatus est* (peccati), sive *reus factus est*. *Διακρινομαι* (Med.) *litigo* ipse mecum, *dubito*.



CAPUT DECIMUM QUINTUM.

ARGUMENTUM. *Pergit Apostolus monere instructiores sive* firmos, *ut* infirmorum *imbecillitates* CHRISTI *exemplo patienter ferant* (1—5). *Hinc flexo sermone ad omnes, tam* firmos *quam* infirmos, *universis a Deo exoptat animorum concordiam, jubetque ut Judæo-Christiani et Ethnico-Christiani invicem se fraternâ charitate complectantur, sicut* CHRISTUS *illos ambos, nullo gentis discrimine, in Dei filios adoptasset; ubi obiter docet quid tamen intersit Judæorum inter et Gentilium adoptionem; deinde piâ apprecatione posteriorem hanc epistolæ suæ partem claudit* (5—14).

EPILOGUS EPISTOLÆ. *Excusat se Apostolus quod Romanis scripserit, quamvis sciret eos se monitore carere potuisse; sed libertatem hanc se sumpsisse ait, ut satisfaceret Apostolico suo muneri, de cujus felici successu piè ibidem gloriatur* (14—20). *Sic autem ait se versatum fuisse in propagando Evangelio, ut non adiret illa loca in quibus* CHRISTUS *jam esset annunciatus*; *fuisse autem se ad præsentem usque diem hac in re assiduè occupatum, atque hinc impeditum quominus Romanos inviseret, id quod jam a multis annis facere desiderasset; nunc verò, quoniam in regionibus, in quibus adhuc fuisset commoratus, ubique annunciatum esset Evangelium, cogitare se proficisci in Hispaniam, sperare autem, instituto illuc per Romam itinere, Romanos in transcursu videre* (20—25). *Monet autem, prius quam arripere possit Hispanicum illud iter, eundum sibi esse Hierosolymam, ad eleëmosynas ex Macedonibus et Achivis in sustentationem Hierosolymitanorum Christianorum collectas eò deportandas*; *hinc verò se per Romam in Hispaniam profecturum* (25—30). *Postremò Hierosolymitanum suum iter, ut sospes sit, piis Romanorum precationibus commendat* (30—33).

ỳ. 1—4. Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, et non nobis placere. 2 Unusquisque vestrûm proximo suo placeat in bonum, ad ædificationem. 3 Etenim Christus non sibi placuit, sed sicut scriptum est: Improperia improperantium tibi ceciderunt super me. 4 Quæcumque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt: ut per patientiam, et consolationem Scripturarum, spem habeamus.

ỳ. 1—4. Ὀφείλομεν δὲ ἡμεῖς οἱ δυνατοὶ τὰ ἀσθενήματα τῶν ἀδυνάτων βαστάζειν, καὶ μὴ ἑαυτοῖς ἀρέσκειν. 2 Ἕκαστος γὰρ a) ὑμῶν b) τῷ πλησίον ἀρεσκέτω εἰς τὸ ἀγαθὸν, πρὸς οἰκοδομήν. 3 Καὶ γὰρ ὁ Χριστὸς οὐχ ἑαυτῷ ἤρεσεν, ἀλλὰ, καθὼς γέγραπται· Οἱ ὀνειδισμοὶ τῶν ὀνειδιζόντων σὲ, ἐπέπεσον ἐπ' ἐμέ. 4 Ὅσα γὰρ προεγράφη, εἰς τὴν ἡμετέραν διδασκαλίαν προεγράφη· c) ἵνα διὰ τῆς ὑπομονῆς καὶ διὰ d) τῆς παρακλήσεως τῶν γραφῶν, τὴν ἐλπίδα ἔχωμεν.

Paraphrasis. Debemus autem nos, quibus firma illa persuasio est, infirmorum fratrum nostrorum imbecillitates patienter sufferre, non verò plus æquo nobis addicti, proximorum utilitate neglectâ, nostris solummodo commodis inservire. Unusquisque nostrûm, inquam, non sibi tantùm, sed et proximo quoque suo placere studeat, idque in bonum ipsius, ut scilicet saluti ejus consulat. Nam Christus quoque, cujus exemplum nobis imitandum est, non sibi ipsi placuit, sed ita egit, ut de se, Deum Patrem suum alloquens, dicere potuerit quod scriptum est: *Convicia eorum, qui conviciantur tibi, ceciderunt super me.* Id quod Scripturæ verbis hic moneo; quæcumque enim ante nos divinitùs conscripta fuêre, ad nostram disciplinam fuêre conscripta, ut scilicet per patientiam ad quam Scriptura verbis et exemplis nos adhortatur, et per consolationem quam effata ejus nobis præbent, spem foveamus cœlestis gloriæ obtinendæ.

VARIANS LECTIO.

a) Particula γαρ non legitur in Codicibus ABCDEFG, ut nec in plerisque antiquis versionibus.

b) Pro ὑμῶν est ἡμῶν in plerisque Codd. uncialibus et antiquis versionibus; et ego quidem hanc lectionem alteri prætulerim quum et contexta quoque oratio (ỳ. 1 et 4) eam postulet.

c) Pro προεγραφη (secundo loco) est εγραφη in Codd. BÇDEFG, quam lectionem Vulgata quoque exhibet, eamque pro genuina Pauli scriptura habuerim. Lectionem προεγραφη tribuerim librariorum aut correctioni aut aberranti oculo.

d) Præpositio δια (secundo loco) legitur tantum in Codd. ABCJ, et in plurimis Minusculis.

ỹ. 1. *Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, et non nobis placere*). Non satis recte ab his verbis factum est novi capitis initium ; arctissimo enim nexu ea quæ hic dicuntur cum antegressa exhortatione (Cap. XIV. 20—23) cohærent. Nam cum significasset Apostolus quali periculo *infirmos* exponerent *firmiores* intempestivo suæ libertatis usu , heic , ex adverso (δε), eosdem officii sui erga infirmos admonet. Dicit ergo : *Debemus autem* (puta debito fraternæ charitatis) *nos* , *qui firmi sumus* , (οἱ δυνατοι scil. τῃ πιστει. Cf. XIV. 1) *infirmorum fratrum nostrorum* (των αδυνατον) *imbecillitates patienter sufferre* (βασταζειν) , *et non* , plus æquo nobis addicti , *nostris solummodo commodis inservire* (μη ἑαυτοις αρεσκειν) , proximorum utilitate neglectâ. — *Imbecillitates* (ασθενηματα) Apostolus intelligit *actiones infirmorum* natæ ex falsa illorum persuasione quâ crederent , leges rituales etiamnum vim obligandi habere.

ỹ. 2. *Unusquisque vestrûm proximo suo placeat in bonum , ad ædificationem.*) Antegressæ sententiæ , *Non debemus nobismetipsis solùm placere* , Apostolus addit antitheticam hanc : *Unusquisque nostrum* (ἡμῶν [1]) *placere quoque studeat* (αρεσκετω) *proximo suo, idque in bonum* (εις αγαθον , pour son bien), *ad ædificationem* (προς οικοδομην), h. e. *ut saluti ejus inserviat.* Προς οικοδομην epexegesis est antegressi εις το αγαθον. Confer locum parallelum istum (1 Cor. X. 32) : *Sine offensione estote Judæis et Gentibus... sicut et ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant.*

ỹ. 3. *Etenim Christus non sibi placuit, sed sicut scriptum est : Improperia* , cet.) Superiorem monitionem confirmat (γαρ) proposito Christi exemplo, quod a nobis imitandum sit. Cf. 1 Joh. II. 6. *Nam* Christus *quoque* (και), inquit , cujus exemplum nobis imitandum est , *non sibi ipsi placuit* (h. e. non suis commodis inservivit [2]), *sed ita egit, ut de se , Deum Patrem suum alloquens , dicere potuerit quod scriptum est* : *Convicia eorum qui conviciantur tibi, ceciderunt super me.*

---

(1) Vide Var. lect.

(2) Bene Estius (ad h. l.) : « Apostolo ii dicuntur *sibi placere*, qui acquiescunt in bono suo, non solliciti ut et aliis bene sit ; quemadmodum faciebant quos reprehendit capite superiori , qui in sua de ciborum indifferentia et legalium cessatione scientia ac fide ita conquiescebant sicque eâ utebantur, ut aliorum scandala non vitarent , nec omnino infirmitates eorum sustinerent. Hoc modo Christus non sibi placuit. Non enim sibi ipsi indulsit ; non ita bono suo contentus fuit , ut non etiam curaret aliorum salutem. Nam *propter nos homines et propter nostram salutem descendit de cœlis.* »

Scripturæ testimonium, quod hic adducit Apostolus, desumptum est ex Psalmo 68 (Hebr. 69). ℣. 10; qui Psalmus typico sensu *propheticus* est de MESSIA, ut diximus supra ad Cap. XI. 9. Integer locus, quem PAULUS hic respicit in laudato Psalmo, hebraicè sic legitur: כִּי־קִנְאַת בֵּיתְךָ אֲכָלָתְנִי וְחֶרְפּוֹת חוֹרְפֶיךָ נָפְלוּ עָלָי h. e. *Quia zelus pro domo tuà me devoravit, ideo* (ו) *convicia eorum qui conviciantur tibi ceciderunt super me.* Dicit ergo quæ hic loquitur typica persona: *Tui causâ, o Deus, impii homines contumeliis me affecerunt.* Quæ si ad antitypicam CHRISTI personam transtuleris, illum tibi exhibent qui *cum in forma Dei esset semetipsum exinanivit formam servi accipiens* (Philipp. II. 6. 7); qui impiorum hominum contumeliis affectus fuit quòd Patrem suum honorificaret (Joh. VIII. 48. 46 II. 13—20 XV. 24); quique, *proposito sibi gaudio*, ad reconciliandum humanum genus cum irato Deo *crucem sustinuit, confusione contemptâ* (Hebr. XII. 2)[1].

℣. 4. *Quæcumque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut*, cet.) Dans *rationem* (γαρ) Apostolus cur modò (℣. 3) in CHRISTI exemplo proponendo usus sit verbis Scripturæ, obitèr docet quem in finem sacræ litteræ Veteris Testamenti (*προεγραφη*) conscriptæ fuerint; ubi tamen non omnes sacræ Scripturæ utilitates recenset (cf. 2 Tim. III. 16), sed earum unam tantùm et alteram assignat. *Quæcumque enim*, inquit, *ante nos conscripta fuêre* (*προεγραφη*), *ad nostram disciplinam* (*εις την ἡμετεραν διδασκαλιαν*) *fuêre conscripta* (*εγραφη*[2]); *ut scilicet per patientiam* (*δια της ὑπομονης*) ad quam Scriptura verbis et exemplis nos adhortatur, *et per consolationem* (*και δια της παρακλησεως*) quam effata ejus nobis præbent, *habeamus spem cœlestis gloriæ obtinendæ* (*την ελπιδα*). Cf. Cap. V. 4. Genitivus *τῶν γραφῶν* tam ad *ὑπομονῆς* quam ad *παρακλησεως* pertinere dicendus est, idque sive legas Præpositionem *δια* ante *της παρακλησεως*, sive omittas. Bene ESTIUS: *Ut exhibentes in adversis patientiam ad quam Scripturæ passim adhortantur, et ex iisdem consolationem accipientes, nimirum futura et æterna bona promittentibus, spem habeamus eorum bonorum atque in ea spe roboremur. Hortantur autem ad patientiam, et consolationem suggerunt Scripturæ, non solum monitis sed etiam propositis ob oculos exemplis eorum qui Deo placuerunt, maxime* CHRISTI *Domini.*

---

(1) S. CHRYS. (Hom. XXVII in Ep. ad Rom.): Τι δε εστιν, Ουχ ἑαυτῷ ηρεσεν; Εξην αυτῳ μη ονειδισθηναι, εξην μη παθειν ἅπερ επαθεν, ει γε ηθελε το ἑαυτου σκοπειν· αλλ' ὅμως ουκ ηθελησεν, αλλα το ἡμετερον σκοπησας, το ἑαυτου παρειδε. h. e. *Quid vero est, Non sibi placuit? Poterat ille non opprobria ferre; poterat non pati quæ passus est, si sua spectare voluisset. At ille noluit; sed quod nostrum erat respiciens, quod ad se pertinebat neglexit.*

(2) Vide Var. lect.

ỳ. 5—6. Deus autem patientiæ, et solatii det vobis idipsum sapere in alterutrum secundum Jesum Christum : [6] ut unanimes, uno ore honorificetis Deum, et patrem Domini nostri Jesu Christi.

ỳ. 5—6. Ὁ δὲ Θεὸς τῆς ὑπομονῆς καὶ τῆς παρακλήσεως δῴη ὑμῖν τὸ αὐτὸ φρονεῖν ἐν ἀλλήλοις κατὰ Χριστὸν Ἰησοῦν· [6] ἵνα ὁμοθυμαδὸν ἐν ἑνὶ στόματι δοξάζητε τὸν Θεὸν καὶ πατέρα τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ.

Paraphrasis. Deus autem qui patientiæ et solatii largitor est, det vobis, sublatis illis de lege rituali contentionibus, ut secundum Jesu Christi voluntatem unum idemque sentiatis omnes; ut sic animo concordes uno ore glorificetis Deum et Patrem Domini nostri Jesu Christi.

ỳ. 5—6. *Deus autem patientiæ et solatii det vobis idipsum sapere in alterutrum secundum Jesum Christum, ut unanimes*, etc.) Significare vult Apostolus, donum hoc esse divinæ gratiæ ut *reapse* habeamus patientiam ad quam Scripturæ nos adhortantur et solatium quod eædem nobis suggerunt; nam ideò Deum hic vocat *Deum* της ὑπομονης και της παρακλησεως (in Genitivo *effectûs*, ut 2 Cor. 1. 3: θεος πασης παρακλησεως), h. e. *patientiæ et solatii largitorem*. Ad nexum autem hujus orationis cum antegressâ quod attinet, Apostolus a superiore adhortatione (1—4) *transit* (δε) ad concipiendum pium votum illi adhortationi conveniens. Itaque Romanis suis exoptat, ut Deus *patientiæ et solatii*, qui idem est ac *Deus pacis* (1 Thess. V. 23), det illis (Ethnico-Christianis et Judæo-Christianis), sublatis illis contentionibus, *idem inter se sentire et dicere* (το αυτο φρονειν εν αλληλοις) *secundum* Christi Jesu *voluntatem* (κατα Χριστον Ιησουν), ut sic *animo concordes* (ὁμοθυμαδον) uno ore ambo glorificent Deum et Patrem Domini nostri Jesu Christi.

Δῴη forma Hellenistica est; Attici dicebant δοίη. Cf. Lobeckium ad Phryn. p. 46. Occurrit et αποδῴη 2 Tim. IV. 14. Φρονειν hic de actu *intellectûs* dicitur. Εν αλληλοις, *inter vos*, in cœtu vestro; non scripsit εις αλληλους, *erga vos*. Κατα Χριστον ut supra (Cap. VIII. 27) κατα Θεον. Genitivus του Κυριου tam ad πατερα quam ad τον Θεον pertinet, quia Articulus ante πατερα non repetitur.

ỳ. 7—12. Propter quod suscipite invicem, sicut et Christus suscepit vos in honorem Dei. [8] Dico enim Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis propter

ỳ. 7—12. Διὸ προσλαμβάνεσθε ἀλλήλους, καθὼς καὶ ὁ Χριστὸς προσελάβετο ὑμᾶς εἰς δόξαν Θεοῦ. [8] Λεγω δὲ [a]), Ἰησοῦν Χριστὸν διάκονον γεγενῆσθαι

Paraphrasis. Quapropter invicem benigne suscipite, exemplo Christi, qui vos ambos, nullo gentis discrimine, suscepit ad Dei gloriam illustrandam. Hoc nimirum dico: Jesum Christum Judæis evangelium salutis prædi-

veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum: 9 Gentes autem super misericordia honorare Deum, sicut scriptum est: *Propterea confitebor tibi in Gentibus Domine, et nomini tuo cantabo.* 10 Et iterum dicit: *Lætamini Gentes cum plebe ejus.* 11 Et iterum: *Laudate omnes Gentes Dominum: et magnificate eum omnes populi.* 12 Et rursus Isaïas ait: *Erit radix Jesse, et qui exsurget regere Gentes, in eum Gentes sperabunt.*

περιτομῆς ὑπὲρ ἀληθείας Θεοῦ, εἰς τὸ βεβαιῶσαι τὰς ἐπαγγελίας τῶν πατέρων· 9 *τὰ δὲ ἔθνη ὑπὲρ ἐλέους δοξάσαι τὸν Θεὸν, καθὼς γέγραπται· Διὰ τοῦτο ἐξομολογήσομαί σοι ἐν ἔθνεσι, Κύριε, καὶ τῷ ὀνόματί σου ψαλῶ.* 10 *Καὶ πάλιν λέγει· Εὐφράνθητε, ἔθνη, μετὰ τοῦ λαοῦ αὐτοῦ.* 11 *Καὶ πάλιν· Αἰνεῖτε τὸν Κύριον πάντα τὰ ἔθνη, καὶ ἐπαινέσατε αὐτὸν πάντες οἱ λαοί.* 12 *Καὶ πάλιν Ἡσαΐας λέγει· Ἔσται, ἡ ῥίζα τοῦ Ἰεσσαὶ καὶ ὁ ἀνιστάμενος ἄρχειν ἐθνῶν, ἐπ' αὐτῷ ἔθνη ἐλπιοῦσιν.*

casse, ut sic Deus verax fidelisque demonstraretur, ut inquam, sic adimplerentur promissiones olim patribus eorum a Deo factæ; Gentiles autem dico, quando Christus illos suscepit, glorificasse Deum pro misericordia illis exhibita; quam misericordiam illis aliquando exhibendam esse Prophetarum oracula olim prænunciaverant. Nam apud Psalmographum ipse Christus dixit: *Laudem tuam, Domine, prædicabo inter Gentes.* Et alibi Scriptura dicit: *Lætamini Gentes cum populo ejus.* Et iterum: *Laudate Dominum omnes gentes et magnificate eum omnes populi.* Idem prædixit Isaias: *In illa die fiet, ut Gentes studiose se convertant ad Jessæum surculum, et ad eum qui exsurgit ad imperandum Gentibus.*

VARIANS LECTIO.

a) Pro *δὲ* est *γὰρ* in Codd. ABCDEFG.

℣. 7. *Propter quod suscipite invicem, sicut et Christus suscepit vos in honorem Dei.*) Redit Apostolus ad superiorem exhortationem (Cap. XIV. 1) de fratribus benigne assumendis; quamquam verò nunc non, ut ibi, *firmos* tantum sed *infirmos* quoque alloquitur, tamen ad *firmos* imprimis, puta ad Ethnico-Christianos, sermo ejus

directus est; exhortationem autem suam Christi iterum exemplo confirmat, ut hoc exemplo illos ad concordiam excitet.— Particula δια (*propter quod*, *quare*, *quæ cum ita sint*) ætiologice refertur ad rationes omnes in antegressa exhortatione expositas. Verba ista, εις δοξαν Θεου jungenda sunt non cum remoto προσλαμβανεσθε, sed cum proximo προσελαβετο. Igitur Christus hic dicitur *assumpsisse* (προσλαμβανεσθαι Med.), hoc est, *ad se admississe*, adoptivos Dei filios effecisse, tam Judæos quam Gentiles, idque *ut per hoc Dei gloriam promoveret* (εις δοξαν Θεου).

℣. 8—9. *Dico enim Jesum Christum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, cet.*) Dicit Apostolus, Judæorum illam atque Gentilium in Dei filios assumptionem ideo cessisse *in gloriam Dei*, quia in assumptis Judæis demonstrata fuerit Dei veracitas per adimpleta ejus promissa; in assumptis verò Gentilibus manifestata ejusdem misericordia. Unàque ibi docet quid intersit Judæorum inter et Gentilium assumptionem.

Promissio de mittendo Messia Salvatore divinitùs facta fuerat non Gentilibus sed Israëlitici populi progenitoribus: *Prophetam de gente tua et de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus; ipsum audies.* (Deuteron. XVIII. 15). Prædicta sane fuerat imo et promissa salus Gentilium; sed promissio hæc facta fuerat non Gentilibus [1]), sed Israëlitarum progenitoribus: *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ* (Genes. XXII. 18. Gal. III. 14—17). Itaque in Judæis assumptis apparebat Dei *veracitas* (αληθεια) sive fidelitas in præstandis promissis; in Gentilibus verò assumptis ejusdem manifestatabatur misericordia. Recte et omnino ad rem Dominicus Soto (ad h. l.) « Meritò hic sciscitaris, *inquit*, quidnam sibi voluerit Paulus per hanc distributionem veritatis (*veracitatis*, *fidelitatis*) et misericordiæ. Nam et Judæi, sicut et Gentes, per misericordiam redempti sunt. De universis siquidem ait, quod *secundum suam misericordiam salvos nos fecerit* (Tit. III. ℣.5). Et rursus Gentes per Dei quoque *veritatem* idem beneficium suscepêre; non solum quòd *universæ viæ Domini misericordia et veritas*, verùm quod promissiones illæ ad gentes quoque attinebant, ut patet ex verbis præcipuè promissionis ipsius factæ Abrahæ: *In semine tuo benedicentur omnes Gentes.* Respondetur, nonnullum esse semper interstitium inter Judæos et Gentes: nam licet promissum beneficium redemptionis ad universum mundum esset dilatandum et extendendum, tamen promissio ipsa facta erat peculiariter Abrahæ et semini ejus; in cujus testimonium ipse solus cum suo semine obsignatus fuit charactere circumcisionis. Qua ratione comparatus est olivæ prolesque ejus secundum carnem appellatæ sunt ab Apostolo *naturales rami.* Ob idque licet per misericordiam factæ fuerint promissiones, tamen postquam factæ sunt, erant, propter veritatem Dei, per justitiam quamdam confirmandæ et exhibendæ, qua ratione

---

(1) Ephes. II. 12: *Eratis hospites testamentorum, promissionis spem non habentes.*

dictus est Christus minister Judæorum, ad id delegatus. Gentibus verò, licet et prophetiarum veritas quæ de eâ re præcantatæ fuerant exposceret ut in familiam Christi reciperentur, tamen quia illis non fuit peculiariter facta promissio, sed tamquam insititiis ramis beneficium olivæ communicatum est, eâ carebant (scil. promissiones) veritate justitiæ, quæ in Judæis erat. Quoniam licet Deus nulli creaturarum propriè obligetur, fit tamen modo nostroconcipiendi, illi obligatus, cui promittit. Atque hac ratione Gentes per meram misericordiam censentur evocatæ. Et hoc est, quod ait, *super misericordia*, id est, non *propter veritatem* promissionis scilicet illis factæ, *honorare Deum*, qui illos, cum non essent naturales, fecit tamen adscititios filios Abrahæ; id quod magnificentiam atque adeo honorem maxime et gloriam Dei commendat.»

Apostolus ergo, *explicaturus* (γαρ) id quod modo dixerat, scilicet Judæorum illam atque Gentilium assumptionem cessisse *in gloriam Dei*, sic loqui pergit: *Dico nempe* (γαρ) Jesum Christum *exstitisse* (γεγενησθαι) *ministrum circumcisionis*, hoc est, Judæis evangelium salutis prædicasse, *ut sic Deus verax et fidelis demonstraretur* (ὑπερ αληθειας Θεου), *ut*, *inquam*, *sic adimplerentur promissiones olim patribus eorum a Deo factæ; Gentiles autem dico* (τα δε εθνη scil. λεγω) *glorificasse* (δοξασαι) *Deum pro* (ὑπερ) *misericordiâ ipsis exhibitâ; quam misericordiam aliquando illis exhibendam esse Prophetarum oracula olim prænunciaverant* (καθως γεγραπται).

Γαρ hic Particula *explicantis* est valetque Latinorum *nimirum*, ubi ponitur cum explicando efficere studemus ne quis rem aliquam tamquam novam rejiciat. *Διακονος* Christus hoc loco dicitur quemadmodum et Apostoli vocantur διακονοι καινης διαθηκης 2 Cor. III. 6. *Περιτομη*, *circumcisio*, abstractâ voce positâ pro concreta, designat περιτμηθεντας, *circumcisos*, hoc est, Judæos, ut supra Cap. III. 30. *Αληθεια Θεου* hic intelligitur Dei *veracitas* sive fidelitas in præstandis promissis; patet hoc ex epexegetico εις το βεβαιῶσαι τας επαγγελιας των πατερων. Præpositio ὑπερ utroque loco valet *pro*, sed priori (℣. 8.) notat *in favorem* sive *in commodum alicujus*; posteriori verò (℣. 9) significationem habet quam obtinet in locutione *gratias agere pro beneficiis*. — *Βεβαιοῦν τας επαγγελιας* *firmare*, *rata facere*, hoc est *servare promissa*, Græcis frequentata phrasis est. Cf. Raphel. ad h. l. *Των πατερων* est Genitivus *objecti*: promissa *Patrum*, h. e. facta Patribus. *Δοξασαι*, *glorificasse*, puta quando Christus illos *suscepit* (℣. 7).

℣. 9—13. *Sicut scriptum est: Propterea confitebor tibi in gentibus, Domine*, cet.) Prædictum olim fuisse, fore ut Deus misericordiam (℣. 9) Gentilibus exhiberet, Apostolus deinceps probat adductis quatuor in hanc rem testimoniis; idque fecerit, quod Estius hic monet, *maximè propter Judæos*, *ut quibus difficile esset persuadere*, *Gentes vocandas esse ad participationem beneficiorum* Messiæ, *sibi*, *non Gentibus promissi*.

Primum testimonium sumptum est ex Psalmo XVII (Hebr. XVIII), ℣. 50: *Propterea laudabo te* (אוֹדְךָ ἐξομολογήσομαι. Vide supra ad Cap. XIV. 11) *inter gentes Domine*, *et nomini tuo cantabo*. Est autem Psalmus ille carmen ἐπινίκιον, quod cecinit David, quum hostes suos omnes superasset, firmatoque suo regno in altissima pace degeret [1]). Patet hoc cum ex Psalmi titulo, tum etiam ex 2 Reg. XXII. Itaque historico et litterali sensu Psalmus pertinet ad Davidem, typum Messiæ, sensu verò typice-prophetico dicendum est, Paulo doctore, eumdem Psalmum pertinere ad Messiam Davidis antitypum. David ergo ibi dicit: *Laudabo te*, Jehova, *inter gentes quæ in meam redactæ sunt potestatem;* Christus vero ibi dicit: *laudem tuam prædicabo inter Gentes*, etc.; quod profectò factum est cum Apostolorum suorum ministerio *prædicari jussit Evangelium omni creaturæ* (Marc. XVI. 15) et *docere omnes gentes* (Matth. XXVIII. 19). Prædictum ergo erat fore ut Gentiles ad Messianam salutem admitterentur; id quod erat probandum.

Alterum testimonium sumptum est ex Deuteron. Cap. XXXII. 43: *Lætamini Gentes cum plebe ejus;* Græcè: ευφρανθητε εθνη μετα του λαου αυτου, quæ ipsa est præsentis loci interpretatio in versione Septuaginta-virali. Jam verò, ex Pauli interpretatione, propheticis hisce verbis excitantur Gentes ut jubilent unà cum Judæis, utique quia ipsæ quoque factæ fuerint participes Messianæ salutis [2]).

---

(1) Confer Muisium ad hunc Psalmum.

(2) In Hebraico textu præsens locus sic legitur: הַרְנִינוּ גוֹיִם עַמּוֹ quæ verba in Vulgata recte reddita sunt: *Laudate*, *Gentes*, *populum ejus*, nisi quod pro *laudate* maluissem *jubilantes celebrate*. Si verba Græca, ευφρανθητε, εθνη, μετα του λαου αυτου, reddideris *lætamini*, *Gentes*, de *populo ejus*, nulla erit discrepantia inter Græcum textum et Hebraicum. Nam *re* hic non differunt *jubilando celebrare quempiam* et *lætari de aliquo*. Atqui fieri potest, quod conjecit Lud. de Dieu (*Critica sacr.* ad h. l.), ut Græci interpretes præpositionem μετα hoc loco reapse ita usurpaverint ut illi subjecerint notionem Præpositionis *ob* vel *de*. «In Hebræo est, inquit, הַרְנִינוּ גוֹיִם עַמּוֹ, quod quum ad verbum sonet, *Canite*, *Gentes*, *populum ejus*, Septuaginta verterunt ut citavit Apostolus, mutatâ quidem phrasi, sed eodem sensu, quasi dixissent: ᾄδετε ἔθνη τὸν λαὸν αὐτοῦ. Nam μετα præpositio ibi non significat *societatem*, quasi mens sit: *Habet populus Dei cur canat*, *vos Gentes adjungite vos socios et canite unà cum eo;* sed argumentum significat et materiam cantûs, id ipsum quod cantu celebrari debet; quomodo et Belgicè dicimus, *Hy is blyde* met *zyn huwelyk*, quasi Latinè dicas, *gaudet* cum *conjugio suo*, id est, felicitas conjugii ipsius materia ipsi gaudii est. Sic Septuaginta, Psalm. 21. ℣. 7. dixerunt: Εὐφρανεῖς αὐτὸν ἐν χαρᾷ μετὰ προσωπου σου, *exhilarabis eum in lætitiâ cum vultu tuo*. Sensus est: Facies ut ex vultu tuo habeat argumentum lætitiæ. Sic Isaiæ XXIV. 14 pro יָרֹנּוּ בִּגְאוֹן יְהוָה *cantabunt in excellentia Domini* (i. e. de exellentia, cantabunt excellentiam, vel lætabuntur ob excellentiam), Septuaginta habent εὐφρανθήσονται ἅμα τῇ δόξῃ Κυρίου, *lætabuntur cum gloria Domini*, i. e. ἐπὶ τῇ δόξῃ *ob gloriam*, *de gloria*, quod idem est atque *canent gloriam Domini*.

Tertium testimonium (℣. 11) ductum est ex Psalmo 116 (Hebr. 117) ℣. 1 : *Laudate Dominum omnes Gentes, laudate eum omnes populi.* Quo loco quum *Gentes* omnes inviteniur ad laudandum Deum ; eo ipso, PAULO interprete, intelliguntur divinam consecutæ misericordiam et Messianæ salutis factæ participes.

Quartum denique testimonium (℣. 12) sumptum est ex ISAIÆ vaticinio Cap. XI. 10 : *Erit radix Jesse et qui exurget regere G e n t e s, in eum G e n t e s sperabunt.* Quem locum PAULUS recitavit secundum versionem Septuaginta-viralem, nisi quod omisit voces *εν τη ἡμέρᾳ εκεινῃ*. Nam in illa versione sic legitur : *Και εσται εν τη ἡμερᾳ εκεινῃ, ἡ ῥιζα του Ἰεσσαι και ὁ ανισταμενος αρχειν εθνῶν, επ᾽ αυτῳ εθνη ελπιοῦσι.* Unde patet vocem *erit* (*εσται*) non construi cum *τῳ radix Jesse* (*ἡ ῥιζα του Ἰεσσαι*), sed *absolutè* positam esse et valere *erit* (contingel) ; et jam quod sequitur, *ἡ ῥιζα του Ιεσσαι και ὁ ανισταμενος αρχειν εθνων*, sumendum hoc est ad modum Nominativi absoluti, quem si circumlocutione usus exposueris per *quod attinet ad*, perspicuus hic eruitur sensus : *Erit* (aliquando), *quod attinet ad radicem Jesse et eum qui exsurget ad imperandum Gentibus, ut in illo Gentes spem suam reponant.* Ceterum Septuaginta interpretes præsentis vaticinii sensum potius quam verba reddiderunt; nam Hebraicè est : וְהָיָה בַּיּוֹם הַהוּא שׁוֹרֶשׁ יִשַׁי אֲשֶׁר עֹמֵד לְנֵס עַמִּים אֵלָיו גּוֹיִם יִדְרֹשׁוּ h. e. *Et erit in die illa : surculus Jesse* (Messias oriundus *κατα σαρκα* ex DAVIDE filio JESSE) *qui stabit in vexillum populorum, ad eum Gentes studiosè se convertent.* Quæ verba tanta perspicuitate Gentium vocationem prædicunt, ut nullâ interpretatione indigeant.

℣. 13. Deus autem spei repleat vos omni gaudio, et pace in credendo : ut abundetis in spe, et virtute Spiritûs sancti.

℣. 13. Ὁ δὲ Θεὸς τῆς ἐλπίδος πληρώσαι ὑμᾶς πάσης χαρᾶς καὶ εἰρήνης ἐν τῷ πιστεύειν, εἰς τὸ περισσεύειν ὑμᾶς ἐν τῇ ἐλπίδι, ἐν δυνάμει Πνεύματος ἁγίου.

Paraphrasis. Deus autem, spei nostræ auctor, vos in suscepta fide repleat omni spirituali gaudio et pace, ut exuberetis in illa spe per virtutem Spiritûs sancti.

℣. 13. *Deus autem spei repleat vos omni gaudio et pace in credendo, ut abundetis in spe,* cet.) Transiturus Apostolus ad epistolæ suæ epilogum, superiorem adhortationem (Cap. XIV. XV. 1 — XV. 12) pio concludit voto, quo Romanis *exoptat a Deo, spei christianæ auctore* (*ὁ Θεος της ελπιδος*), *ut illos in susceptâ fide*

(1) שׁוֹרֶשׁ *surculus*, ut Isaiæ Cap. 52. 2. Atque ita quoque vocem intellexit Chaldæus paraphrastes qui שׁוֹרֶשׁ יִשַׁי reddidit בַּר בְּרֵיהּ דְּיִשַׁי h. e. *filium filii ejus* JESSE

(*εν τῳ πιστευειν* in hun geloovig zijn) *repleat omni spirituali gaudio et pace , idque in eum finem ut* (*εις*) *in spe consequendæ salutis ex fide conceptâ exuberent per virtutem Spiritûs Sancti.*

Deum Apostolus hic vocat *Deum* SPEI (*της ελπιδος*, in Genitivo *effectûs* , ut supra ℣. 5) , quippe qui spei nostræ auctor est per concessam gratiam Justificationis , quâ adoptivi filii ejus effecti (Cap. VIII. 15—18) *heredes sumus* (nondum secundum rem , sed) *secundum spem vitæ æternæ* (Tit. III. 7). *Spem* ergo intelligit *spem consequendæ æternæ salutis*. Deum autem *auctorem spei* hic nominavit quia Romanis adprecaturus erat ut *in illa spe abundarent* (*περισσευειν εν τῃ ελπιδι*), toto pectore eâdem veluti repleti.- *Gaudium* (de Deo) et *pacem* (cum Deo) Apostolus intelligit duo Spiritûs Sancti dona (Cf. Gal. V. 22) , iisque tamquam causis tribuit *spei* incrementum ; nam precatur Deum ut Romanos repleat donis illis *in eum finem ut* (*εις*) in dies magis magisque *in illa spe exuberent* (*εις το περισσευειν ὑμας εν τῃ ελπιδι*). Quam *spei* exuberantiam effici docet *per virtutem Spiritûs Sancti* (*εν δυναμει Πνευματος ἁγιου*). In Vulgata legitur : ET *virtute Spiritus Sancti ;* sed ET Conjunctionem nullus Græcus Codex hoc loco agnoscit ; et abest illa quoque , ESTIO teste , a nonnullis Msc. Codicibus Vulgatæ.

℣. 14—16. Certus sum autem fratres mei et ego ipse de vobis, quoniam et ipsi pleni estis dilectione , repleti omni scientia , ita ut possitis alterutrum monere. 15 Audaciùs autem scripsi vobis fratres ex parte, tamquam in memoriam vos reducens : propter gratiam , quæ data est mihi à Deo, 16 ut sim minister Christi Jesu in Gentibus : sanctificans Evangelium Dei , ut fiat oblatio Gentium accepta , et sanctificata in Spiritu sancto.

℣. 14—16. *Πέπεισμαι δὲ , ἀδελφοί μου , καὶ αὐτὸς ἐγὼ περὶ ὑμῶν, ὅτι καὶ αὐτοὶ* [a] *μεστοί ἐστε ἀγαθωσύνης , πεπληρωμένοι πάσης γνώσεως , δυνάμενοι καὶ ἄλλους* [b] *νουθετεῖν.* 15 *Τολμηρότερον δὲ ἔγραψα ὑμῖν, ἀδελφοὶ , ἀπὸ μέρους , ὡς ἐπαναμιμνήσκων ὑμᾶς, διὰ τὴν χάριν τὴν δοθεῖσάν μοι ὑπὸ τοῦ Θεοῦ* 16 *εἰς τὸ εἶναί με λειτουργὸν Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς τὰ ἔθνη, ἱερουργοῦντα τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Θεοῦ, ἵνα γένηται ἡ προσφορὰ τῶν ἐθνῶν εὐπρόσδεκτος , ἡγιασμένη ἐν Πνεύματι ἁγίῳ.*

Paraphrasis. Persuasum autem habeo , fratres mei , etiam ipse ego de vobis, quod jam ipsi vestrâ sponte pleni estis fraterna charitate , repleti omni scientia , adeòque tales qui possitis etiam vos invicem monere. Attamen aliquantulum audentior scripsi vobis , fratres , non tamquam vos docturus ea quæ nesciretis , sed vobis veluti in memoriam revocaturus ea quæ non ignorabatis; et hoc feci ut satisfacerem Apostolatûs mei officio, quod mihi divinitûs concessum fuit in eum finem , ut essem JESU CHRISTI sacerdos apud Gentiles , Evangelium Dei illii administrando , ut fierent Gentes sacrificium meum Deo gratum acceptumque quippe Spiritu sancto sanctificatum.

VARIANS LECTIO.

a) Voces και αυτοι non leguntur in Codd. DEFG. Absunt pariter ab Itala aliisque nonnullis versionibus antiquis.

b) Pro αγαθωσυνης est αγαπης in Codd. FG, quam lectionem Vulgata quoque exhibet.

c) Lectionem αλλους exhibet Codex J tantùm ; reliqui Unciales habent αλληλους. Lectionem αλλους tribuerim negligentiæ librarii qui ex voce αλληλους mediam syllabam omiserit.

EPISTOLÆ EPILOGUS.

℣. 14. *Certus sum autem, fratres mei, et ego ipse de vobis, quoniam et ipsi pleni estis dilectione*, cet.) Excusat se Apostolus quòd Romanis scripserit quamquam sciret eos se monitore carere potuisse, quippe qui pleni dilectione et scientiâ ipsi se mutuò satis admonere et instituere possint. Bene Estius : « Ne correptionem et instructionem sibi adhibitam, *inquit*, molestè ferant Romani, excusatione utitur cum laude eorum conjuncta, quum dicit nec apud illos deësse qui simile officium præstare possint. Neque enim quod hic eis attribuit, ad omnes eos et singulos referendum est.» Dicit ergo : *Persuasum autem habeo* (δὲ, h. e. quamquam res secus videatur quia monitorias litteras ad vos dederim), *fratres mei*, *etiam ipse ego* (qui tamen vestri monitorem egi in hac epistola) *de vobis*, *quod jam ipsi vestrâ sponte* (και αυτοι) *pleni estis bonitate sive fraterna charitate* (αγαθωσυνης), *repleti omni scientia*, *adeòque tales qui possitis etiam* (και) *vos invicem monere*. Nimirum, duo in monitore necessaria sunt, charitas et scientia.

Πεπεισμαι *persuasus sum*, *certus sum*, ut suprà Cap. XIV. 14. Και αυτοι, *jam ipsi*, vestrâ sponte, sine me hortatore. Αγαθωσυνη *bonitas* (Gal. V. 22), quo sensu Galli adhibent vocem *bonté*. Αγαθωσυνη vox serioris Græcitatis est.

℣. 15—16. *Audacius autem scripsi vobis, fratres, ex parte tamquam in memoriam vos reducens, propter gratiam*, cet.) Excusat se quòd ausus fuerit per epistolam illos monere quamvis sciret illos se monitore non indigere; monet autem sumpsisse se illam audaciam ut satisfaceret *injuncto sibi officio Apostolatûs*. Quod verò dicit tale est : *Attamen* (δε) *aliquantulum* (απο μερους) *audentior* (τολμηροτερον) *scripsi vobis*, *fratres*, *non tamquam vos docturus ea quæ nesciretis*, *sed veluti in memoriam vobis revocaturus quæ non ignorabatis* (ὡς επαναμιμνησκων ὑμας); *et hoc feci ut satisfacerem Apostolatûs mei officio* (δια την χαριν) *quod mihi divinitus concessum fuit* (την δοθεισαν μοι ὑπο του Θεου) *in eum finem ut* (εις) *essem* Jesu Christi *sacerdos apud* (εις *ad*) *Gentiles*, *Evangelium Dei illis admi*

nistrando, *ut fierent Gentes sacrificium meum Deo gratum acceptumque*, *quippe per Spiritum sanctum sanctificatum.*

Τολμηροτερον Neutrum Comparativi positum est Adverbialiter valetque *τολμηροτερως*, quemadmodum Act. XXIII. 15 *ακριβεστερον* valet *ακριβεστερως*. Quod dicit *τολμηροτερον audentius*, *audacius*, alterum membrum Comparationis reticetur, sumendum autem est ex contexta oratione. Puta Apostolum dicere voluisse ita: *Quod monitorias litteras ad vos dederim*, *in eo audacius egi quam pro vestrâ humanitate et scientia*, *quibus dotibus ornati poteratis ipsi vos invicem monere meque monitore facile carere*. Confer ỳ. 14. Fit non rarò ut alterum Comparationis membrum simili modo sit mente supplendum. Exempla duo prostant in Epistola ad Philippenses, Cap. I. 13 et Cap. II. 28. Voces *απο μερους*, *aliquantulum*, ut infra ỳ. 24 (Vulg. *ex parte*) jungo non cum *εγραψα*, sed cum *τολμηροτερον*, ut adeo dicat Apostolus: *aliquantulum audacius*. Syrus quoque interpres *απο μερους* junxit cum *τολμηροτερον*; vertit enim ܩܠܝܠ ܕܝܢ ܡܡܪܚܐܝܬ h. e. *paululum autem audaciter*. Idem quoque fecit Oecumenius (ad h. l.), qui illud *απο μερους* interpretatur *τινα τροπον*, *quodammodo*. Qui *απο μερους* jungunt cum *εγραψα*, illud *απο μερους* reddunt *hic illic in mea epistola*, ut mens Apostoli sit dicere: *Audacius quam pro summa vestra bonitate perfectaque sapientia scripsi vobis*, *fratres*, *in nonnullis epistolæ meæ locis*. Sed Apostolus in eo est ut excuset se quòd *omninò* litteras monitorias ad illos dare ausus fuerit [1], non verò quod in his litteris *hic illic audacior fuerit* in monendo. *Δια την χαριν*, cet., *propter gratiam*; Apostolicum suum munus *gratiam* appellat, ut supra Cap. XII. 3. Ephes. III. 8. Gal. II. 9. *Ἱερουργειν* hoc loco *transitivam* habet significationem, ut 4 Maccab. Cap. VII, 8: *ἱερουργουντες τον νομον*. De *evangelio Dei* vide supra ad Cap. I. I. pag. 6. Participium *ἱερουργουντα* exprimit *modum quo* esset Paulus *λειτουργος Χριστου εις τα εθνη*. Ceterum notandum est, Apostolum de sua Evangelii inter Gentes prædicatione loqui metaphoricè, ductâ similitudine a functionibus sacerdotalibus in sacrificando [2]. Itaque *prædicare evangelium* vocat *ἱερουργειν*, seque *λειτουργον* (*sacerdotem*), quæ duæ voces ad rem sacrificalem pertinent; atque ita quoque Gentiles suâ prædicatione ad Christum adductos *oblationem* (*προσφοραν*) nominat *Deo gratam* (*ευπροσδεκτον*), quippe Spiritu Sancto (*εν* instrumenti) [3] *sanctificatum* [4])

---

(1) Theodoretus (ad h. l.): Το *μετριον του φρονηματος εδειξε*, *κατατολμησαι της διδασκαλιας ειπων*. h. e. *Animi modestiam ostendit ausum se fuisse docere dicens.*

(2) Cf. Ep. ad Philipp. Cap. II. 17.

(3) In Vulgata est: *et sanctificata*; sed hanc Particulam *et* nullus Græcus Codex agnoscit, et sensui officit.

(4) Bene Estius: «Allusio est, inquit, ad ritum veteris sacerdotii, quo hostiæ Deo offerendæ sanctificationibus quibusdam externis præparabantur ac mundabantur, ut *acceptabile* (*ευπροσδεκτος*) esset sacrificium. Ita significat Apostolus, Gentes prius immundas per fidem operante Spiritu-Sancto mundatas et sanctificatas, a se, velut sacerdote, gratam et acceptabilem offerri hostiam Deo.»

(ἡγιασμενην). In dictione προσφορα των εθνων non est των εθνων Genitivus *Subjecti* (oblatio quam Gentes offerunt), sed *Objecti*: oblatio sive sacrificium, quod sunt Gentes. Rectissime ad præsentem Apostoli locum Estius: « Quum Pauli sermo, *inquit*, metaphoricus sit, ineptè Calvinus hinc arripit ansam sugillandi sacerdotium propriè dictum novæ Legis, quod oblationibus quotidianis per totam Ecclesiam exercetur; quasi non aliud in Ecclesia sacerdotium agnoscat Apostolus, quam quod in prædicatione verbi Dei consistat. Quod nequaquam consequens est; nisi et veteris Legis sacerdotium hac ratione tollatur, quia in Prophetis et Psalmis passim legamus sacrificia metaphorica veluti justitiæ, misericordiæ, contriti cordis, ut Deo accepta commendari. »

℣. 17—21. Habeo igitur gloriam in Christo Jesu ad Deum. 18 Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Christus in obedientiam Gentium, verbo et factis: 19 in virtute signorum, et prodigiorum, in virtute Spiritûs sancti: ita ut ab Jerusalem per circuitum usque ad Illyricum repleverim Evangelium Christi. 20 Sic autem prædicavi Evangelium hoc, non ubi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem: sed sicut scriptum est: 21 Quibus non est annunciatum de eo, videbunt: et qui non audierunt, intelligent.

℣. 17—21. Ἔχω οὖν καύχησιν a) ἐν Χριστῷ Ἰησου τὰ b) προς Θεόν· 18 οὐ γὰρ τολμήσω λαλεῖν τι b) ὧν οὐ κατειργάσατο Χριστὸς δι' ἐμοῦ εἰς ὑπακοὴν ἐθνῶν, καὶ λόγῳ καὶ ἔργῳ, 19 ἐν δυνάμει σημείων καὶ τεράτων, ἐν δυνάμει Πνεύματος Θεοῦ· ὥστε με ἀπὸ Ἱερουσαλὴμ καὶ κύκλῳ μέχρι τοῦ Ἰλλυρικοῦ πεπληρωκέναι τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ, 20 οὕτω δὲ φιλοτιμούμενον εὐαγγελίζεσθαι, οὐχ ὅπου ὠνομάσθη Χριστὸς, ἵνα μὴ ἐπ' ἀλλότριον θεμέλιον οἰκοδομῶ, 21 ἀλλὰ, καθὼς γέγραπται· Οἷς οὐκ ἀνηγγέλη περὶ αὐτοῦ, ὄψονται· καὶ οἳ οὐκ ἀκηκόασι, συνήσουσι.

Paraphrasis. Habeo autem, quod ad fructum meæ prædicationis attinet, causam gloriandi non certè in me ipso, sed in Christo Jesu; neque enim sustinebo gloriandi causâ commemorare aliquid earum rerum quas non operatus fuerit Christus per me ad Gentilium conversionem, verbo atque opere, signorum atque miraculorum effectione, charismatum Spiritûs sancti in credentes effusione; eo eventu ut inde ab Hierosolymis et in regionibus circumjacentibus usque ad Illyriam Evangelii prædicationem absolverim; ita verò evangelizare studiosè curans, ut illud facerem non iis in locis in quibus Christus jam esset annunciatus, nolens scilicet ædificare super fundamentum ab alio positum, sed ibi ubi homines de Christo hactenus non inaudivissent, secundum illud Scripturæ de Christo Gentibus annunciando oraculum: *Quibus non nunciatum erat de eo, hi videbunt; et qui non audiverunt, intelligent.*

VARIANS LECTIO.

---

a) Pro καυχησιν legitur cum addito Articulo την καυχησιν in Codd. BDEFG.

b) Vocula τα non legitur in Codice D. Nec lecta videtur Vulgatæ auctori; nam si legisset, scripsisset, opinor, *in iis quæ sunt ad Deum*, ut fecit Hebr. V. 1.

c) Pro λαλειν τι est τι λαλειν in Codd. ABCDEFG.

℣. 17—21. *Habeo igitur gloriam in Christo Jesu ad Deum; non enim audeo*, cet.) Dixerat modò (℣. 16) Apostolus *quemnam in finem* concessum ipsi fuisset Apostolatûs officium; hic verò *a fine* sui Apostolatûs apud Gentiles *transit* (ουν ut 1 Cor. VIII. 4) ad dicendum de felici ejusdem successu, in Gentilium conversione conspicuo. Facit autem hoc ad commendandam suam auctoritatem apud Romanos, ut eo insinuet jure se potuisse monitorias ad illos dare litteras. Dicit ergo: *Habeo autem* (ουν), *quod ad fructum meæ prædicationis attinet* (τα προς τον Θεον), *causam gloriandi* (την καυχησιν), *non certè in me ipso sed in* Christo Jesu (εν Χριστῳ Ιησου). *Neque enim sustinebo* (τολμησω) *gloriandi causá commemorare aliquid earum rerum* (τι λεγειν ὡν) *quas non operatus fuerit* (κατειργασατο) Christus *per me ad Gentilium conversionem* (εις ὑπακοην εθνων), *verbo atque opere, signorum atque miraculorum effectione, charismatum Spiritûs sancti in credentes effusione, eo eventu ut inde ab Hierosolymis et in regionibus circumjacentibus* (και κυκλῳ) *usque ad Illyriam Evangelii prædicationem absolverim; ita verò evangelizare studiosè curans* (φιλοτιμουμενον ευαγγελιζεσθαι) *ut illud facerem non iis in locis in quibus* Christus *jam esset annunciatus, nolens scilicet ædificare super fundamentum ab alio positum, sed ibi ubi homines de* Christo *hactenus non inaudivissent, secundum illud Scripturæ de* Christo *Gentibus annunciando oraculum: Quibus non nunciatum erat de eo, hi videbunt; et qui non audiverunt, intelligent.*

Εν Χριστῳ Ιησου junge non proximè cum εχω sed cum καυχησιν, ad eum modum quo dicitur καυχασθαι εν Κυριῳ 1 Cor. I. 31. *Καυχησις* est *gloriatio*; materiam autem suæ in Christo gloriationis Apostolus intelligit prosperum successum quem, Christo per ipsum operante, habuerat sua Evangelii prædicatio. Cf. ℣. 19. 20. Sive καυχησιν legas, sive cum Articulo (Vid. var. lect.) την καυχησιν, sensus eòdem recidit; si mavis legere cum Articulo, Græca reddideris: *habeo gloriationem meam* (την), cet.—

Τα προς τον Θεον, *in iis rebus quæ ad Deum pertinent*, phrasis est qua designatur *sacerdotale* munus, qua tale. Idem dixisset Apostolus si scripsisset : *Εχω ουν καυχησιν εν Χριστω Ιησου ὡς ἱερουργός* (℣. 16).

Versum decimum octavum (*ου γαρ τολμησω κτλ.*) Estius aliique interpretantur : *Non ausim commemorare aliquid a me factum, quod reverâ* Christus *per me non effecerit.* Sed si hoc dicere voluisset Apostolus, scripsisset non *λαλεῖν τι ὧν*, ut fecit, sed *λαλειν τι ὅ*. — *Εις ὑπακοην εθνων ad Gentilium obedientiam* efficiendam ; h. e. ad efficiendum ut Gentiles præstarent obedientiam Evangelio ; ubi *εθνων* Genitivus est *Subjecti* sive Personæ quæ *υπακοην* præstat. Supra, Cap I. ℣. 5, *ὑπακοη* vox struitur cum Genitivo *Objecti* : *ὑπακοη πιστεως*, *obedientia fidei præstanda. Verbum* (*λογον*) intelligit Evangelii prædicationem quam comitaretur *ενεργεια* Spiritûs sancti in auditoribus ; *opus* verò (*εργον*) vocat patrata miracula, quæ distinctius mox significat addendo *εν δυναμει σημειων και τερατων*, h. e. *vi* (*εν* instrumenti) *signorum et prodigiorum.* Quod additur *εν δυναμει Πνευματος Θεου*, *vi* sive *virtute Spiritûs Dei*, retulerim hoc ad charismata Spiritûs sancti, ut sunt dona linguarum, prophetiæ, cetera, quæ 1 Cor. XII. enumerantur. Solet enim Apostolus et hoc genus miraculorum commemorare ubi loquitur de Evangelio divinâ operâ propagato. Cf. Hebr. Cap. II. 4. *Κυκλῳ* (scil. *της Ἱερουσαλημ*) *in circuitu*, *circumcirca*, puta in regionibus Hierosolymas circumjacentibus. *Πληρουν*, *absolvere Evangelium* (metonymicè ut 1 Cor. IX. 12.) h. e. Evangelii prædicationem. Participium *φιλοτιμουμενον* pendet ab antegresso (℣. 19) *με*. Est autem *φιλοτιμοῦμαι studiose curo aliquid*, sicut 2 Cor. V. 9. et 1 Thess. IV. 11. Auctor Vulgatæ Græca hoc loco liberius interpretatus est. *Alienum fundamentum* Paulus intelligit *Evangelii prædicationem* alicubi ab alio Apostolo aut prædicatore jam institutam. Scilicet facilius est superstruere quam jacere fundamenta. Qui ibi recitatur ab Apostolo S. Scripturæ locus, ex Isaiæ vaticinio sumptus est. De quo bene Estius : « Hoc propheticum testimonium (Isaiæ LII. 13), inquit, quod *generatim* de Gentibus loquitur, Paulus *specialiter* accommodat suo instituto, referens illud ad eas Gentes, ad quas aliorum Apostolorum prædicatio nondum pervenerat. »

℣. 22—24. Propter quod et impediebar plurimùm venire ad vos, et prohibitus sum usque adhuc. 23 Nunc verò ulterius locum non habens in his regionibus, cupiditatem autem habens veniendi ad vos ex multis jam præceden-

℣. 22—24. *Διὸ καὶ ἐνεκοπτόμην τὰ πολλὰ τοῦ ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς.* 23 *Νυνὶ δὲ μηκέτι τόπον ἔχων ἐν τοῖς κλίμασι τούτοις, ἐπιποθίαν δὲ ἔχων τοῦ ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς ἀπὸ πολλῶν ἐτῶν.* 24 *ὡς*

Paraphrasis. Quam ob causam plerumque etiam impediebar quominus ad vos venirem. Nunc verò quum in his regionibus non amplius habeam occasionem prædicandi Evangelium iis quibus adhuc non fuerit prædicatum, desiderem autem a multis jam annis venire ad

tibus annis : [24] cùm in Hispaniam proficisci cœpero, spero quòd præteriens videam vos, et à vobis deducar illuc, si vobis primùm ex parte fruitus fuero.

ἐὰν [a] πορεύωμαι εἰς τὴν Ἱσπανίαν, ἐλεύσομαι πρὸς ὑμᾶς· ἐλπίζω γὰρ διαπορευόμενος θεάσασθαι ὑμᾶς, καὶ ὑφ' [b] ὑμῶν προπεμφθῆναι ἐκεῖ, ἐὰν ὑμῶν πρῶτον ἀπὸ μέρους ἐμπλησθῶ.

vos, ut primum ibo in Hispaniam, spero me per Romam iter meum facientem vos in transitu videre atque a vobis illuc deduci, ubi prius per aliquot dies apud vos commoratus, meum perfruendæ vestri consuetudinis desiderum aliquantulum explevero.

VARIANS LECTIO.

a) Pro ἐὰν est ἂν in plerisque Codd. Uncialibus.

b) Pro ὑφ' est ἀφ' in Codd. BDEFG.

c) Voces ελευσομαι προς ὑμας non leguntur in Codd. ABCDEFG; absunt pariter a plerisque antiquis versionibus. Vocula γαρ post ελπιζω non legitur in Codd. FG, ut nec in plerisque versionibus antiquis. Genuinam præsentis loci lectionem dixerim esse hanc : Ὡς αν πορευωμαι εις την Ἱσπανιαν, ελπιζω διαπορευομενος, cetera.

℣. 22. *Propter quod et impediebar plurimùm venire ad vos, cet.*) Causam exponit Apostolus cur tamdiu distulerit invisere Romanos, cum tam cupidè tamen a longo jam tempore illud facere desiderasset. Causa autem fuerat (nonnumquam alia) *plerumque* (τα πολλα) hæc, quòd in regionibus (℣. 19), ubi versaretur, occuparetur in prædicando Evangelio iis in locis in quibus Christus adhuc non esset annunciatus (℣. 20). Τα πολλα *plerumque*, in Accusativo Adverbiali. Cf. Kühner §. 556. *Anm.* 2. Infinitivus *nominascens* του ελθειν pendet ab ενεκοπτομην. Quod in Vulgata additur, *et prohibitus sum usque adhuc,* illud neque in ullo Græco Codice legitur, neque in Italâ aut aliâ quapiam antiqua versione; abest etiam hæc pars, Estio teste, a multis latinis iisque optimæ notæ Codicibus. Quod autem in Velesiano aliquo Codice hoc loco lectum fuerit και εκωλυθην μεχρι νυν, signum hoc est Codicem illum ad Vulgatam fuisse interpolatum.

ỷ. 23—24. *Nunc verò ulterius locum non habens in his regionibus*, cet.) Spem facit sui adventûs. « *Nunc verò*, inquit, *quum in his regionibus* (ỷ. 19 designatis) *non amplius habeam* (μηκετι εχων) *locum* (τοπον) h. e. opportunitatem prædicandi Evangelium iis quibus adhuc non fuerit prædicatum (ỷ. 20), *habeam autem* (εχων δε) *a multis jam annis desiderium ad vos veniendi*, *ut primùm* (ὡς αν) *proficiscar* (πορευωμαι) *in Hispaniam*, *spero me* per Romam iter meum facientem *vos in transitu* (διαπορευομενος) *videre*, *atque a vobis illuc deduci* (προπεμφθηναι), si prius, per aliquot dies apud vos commoratus, meum fruendi vestri consuetudine desiderium *aliquantulum* (απο μερους) *explevero*.

Ὡς αν, *ut primum*, *simulac*, de tempore incerto, ut valeat ὅταν, sicut 1 Cor. 34. Philipp. II. 23. Confer illud quod in Tab. Ceb. legitur (pag. 168): Προσταττει δε τοις εισπορευομενοις, τι δεῖ αυτους ποιειν, ὡς αν εισελθωσιν εις τον βιον, h. e. *Imperat verò intrantibus quid eos facere oporteat*, *simulac vitam ingressi fuerint*. Vim Particularum ὡς αν satis recte expressit Vulgatæ auctor, qui hoc loco scripsit: CUM *in Hispaniam proficisci cepero* (cœpero). Εκει prægnanter pro εκεισε, ut Joh. XI. 8.

ỷ. 25—28. Nunc igitur proficiscar in Jerusalem ministrare sanctis. Probaverunt enim Macedonia, et Achaïa collationem aliquam facere in pauperes sanctorum, qui sunt in Jerusalem. 27 Placuit enim eis, et debitores sunt eorum. Nam si spiritualium eorum participes facti sunt Gentiles: debent et in carnalibus ministrare illis. 28 Hoc igitur cùm consummavero,

ỷ. 25—28. *Νυνὶ δὲ πορεύομαι εἰς Ἱερουσαλὴμ, διακονῶν* a) *τοις ἁγίοις.* 26 *Εὐδόκησαν γὰρ Μακεδονία καὶ Ἀχαΐα κοινωνίαν τινὰ ποιήσασθαι εἰς τοὺς πτωχοὺς τῶν ἁγίων τῶν ἐν Ἱερουσαλήμ·* 27 *εὐδόκησαν γὰρ, καὶ ὀφειλέται αὐτῶν εἰσιν. Εἰ γὰρ τοῖς πνευματικοῖς αὐτῶν ἐκοινώνησαν τὰ ἔθνη, ὀφείλουσι καὶ ἐν τοῖς σαρκικοῖς λειτουργῆσαι αὐτοῖς.*

Paraphrasis. Nunc verò in eo sum ut proficiscar Hierosolymam ad succurrendum inopiæ Christianorum ibi commorantium. Nimirum placuit Macedonibus et Achæis pecuniariam aliquam facere collationem in pauperes qui sunt inter Christianos Hierosolymitanos; placuit, inquam, eis, imo et debitores sunt illorum. Nam si spiritualia eorum bona participarunt Gentiles, debent hi vicissim temporalibus bonis suis inopiam eorum levare. Hoc igitur iter quum perfecero et tradidero Hierosolymitanis

---

(1) Apud Hoogeveenium, in *Doctrina Particularum Ling. Græc.* in epitomen redacta a Schützio. Lipsiæ 1806. pag 588.

et assignavero eis fructum hunc : per vos proficiscar in Hispaniam.

28 Τοῦτο οὖν ἐπιτελέσας, καὶ σφραγισάμενος αὐτοῖς τὸν καρπὸν τοῦτον, ἀπελεύσομαι δι' ὑμῶν εἰς τὴν Ἱσπανίαν.

hunc fructum caritatis Macedonum et Achæorum, per urbem vestram in Hispaniam proficiscar.

VARIANS LECTIO.

a) Pro διακονῶν est διακονησαι in Codd. DEFG; quæ lectio tribuenda videtur correctioni librariorum qui vim Participii διακονῶν hoc loco non satis intellexerint.

ỷ. 25—26. *Nunc igitur proficiscar in Jerusalem ministrare sanctis.)* Græce est *nunc verò* (νυν δε). Monet Apostolus, prius quam Hispanicum suum iter instituere possit eundum sibi esse Hierosolymam, ad eleëmosynas ex Macedonibus et Achivis in sustentationem Hierosolymitanorum Christianorum collectas illuc deportandas. *Nunc verò* (δε) inquit, *in eo sum ut proficiscar* (πορευομαι) *Hierosolymam ad succurrendum inopiæ* (διακονῶν) *Christianorum ibi commorantium* (τοις ἁγιοις). *Nimirum* (γαρ) *placuit* (ευδοκησαν, zij hebben goed gevonden) *Macedonibus et Achæis* (Christianis) pecuniariam *aliquam facere collationem* (κοινωνιαν τινα) *in pauperes qui sunt inter Christianos Hierosolymitanos.*

Πορευομαι, in Præsenti, de eo quod quis jam jam est facturus, ut Joh. XIII. 6: Κυριε, σύ μου νιπτεις τους ποδας; Participium Præsentis (διακονῶν) post verbum *motûs* πορευομαι denotat *consilium.* Cf. Winer §. 46. 5. Γαρ, *nimirum*, ut supra ỷ. 8.

ỷ. 27—28. *Placuit enim eis, et debitores sunt eorum. Nam si spiritualium eorum participes facti sunt Gentiles*, cet.) Pro *placuit enim eis* Græcè iterum est ευδοκησαν γαρ, ut in antegresso versiculo. Ad seriem orationis quod attinet, notandum est Apostolum hic quodammodo *corrigere* id quod modò dixerat: *Placuit Macedonibus et Achæis succurrere inopiæ pauperum Hierosolymitanorum.* Est autem *correctio* sive επανορθωσις hæc in eo posita, quòd monet Apostolus Macedones et Achæos Hie-


rosolymitanis succurrisse non tam gratuitò quam potius ex quodam veluti debito, quippe qui *τα πνευματικα αυτων spiritualia illorum bona* participassent. Et verò *salus ex Judæis est.* Joh. IV. 22. Dicit ergo : *Placuit, inquam* (*γαρ*) *eis, imo et* (*και*) *debitores sunt illorum.* Nam si spiritualia illorum (Judæorum) *bona participarunt Gentiles, debent hi vicissim* (*και*) *in carnalibus* (*εν* instrumenti) *τοις σαρκικοις*) h. e. temporalibus ipsorum bonis *illis ministrare* (*λειτουργησαι αυτοις*), h. e. inopiam illorum levare. *Hoc igitur negotium* (*τουτο*) Hierosolomytanum iter, ŷ. 19) *quum perfecero et assignavero* (*σφραγισαμενος*) sive tradidero *illis* (Hierosolymitanis) *hunc fructum* (caritatis Macedonum et Achæorum ; cf. Philipp. IV. 17), *per vos* (per Romam, vestram urbem) *in Hispaniam proficiscar.*

ŷ. 29—33. Scio autem quoniam veniens ad vos, in abundantia benedictionis Evangelii Christi veniam. 30 Obsecro ergo vos fratres per Dominum nostrum Jesum Christum, et per charitatem sancti Spiritus, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum, 31 ut liberer ab infidelibus, qui sunt in Judæa, et obsequii mei oblatio accepta fiat in Jerusalem sanctis, 32 ut veniam ad vos in gaudio per voluntatem Dei, et refrigerer vobiscum. 33 Deus autem pacis sit cum omnibus vobis. Amen.

ŷ. 29—33. *Οἶδα δὲ ὅτι ἐρχόμενος πρὸς ὑμᾶς, ἐν πληρώματι εὐλογίας τοῦ εὐαγγελίου τοῦ* [a] *Χριστοῦ ἐλεύσομαι.* 30 *Παρακαλῶ δὲ ὑμᾶς, ἀδελφοὶ, διὰ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ διὰ τῆς ἀγάπης τοῦ Πνεύματος, συναγωνίσασθαί μοι ἐν ταῖς προσευχαῖς ὑπὲρ ἐμοῦ πρὸς τὸν Θεὸν,* 31 *ἵνα ῥυσθῶ ἀπὸ τῶν ἀπειθούντων ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ, καὶ ἵνα ἡ * διακονία* [b] *μου ἡ εἰς Ἱερουσαλὴμ εὐπρόσδεκτος γένηται τοῖς ἁγίοις·* 32 *ἵνα ἐν χαρᾷ ἔλθω πρὸς ὑμᾶς διὰ θελήματος Θεοῦ, καὶ συναναπαύσωμαι ὑμῖν* [c]. 33 *Ὁ δὲ Θεὸς τῆς εἰρήνης μετὰ πάντων ὑμῶν. Ἀμήν.*

Paraphrasis. Sciò autem me, quum veniam ad vos, allaturum vobis esse copiam bonorum spiritualium. Obsecro autem vos, fratres, per Dominum nostrum Jesum Christum et per charitatem Spiritûs sancti, ut mecum enixe Deum pro me precemini, ut ne incidam in manus incredulorum qui in Judæâ commorantur, et ut ministerium meum gratum acceptumque sit Christianis Hierosolymitanis; idque ut gaudens de prospero successu itineris et ministerii mei veniam, Deo volente, ad vos et vobiscum me recrëem. Deus autem pacis largitor sit cum omnibus vobis. Ita fiat.


VARIANS LECTIO.



a) Voces του ευαγγελιου του non leguntur in Codd. ABCDEFG ; absunt pariter ab Itala aliisque nonnullis versionibus antiquis.


b) Pro διακονια est δωροφορια in Codd. BD*FG, quam lectionem Vulgata quoque refert.

c) Pro συναναπαυσωμαι ὑμιν est in Codd. DE αναψυξω μεθ' ὑμων, et in Codd. FG αναψυχω. Utramque lectionem pro glossemate habeo.




℣. 29. *Scio autem quoniam veniens ad vos, in abundantia benedictionis Evangelii Christi veniam.)* Significat Apostolus, adventum suum valde frugiferum fore Romanis. *Scio*, inquit, *me*, *quum veniam ad vos*, *allaturum vobis esse copiam bonorum spiritualium.* Confer quæ notavimus supra ad Cap. I. 11. *Ερχεσθαι εν τινι*, *venire cum aliqua re*, hoc est, *afferre aliquam rem*. *Πληρωμα ευλογιας plenitudo benedictionis του Χριστου* (Genitiv. Auctoris), *cujus* Christus auctor est.

℣. 30—33. *Obsecro ergo vos fratres*, cet.) Duo metuebat Paulus ; *unum* ne quid mali sibi in Jerosolymitano hoc itinere inferretur a Judæis, quibus vehementer esset exosus ; *alterum* ne Christianis Jerosolymitanis allata eleëmosyna propter personam Pauli deportantis displiceret. Erat enim Paulus, quod Estius recte hic notat, etiam fidelibus Judæis suspectus, tamquam Mosaicæ legis adversarius, ut liquet ex Act. Cap. XX. Apostolus ergo utrâque hac sollicitudine affectus seque suumque iter piis Romanorum precibus impensè commendat. Quod autem dicit tale est : *Obsecro autem* (*δε*) *vos*, *fratres*, *per* (*δια*) *Dominum nostrum* Jesum Christum *et per charitatem Spiritûs sancti*, *ut mecum enixe Deum pro me precemini*, *ut ne incidam in manus incredulorum qui in Judæa commorantur*, *et ut ministerium meum* (*ἡ διακονια μου*) *gratum acceptumque sit Christianis Hierosolymitanis*, *idque ut gaudens* (*εν χαρᾳ*) *de prospero successu itineris et ministerii mei veniam*, *Deo volente*, *ad vos et vobiscum me recreëm.*



CAPUT DECIMUM SEXTUM.



ARGUMENTUM. PHOEBEN, *Cenchrëensis ecclesiæ diaconissam, cui perferendam hanc epistolam tradiderat Apostolus, impensè Romanis Christianis commendat* (1—3). *Deinde ex illorum cœtu bene multos suo nomine nominatim, et Romanos Christianos in universum omnes omnium ecclesiarum nomine salvere jubet* (3 — 17). *Post hæc admonitionem interserit de fugiendo consortio quorumdam pseudo-doctorum, quos distinctius ibi designat* (17—21). *Postremò missâ Romanis salute speciatim a* TIMOTHEO *aliisque nonnullis, quos secum haberet, tandem insigni doxologia epistolam claudit* (21—27).



ỳ. 1—2. Commendo autem vobis Phœben sororem nostram, quæ est in ministerio Ecclesiæ quæ, est in Cenchris: 2 ut eam suscipiatis in Domino digne sanctis: et assistatis ei in quocumque negotio vestri indiguerit: etenim ipsa quoque adstitit multis, et mihi ipsi.

ỳ. 1—2. Συνίστημι δὲ ὑμῖν Φοίβην τὴν ἀδελφὴν ἡμῶν, οὖσαν διάκονον τῆς ἐκκλησίας τῆς ἐν Κεγχρεαῖς, 2 ἵνα αὐτὴν προσδέξησθε ἐν Κυρίῳ ἀξίως τῶν ἁγίων, καὶ παραστῆτε αὐτῇ ἐν ᾧ ἂν ὑμῶν χρήζῃ πράγματι· καὶ γὰρ αὐτὴ προστάτις πολλῶν ἐγενήθη, καὶ αὐτοῦ ἐμοῦ.

Paraphrasis. Ceterum, commendo vobis sororem nostram PHOEBEN, Cenchrëensis ecclesiæ diaconissam, rogans ut illam sic excipiatis ut Christianos decet excipere christianos, utque illi adsitis in quocumque negotio vestrâ ope indiguerit; quod si feceritis, vicem illi rependeritis; nam ipsa quoque adjutrix adfuit cum aliis christianis bene multis, tum etiam mihi ipsi.

ỳ. 1. *Commendo autem vobis Phœben, sororem nostram*, cet.) Συνιστημι τινα τινι, *represento aliquem alicui*, et ex adjuncto, *commendo*, ut 2 Cor. III. 1. Primo loco Apostolus PHÆBEN commendat, Cenchrëensis Ecclesiæ *diaconissam* (διακονον), per quam et transmisit præsentem ad Romanos epistolam. Vide Prolegomena. *Sororem nostram* (την αδελφην ἡμων), puta PAULI et Romanorum Christianorum. Vocat autem eam *sororem*, quomodo Christiani omnes primis Ecclesiæ temporibus sese mutuò fratres et sorores appellabant. « *Bimaris Corinthi* meminit HORATIUS. Habebat urbs hæc nobilissima in Isthmo sita duplicem portum, ab occidente *Lechæum*, ad sinum Crissæum; ab oriente *Cenchreas*, ad sinum Saronicum. Ut apud Athenienses portus *Piræus*, olim ab urbe distinctus, incolis abundabat, sic et Corinthiorum portus *Cenchreæ*. » VALCKEN. ad Act. XVIII. 18.

ỳ. 2. *Ut eam suscipiatis in Domino dignè sanctis*, cet.) PHÆBEN vobis commendo, inquit, *eum in finem, ut* (ἱνα) *illam excipiatis in Domino, eo, inquam, modo, quo Christianos decet excipere Christianos* (αξιως των ἁγίων), *et ut opem illi præstetis in quâcumque re* (πραγματι) *vobis* (ὑμων), h. e. *vestrâ ope indiguerit;* quod si feceritis, vicem illi rependeritis; *nam ipsa quoque* (και γαρ αυτη) *exstitit* (εγενηθη) *adjutrix* (προστατις) *et aliorum multorum et mei ipsius.*

Εν Κυριῳ, *in Domino*, q. d. tamquam membrum mystici illius corporis, cujus caput CHRISTUS est et membra varia sunt quotquot sunt Christiani. 1 Cor. XII. 27. Quod additur αξιως των ἁγιων, *dignè sanctis* i. e. Christianis (vide supra pag. 12), est hoc epexegesis antegressi εν Κυριῳ. Adverbium αξιως *convenienter*, sequente Genitivo, ut Ephes. IV. 1 Coloss. I. 10. Simili structurâ usus est XENOPHON, *Cyr.* VII. 3. Alia exempla videsis apud RAPHELIUM in annott. ad Coloss. I. 10. Προστάτις, ιδος, ἡ, a Masculino ὁ προστατης (a προΐστημι), *patrona*, *adjutrix*. Vide ELSNERI observatt. sacr. ad h. l.

ỹ. 3—7. Salutate Priscam, et Aquilam adjutores meos in Christo Jesu; [4] (qui pro anima mea suas cervices supposuerunt: quibus non solus ego gratias ago, sed et cunctæ ecclesiæ gentium), [5] et domesticam ecclesiam eorum. Salutate Epænetum dilectum mihi, qui est primitivus Asiæ in Christo. [6] Salutate Mariam, quæ multum laboravit in vobis. [7] Salutate Andronicum, et Juniam cognatos et concaptivos meos: qui sunt nobiles in Apostolis, qui et ante me fuerunt in Christo.

ỹ. 3—7. *Ἀσπάσασθε Πρίσκιλλαν καὶ Ἀκύλαν, τοὺς συνεργούς μου ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ,* [4] *οἵτινες ὑπὲρ τῆς ψυχῆς μου τον ἑαυτῶν τράχηλον ὑπέθηκαν· οἷς οὐκ ἐγὼ μόνος εὐχαριστῶ, ἀλλὰ καὶ πᾶσαι αἱ ἐκκλησίαι τῶν ἐθνῶν·* [5] *καὶ τὴν κατ' οἶκον αὐτῶν ἐκκλησίαν. Ἀσπάσασθε Ἐπαινετὸν, τὸν ἀγαπητόν μου, ὅς ἐστιν ἀπαρχὴ τῆς Ἀχαΐας* a) *εἰς Χριστόν.* [6] *Ἀσπάσασθε Μαριὰμ, ἥτις πολλὰ ἐκοπίασεν εἰς ἡμᾶς.* [7] *Ἀσπάσασθε Ἀνδρόνικον καὶ Ἰουνίαν, τοὺς συγγενεῖς μου καὶ συναιχμαλώτους μου, οἵτινές εἰσιν ἐπίσημοι ἐν τοῖς ἀποστόλοις, οἳ καὶ πρὸ ἐμοῦ γεγόνασιν ἐν Χριστῷ.*

Paraphrasis. Salutate meis verbis *Priscillam* et *Aquilam*, coöperatores meos in tradenda doctrina christiana, qui pro tuenda vita mea ipsi præsentissimum vitæ periculum subierunt; quam ob rem non solus ego gratias illis habeo, verum etiam mecum gratias illis habent cunctæ ecclesiæ gentium. Salutate etiam domesticum illorum cœtum christianum. Salutate *Epænetum*, dilectum meum, qui primus in Asia christianus factus est. Salutate *Mariam*, quæ meâ causâ multum laboris subiit. Salutate *Andronicum* et *Juniam*, cognatos et concaptivos meos, qui magni æstimantur ab Apostolis, atque etiam priores me christiani facti sunt.

VARIANS LECTIO.

a) Pro Ἀχαΐας est Ἀσιας in Codd. ABCD*EFG, quam lectionem Vulgata quoque exhibet.

ỹ. 3—4. *Salutate Priscam et Aquilam, adjutores meos in Christo Jesu.* etc.) Prisca et Aquila conjuges, ambo Judæi, illi ipsi sunt quorum mentionem facit Lucas in Actis (Cap. XVIII. passim), nisi quod Priscam ὑποκοριστικως Priscillam nominat. Sic

Livia dicebatur et *Livilla*, *Claudia* et *Claudilla*, *Secunda* et *Secundilla*. Conjuges illos Apostolus vocat *συνεργους*, *coöperatores* suos in Christo Jesu, h. e. in re evangelica sive in tradenda doctrina Christiana. Confer Act. XVIII. 26. Eosdem eo etiam nomine ornat quod memorat illos *præsentissimum vitæ periculum adiisse* (*τον εαυτων τραχηλον ὑπεθηκαν*) *pro sua* (Pauli) *vita tuenda* (*ὑπερ της ψυχης μου*); quamobrem, inquit, *non solus ego illis gratias ago*, *sed etiam cunctæ ecclesiæ gentium*. Nimirum Pauli, gentilium apostoli, conservatæ vitæ beneficium non erat privatum tantùm ipsi beneficium, sed et commune Gentibus. Ubinam verò Prisca et Aquila Pauli causâ vitæ suæ periculum adierint, utrum hoc acciderit Corinthi (Act. XVIII), an Ephesi (Act. XIX), an alio quopiam in loco, certò dici nequit. *Τραχηλον ὑποτιθεναι cervicem suam submittere* scil. *τῳ σιδηρῳ securi*, tropice hic dictum est valetque *extremum vitæ subire periculum*. *Την κατ' οικον αυτων εκκλησιαν domesticam ecclesiam eorum* pendet ab antegresso (℣. 3) *ασπασασθε*. *Domesticam* autem Priscæ et Aquilæ ecclesiam Apostolus intelligit aut ipsam illorum familiam, liberos, servos, ancillas, qui omnes essent Christiani, aut eum Christianorum cœtum qui in Priscæ et Aquilæ ædibus convenire soleret divini cultûs causâ. Oecumenius [1]) utramque sententiam commemorat; ut mihi quidem videtur, posterior sententia priori præferenda est.

℣. 5—6. *Salutate Epænetum dilectum mihi*, cet.) De Epæneto nihil certi aliunde nobis innotuit; ut nec de reliquis qui porrò (5—16) nominatim ab Apostolo salutantur. *Απαρχη της Ασιας εις Χριστον* (Vulg. *primitivus Asiæ in Christo*) Epænetus vocatur, quia in Asia (proconsulari) primus in Christum credidisset. De voce *απαρχη* vide supra ad Cap. VIII. 23, pag. 260. Vers. 6. *salutate Μαριαμ* (מִרְיָם) *quippe quæ* (*ἡτις*) *multum laboravit nostri* (Pauli) *causâ* (*εις ἡμας voor ons*), Vers. 7. Andronicus et Junias, duo nomina virorum. Erant hi Pauli *cognati* (*συγγενεις μου*), puta illius contribules, id est, de tribu *Benjamin*, aut forte etiam propiore sanguinis vinculo cum Paulo conjuncti. Nam quod illos *cognatos* suos vocaverit quia essent Judæi, parum verisimile videatur, quum, quod Estius hic notat, tam multi essent Romæ Judæo-Christiani et proinde hac generali ratione Paulo cognati. Quandonam verò aut ubi Andronicus et Junias in eodem carcere cum Paulo (*συναιχμαλωτοι*) fuerint, ignotum. *Insignes* (*επισημοι*) *inter Apostolos* (*εν τοις Αποστολοις*) dicuntur tamquam tales qui cogniti essent et magni æstimarentur a ceteris quoque Apostolis. Sunt verò interpretes qui putent Apostoli nomen hoc loco latiori sumi significatione, (ut

---

(1) **Και την κατ' οικον αυτων εκκλησιαν.** Οὑτως δε ησαν ευδοκιμοι, ὁτι και τον οικον αυτων εκκλησιαν εποιησαν· ἤ ὁτι πανοικι ησαν πιστοι, ὡς τον οικον λοιπον εκκλησιαν ειναι. h. e. *Ac domesticam eorum ecclesiam*: *Adeo probi erant ut suam etiam domum ecclesiam fecissent. Vel dicitur hoc, quia omnes domestici fideles essent, ut jam domus esset ecclesia.*

Act. XIV. 14.) atque hoc sensu Andronicum et Juniam vocari *insignes inter Apostolos* quòd essent viri insignes *inter doctores Christianos*. Addit Apostolus, Andronicum et Juniam *priores se* (*προ εμου*) in Christum credidisse; ubi notanda est, inquit Estius (ad h. l.), Pauli modestia qui sic laudat alios, ut semetipsum deprimere videatur.

ỳ. 8—12. Salutate Ampliatum dilectissimum mihi in Domino. 9 Salutate Urbanum adjutorem nostrum in Christo Jesu, et Stachyn dilectum meum. 10 Salutate Apellen probum in Christo. 11 Salutate eos, qui sunt ex Aristoboli domo. Salutate Herodionem cognatum meum. Salutate eos, qui sunt ex Narcissi domo, qui sunt in Domino. 12 Salutate Tryphænam, et Tryphosam: quæ laborant in Domino. Salutate Persidem charissimam, quæ multum laboravit in Domino.

ỳ. 8—12. *Ἀσπάσασθε Ἀμπλίαν, τὸν ἀγαπητόν μου ἐν Κυρίῳ.* 9 *Ἀσπάσασθε Οὐρβανὸν, τὸν συνεργὸν ἡμῶν ἐν Χριστῷ, καὶ Στάχυν, τὸν ἀγαπητόν μου.* 10 *Ἀσπάσασθε Ἀπελλῆν, τὸν δόκιμον ἐν Χριστῷ. Ἀσπάσασθε τοὺς ἐκ τῶν Ἀριστοβούλου.* 11 *Ἀσπάσασθε Ἡροδίωνα, τὸν συγγενῆ μου. Ἀσπάσασθε τοὺς ἐκ τῶν Ναρκίσσου, τοὺς ὄντας ἐν Κυρίῳ.* 12 *Ἀσπάσασθε Τρύφαιναν καὶ Τρυφῶσαν, τὰς κοπιώσας ἐν Κυρίῳ. Ἀσπάσασθε Περσίδα, τὴν ἀγαπητήν, ἥτις πολλὰ ἐκοπίασεν ἐν Κυρίῳ.*

Paraphrasis. Salutate *Ampliatum*, dilectum meum in Christo. Salutate *Urbanum*, coöperarium nostrum in re evangelica, et *Stachyn*, dilectum meum. Salutate *Apellem*, hominem sincerè Christianum. Salutate eos qui inter *Aristobuli* domesticos christiani sunt. Salutate *Herodionem*, cognatum meum. Salutate eos qui inter *Narcissi* domesticos christiani sunt. Salutate *Tryphænam* et *Tryphosam*, quæ bene merentur de Christianis. Salutate *Persidem* dilectam, quæ pro re evangelica multum laboris subiit.

ỳ. 8—12. *Salutate Ampliatum*, cet.) Ampliatus nomen proprium viri est apud Latinos, quod Græci decurtarunt in *Αμπλιας*. *Dilectus εν Κυριῳ*, ut supra ỳ. 2. Urbanus *συνεργος εν Χριστῳ*, ut suprà ỳ. 3. Apelles *δοκιμος*, *probatus*, *germanus*, *sincerus*, *εν Χριστῳ* h. e. *Christianus*. *Τους εκ των Αριστοβολου* scil. *οικιακων*, *τους οντας εν Κυριῳ*, quod ibi mente supplendum, ut patet ex versu undecimo; intelliguntur Aristobuli *domestici*, *qui Christiani essent*. Vers. 11, *τον συγγενη*, ut supra ỳ. 7. Vers. 12: *τας κοπιωσας εν Κυριῳ*, *quæ bene merentur de Christianis*.

ỳ. 13—16. Salutate Rufum electum in Domino, et matrem ejus, et meam. 14 Salutate Asyncritum, Phlegontem, Hermam, Patrobam, Hermen: et qui cum eis sunt, fratres. 15 Salutate Philologum, et Juliam, Nereum, et sororem ejus, et Olympiadem, et omnes, qui cum eis sunt, sanctos. 16 Salutate invicem in osculo sancto. Salutant vos omnes ecclesiæ Christi.

ỳ. 13—16. *Ἀσπάσασθε Ῥοῦφον, τὸν ἐκλεκτὸν ἐν Κυρίῳ, καὶ τὴν μητέρα αὐτοῦ καὶ ἐμοῦ.* 14 *Ἀσπάσασθε Ἀσύγκριτον, Φλέγοντα, Ἑρμᾶν, Πατρόβαν, Ἑρμῆν, καὶ τοὺς σὺν αὐτοῖς ἀδελφούς.* 15 *Ἀσπάσασθε Φιλόλογον καὶ Ἰουλίαν, Νηρέα καὶ τὴν ἀδελφὴν αὐτου, καὶ Ὀλυμπᾶν, καὶ τοὺς σὺν αὐτοῖς πάντας ἁγίους.* 16 *Ἀσπάσασθε ἀλλήλους ἐν φιλήματι ἁγίῳ. Ἀσπάζονται ὑμᾶς αἱ ἐκκλησίαι τοῦ Χριστοῦ.*

Paraphrasis. Salutate *Rufum*, insignem christianâ pietate virum, et matrem ejus atque meam. Salutate *Asyncritum*, *Phlegontem*, *Hermam*, *Patrobam*, *Hermam* et christianos qui apud ipsos commorantur. Salutate *Philologum* et *Juliam*, *Nereum* et sororem ejus, et *Olympiadem*, eorumque domesticos, qui christiani sunt omnes. Salutate vos invicem osculo christianorum. Salutant vos cœtus christianorum omnes.

ỳ. 13—15. *Salutate Rufum electum in Domino*, cet.) Rufum vocat *εκλεκτον εν Κυριῳ*, *insignem Christianâ pietate virum*. Rufi matrem suam quoque matrem Paulus appellat, puta, quia materno affectu Paulum diligeret. — Hermas (ỳ. 14) non est idem cum auctore libri qui *Pastor* inscribitur, quum hic hic Pii I Pontificis frater fuerit vixeritque circa dimidium sæculi secundi. Philologus et Julia (ỳ. 15) conjuges fuisse videntur. *Και τους συν αυτοις παντας ἁγιους*, *eorumque domesticos, qui Christiani sunt omnes.*

ỳ. 16. *Salutate invicem in osculo sancto. Salutant vos omnes ecclesiæ Christi.)* Ne quempiam in salutando prætereat, postremò rogat ut ipsius nomine invicem se salutent omnes *in* (*εν* instrumenti) *osculo sancto* (*εν φιληματι ἁγιῳ*), hoc est, invicem se osculando *osculo sancto*, i. e. Christiano, eo, inquam, quo Christiani, (*οἱ ἁγιοι*) qua tales, mutuum inter se amorem tunc temporis declarare solebant.—Denique, quum satis cognosceret Apostolus illarum quas ipse fundasset ecclesiarum studium erga Romanos, illarum omnium quoque nomine illos salvere jubet: *Salutant vos*, inquit, *omnes ecclesiæ* Christi. Codices ABCJ exibent *αἱ εκκλησιαι πασαι.*

ỳ. 17—20. Rogo autem vos fratres, ut observetis eos, qui dissensiones,

ỳ. 17—20. *Παρακαλῶ δὲ ὑμᾶς, ἀδελφοὶ, σκοπεῖν τοὺς τὰς διχο-*

Paraphrasis. Adhortor autem vos, fratres, ut observetis eos qui dissidiorum et

et offendicula præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt, et declinate ab illis. 18 Hujuscemodi enim Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri: et per dulces sermones, et benedictiones seducunt corda innocentium. 19. Vestra enim obedientia in omnem locum divulgata est. Gaudeo igitur in vobis. Sed volo vos sapientes esse in bono, et simplices in malo. 20. Deus autem pacis conterat Satanam sub pedibus vestris velociter. Gratia Domini nostri Jesu Christi vobiscum.

στασίας καὶ τὰ σκάνδαλα, παρὰ τὴν διδαχὴν ἣν ὑμεῖς ἐμάθετε, ποιοῦντας· καὶ ἐκκλίνατε ἀπ' αὐτῶν. 18 Οἱ γὰρ τοιοῦτοι τῷ Κυρίῳ ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστῷ οὐ δουλεύουσιν, ἀλλὰ τῇ ἑαυτῶν κοιλίᾳ· καὶ διὰ τῆς χρηστολογίας καὶ εὐλογίας ἐξαπατῶσι τὰς καρδίας τῶν ἀκάκων. 19 Ἡ γὰρ ὑμῶν ὑπακοὴ εἰς πάντας ἀφίκετο· χαίρω οὖν τὸ a) ἐφ' ὑμῖν· θέλω δὲ ὑμᾶς σοφοὺς μὲν εἶναι εἰς τὸ ἀγαθόν, ἀκεραίους δὲ εἰς τὸ κακόν. 20 Ὁ δὲ Θεὸς τῆς εἰρήνης συντρίψει τὸν Σατανᾶν ὑπὸ τοὺς πόδας ὑμῶν ἐν τάχει. Ἡ χάρις τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ μεθ' ὑμῶν.

scandalorum auctores sunt, prædicando doctrinam contrariam doctrinæ quam vos estis edocti; et devitate istorum hominum consortium. Nam istiusmodi homines Christi gloriam non quærunt, sed quærunt unde laute vivant et gulam suam expleant, atque interim benignis et blandiloquis suis sermonibus incautos decipiunt. Itaque istiusmodi homines declinate; nam fama fidei vestræ ad omnes pervenit; quo magis vobis cavendum est, ne impostores isti famæ vestræ maculam inferant. Est igitur quo gaudeam de vobis; sed idem volo prudentes ut sitis quod ad bonum attinet, atque ideo moneo vos ut vobis caveatis a falsis illis magistris; simplices verò vos esse volo quod attinet ad malum. Deus autem pacis largitor, brevi, ita confido, satanam per falsos illos magistros mala vobis machinantem, victum prostratumque pedibus vestris subjiciet.

VARIANS LECTIO.

a) Articulus Τὸ ante ἐφ' ὑμῶν non legitur in Codd. ABCDEF. Codd. ABC, alio verborum ordine, exhibent ἐφ' ὑμιν ουν χαιρω.

b) Particula μεν hoc loco abest a Codd. BDEGI.

ỳ. 17. *Rogo autem vos, fratres ut observetis eos, qui dissentiones, cet.*) Admonitionem interserit Apostolus de vitando quorumdam pseudo-doctorum consortio.

Utrum verò *Judaizantes* intellexerit, ut Gal. V, an alterius speciei falsos magistros, satis certò dici nequit. *Σκοπειν τινα*, *observare aliquem*, Philipp. III. 17 ut eum imiteris, sed hoc loco, ut ab eo tibi caveas. Scripsit Apostolus cum Articulo, *τας διχοστασιας* et *τα σκανδαλα*, quòd cogitaret certa quædam *dissidia et scandala* Romanis optime nota. *Dissidia* autem *et scandala* falsæ cujusdam doctrinæ commenta vocat, nimirum per Metonymiam *effectûs pro causa*. Dicit ergo: *Adhortor autem vos, fratres, ut observetis eos qui istorum dissidiorum et scandalorum auctores sunt, prædicando doctrinam contrariam doctrinæ* (*παρα την διδαχην*) *quam vos* (*ὑμεις* cum epitasi) *estis edocti, et devitate eorum consortium.* *Παρα* seq. Accusativo, *contra*, ut Act. XVIII. 13. Rom. I. 25.

℣. 18. *Hujuscemodi enim Christo Domino nostro non serviunt,* cet.) Describendo qualitatem istorum pseudo-doctorum unà *rationem dat* (*γαρ*) cur fugiendum sit eorum consortium. *Nam*, inquit, *istiusmodi homines* (*οἱ τοιουτόι*) Christo *non inserviunt* (Christi gloriam non quærunt) *sed ventri suo inserviunt* (quærunt unde laute vivant et gulam suam expleant), *atque interim* (*και*) *benignis et blandiloquis suis sermonibus* (*δια της χρηστολογιας και ευλογιας*) *simplicium* (*των ακακων*) *corda decipiunt.* — *Ακακοι* hic intelliguntur tales qui ut ipsi boni sunt, ita nec in aliis quidquam mali facile suspicantur incauti [1]. Phavorinus: *ακακοι· οἱ ἁπλουστεροι.* Voces *χρηστολογια* et *ευλογια* Theophylactus (ad h. l.) pro synonymis habet [2].

℣. 19. *Vestra enim obedientia in omnem locum divulgata est.*) Altera hæc ratio est (*γαρ*) cur declinare debeant illorum pseudo-doctorum consortium; et sumpta hæc ratio est a bona fama quam sibi parassent Romani ob fidem Christianam ab illis susceptam [3]; quam famam tueri debeant, abjicerent autem si falsis illis magistris aures præberent atque ita a recta fide deficerent. Mentem Apostoli hisce verbis expresserim: *Adhortor vos ut declinetis a falsis illis magistris, qui vos decipere possint. Nam fama fidei vestræ* (*ὑπακοη*) *ad omnes pervenit;* quo magis vobis ut Cap. I. 5. cavendum est ne impostores isti famæ vestræ maculam inferant. *Est igitur cur gaudeam de vobis, sed idem volo prudentes ut sitis* (*σοφοι*) *quod ad bonum attinet* (*εις το αγαθον*),

---

(1) Raphelius (*Adnott. sacr. ad* h. l.): Ακακος, *inquit*, hic dicitur simplex atque incautus, qui ut ipse est minime malus, ita nec ab aliis quicquam mali suspicatur; unde fit, ut facile decipiatur. Polybius (p. 345): *Τουτον μεν ακακον οντα τον ανδρα και πρᾶον τη φυσει. Hunc virum norat minime malum, naturâ lenem;* Pag. 512: *Αλλα τη των κατοικουντων το χωριον ευνοια πιστευοντες, ακακως προ του τειχους αυτου παρενεβαλον. Sed benevolentiæ incolarum confisi, nihil quicquam mali suspicantes, pro moenibus consederunt.*

(2) Τουτο ἡ χρηστολογια και ἡ ευλογια, ὁταν τα μεν ρηματα φιλιας ῇ, ἡ δε διανοια δολου γεμουσα. h. e. Χρηστολογια et ευλογια *est, quando verba quidem amicitiam sonant, mens verò fraude abundat.*

(3) Vide supra ad Cap. 1. 8, p. 15 seq.

atque ideo moneo vos ut vobis caveatis a falsis illis magistris ; *simplices verò vos esse volo quod attinet ad malum* (εις το κακον). Cf. 1 Cor. XIV. 20.

ỹ. 20. *Deus autem pacis conterat satanam sub pedibus vestris velociter.)* Pro *conterat* (συντριψαι) malim legere *conteret* (συντριψει). Vide Var. lect. Itaque Apostolus ad consolandos et confirmandos illos eisdem confidenter promittit aut prædicit fore *ut brevi* (εν ταχει) *Deus largitor pacis* (ὁ Θεος της ειρηνης) *Satanam*, per falsos illos magistros (ỹ. 17), suos videlicet ministros, mala ipsis machinantem, *pedibus eorum subjectum confringat* (συντριψει ὑπο τους ποδας αυτων), h. e. vi suâ privet. *Συντριψει ὑπο τους ποδας αυτῶν* dictum est *prægnanter* pro *συντριψει ὑποταγέντα ὑπο τους ποδας αυτῶν.*

ỹ. 21—24. Salutat vos Timotheus adjutor meus, et Lucius, et Jason, et Sosipater cognati mei. 22 Saluto vos ego Tertius, qui scripsi epistolam, in Domino. 23 Salutat vos Caius hospes meus, et universa Ecclesia. Salutat vos Erastus arcarius civitatis, et Quartus, frater. 24 Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis. Amen.

ỹ. 21—24. *Ἀσπάζονται* a) *ὑμᾶς Τιμόθεος ὁ συνεργός μου, καὶ Λούκιος καὶ Ἰάσων καὶ Σωσίπατρος, οἱ συγγενεῖς μου.* 22 *Ἀσπάζομαι ὑμᾶς ἐγὼ Τέρτιος, ὁ γράψας τὴν ἐπιστολὴν, ἐν Κυρίῳ.* 23 *Ἀσπάζεται ὑμᾶς Γάϊος, ὁ ξένος μου καὶ τῆς ἐκκλησίας ὅλης.* b) *Ἀσπάζεται ὑμᾶς Ἔραστος, ὁ οἰκονόμος τῆς πόλεως, καὶ Κούαρτος ὁ ἀδελφός.* 24 *Ἡ χάρις τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ μετὰ πάντων ὑμῶν. Ἀμήν.*

Paraphrasis. Salutant vos *Timotheus*, coöperarius meus, et *Lucius* et *Jason*, et *Sosipater*, cognati mei. Ego *Tertius*, qui scripsi hanc epistolam, saluto vos in Domino. Salutat vos *Cajus* hospes meus, imo et universæ ecclesiæ hospes. Salutat vos *Erastus* hujus civitatis arcarius, et *Quartus*, frater noster in Christo. Gratia Domini nostri Jesu Christi omnibus vobis adsit! Ita fiat!

VARIANS LECTIO.

a) In plerisque Codd. uncialibus est in Singulari ασπαζεται, ut infra ỹ. 23.

b) Pro της εκκλησιας ὁλης legitur in Codd. FG ὁλαι αἱ εκκλησιαι, quam lectionem Vulgata quoque refert. Sed est profecto improbanda hæc lectio, tum quia non nisi paucissimos habet testes, tum etiam quia supra (ỹ. 16) Apostolus Romanos jam salutaverat *omnium ecclesiarum nomine;* tum denique quia nec rectè hic dicatur ὁλαι, quum Græcæ linguæ usus postulet ut scribatur πᾶσαι.

ỳ. 21—24. *Salutat vos Timotheus adjutor meus*, cet.) Supra (ỳ. 16) Romanos omnium cœtûum christianorum nomine salvere jusserat, hìc vero salutem illis specialiter mittit a privatis nonnullis, a Timotheo, inquam, *coöperatore suo* (ὁ συνεργος μου) in prædicando Evangelio (Act. XVI. 1. XX. 4.), ut et a Lucio (Act. XIII. 1), et Jasone (Act. XVII. 5) et Sosipatre (Act. XX. 4), *cognatis suis* (ut ỳ. 7), quos viros Apostolus eo tempore secum habuerit. Deinde Tertius, Pauli amanuensis (ὁ γραψας την επιστολην), suo nomine Romanos salutat [1] *in Domino*, εν Κυριῳ, ut supra ỳ. 2. Pergit Paulus : *Salutat vos* Cajus (Γαΐος) [2] *hospes meus ac totius ecclesiæ* (της εκκλησιας ὅλης. Vid. Var. lect.), q. d. qui Corinthi non mihi soli præbet hospitium sed Christianis quibuscumque eò adventantibus [3]). — Erastus ὁ οικονομος της πολεως, *Corinthiacæ civitatis arcarius*, publicæ pecuniæ dispensator (le trésorier de la ville) [4]). Quartus ὁ αδελφος, *frater in* Christo.

ỳ. 25—27. Ei autem, qui potens est vos confirmare juxta Evangelium meum,

ỳ. 25—27. Τῷ δὲ δυναμένῳ ὑμᾶς στηρίξαι κατὰ τὸ εὐαγγέλιόν

Paraphrasis. Deo autem qui potest vos constantes facere in fide Evangelii mei,

---

(1) Bene Estius (ad h. l.) *Tertii* velut amanuensis opera *Paulus* usus fuerat in hac epistola scribenda. Is ergo dicit : *saluto vos ego Tertius qui scripsi epistolam*, scilicet *Paulo* dictante, qui et hoc scribi voluit ; ut proinde hæc verba non minus divina sint quam cetera. Nam quod ex *Diodoro Tarsensi* episcopo refert *Sixtus Senensis* (Lib. 2. Bibl. S.), hunc *Tertium*, *cum esset parum sermone peritus, nec satis in scribendo exercitatus, epistolam quæ propter multitudinem ac sublimitatem quæstionum ceteris Pauli epistolis obscurior est, longe reddidisse obscurissimam, dum sensus et cogitationes Pauli elocutionibus interdum confusis, et inabsolutis sententiis, ac transpositâ nonnumquam ordinis serie conatus est explicare*, hoc, inquam, nulli docto theologo potest verisimile videri. Quis enim credat *Paulum* tam sublimis ac divinæ materiæ dispositionem permisisse notario, nec loquendi nec scribendi satis perito ?.... Nulla sit igitur dubitatio, quin *Paulus* epistolæ dictator fuerit, ac *Tertius* non aliud quam scriba, qui verba dictantis exceperit. »

(2) Romani scribebant Cajus per C sed Gajus pronunciabant. Vide Quintilian. I. 7.

(3) Theodoretus (ad h. l.) Ξενον τον ξενοδόχον καλει h. e. Ξενον, *hospitem eum appellat qui hospitio excipit.* Ξενος *peregrinum* notat, et mox eum *qui hospitio excipitur* ; ut Matth. XXV. 35. Verùm ita quoque ξενος vox adhibetur ut significet illum *qui peregrinum hospitio excipit* ; quo sensu ξενος tantumdem valet ac ξενοδοχος. *Etymolog. M.* : Ξενος· διχως, και ὁ ὑποδεχομενος τον ξενον ; και ὁ απο της αλλοδαπης ἡκων. h. e. Ξενος *vox dupliciter dicitur ; et de eo qui peregrinum hospitio excipit, et de eo qui peregrè advenit.*

(4) Elsnerus (Observatt. sacr. ad h. l.) : Significat, inquit, hoc loco οικονομος *dispensatorem publicæ pecuniæ.* Talis erat Smyrnæ, qui inter ceteros ejus Urbis magistratus memoratur in *Marmoribus oxoniensibus*, pag. 265,

ΜΕΙΛΗΤΟΣ. ΝΕ.

ΟΙΚΟΝΟΜΟΣ.

Miletus juvenis dispensator. Vulgata vertit *arcarius civitatis*, quomodo etiam exponunt Glossæ Philoxeni ; *arcarius* autem ibidem est ὁ επι της δημοσιας τραπέζης.

et prædicationem Jesu Christi, secundum revelationem mysterii temporibus æternis taciti, 26 quod nunc patefactum est per Scripturas Prophetarum secundum præceptum æterni Dei, ad obeditionem fidei) in cunctis gentibus cogniti, 27 soli sapienti Deo, per Jesum Christum, cui honor, et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

μου καὶ τὸ κήρυγμα Ἰησοῦ Χριστοῦ, κατὰ ἀποκάλυψιν μυστηρίου χρόνοις αἰωνίοις σεσιγημένου, 26 φανερωθέντος δὲ νῦν, διά τε [a] γραφῶν προφητικῶν κατ᾽ ἐπιταγὴν τοῦ αἰωνίου Θεοῦ, εἰς ὑπακοὴν πίστεως, εἰς πάντα τὰ ἔθνη γνωρισθέντος 27 μόνῳ σοφῷ Θεῷ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ ᾗ δόξα [b] εἰς τοὺς αἰῶνας. Ἀμήν.

hoc est, doctrinæ quam meo ministerio Jesus Christus prædicat, in fide, inquam, præstitâ revelationi arcani omnibus retrò sæculis taciti, nunc autem patefacti, atque adhibitis Scripturis propheticis ex mandato æterni Dei, ut illud credatur, inter omnes Gentes prædicati, — soli sapienti Deo sit per Jesum Christum gloria in omnia sæcula. Amen.

VARIANS LECTIO.

a) Particula τε abest a Codd. DE.

b) Codices fere omnes habent Relativum ᾧ ante ἡ δόξα. Nec dubitandum est quin Paulus ita scripserit. Legit sic quoque auctor Vulgatæ; nam vertit: *cui honor et gloria*. cet.

℣. 25—27. *Ei autem qui potens est vos confirmare*, cet.) Epistolam suam claudit Apostolus insigni doxologiâ. Sed ad hujus loci syntaxin quod attinet, quum sit omninò legendum (℣. 27) ᾧ ἡ δοξα, (Vid. Var. lect.), monendum est Pauli orationem anacoluthicam esse; nam Dativi τῳ δε δυναμενῳ—μονῳ σοφῳ Θεῳ non habent cum quo Grammatice conjungantur. Quodsi, demto Relativo ῷ (℣. 27), præsentem locum ita legeris ut est in Complutensi editione, quam in commentariis nostris exhibemus, anacoluthia omnis evanuit. Ceterum quod dicere vult Apostolus tale est: *Deo autem qui potest* (τῷ δυναμενῳ) *vos confirmare in fide Evangelii mei et doctrinæ quam meo ministerio* Jesus Christus *prædicat, in fide, inquam, revelationis mysterii* (d'un mystère) *æternis temporibus taciti, nunc autem patefacti, atque adhibitis Scripturis propheticis* (δια τε γραφων προφητικων), *ex imperio æterni Dei, ut credatur* (εις

ὑπακοην πιστεως), *inter omnes gentes prædicati*,—*soli sapienti Deo sit per* Jesum Christum *gloria in omnia sæcula. Amen.*

Στηριζειν τινα κατα τι valet *confirmare*, *firmum reddere aliquem respectu cujuspiam rei.* Itaque κατα Præpositio in hac locutione valet Gallicum *par rapport a quelque chose;* eoque sensu κατα et alibi frequenter occurrit, et bis suprà Cap. XI. ℣. 28. Ευαγγελιον μου Apostolus vocat Evangelium sive *evangelii doctrinam a se prædicatam*, sicut 2 Tim. II. 8. 2 Thess. II. 13. *Confirmare* autem *aliquem* sive *constantem facere respectu evangelicæ doctrinæ* (κατα το ευαγγελιον) tantumdem est ac *constantem reddere in illâ doctrinâ*, hoc est, *in fide illius doctrinæ* quo sensu κατα Præpositionem hoc loco accepit Syrus quoque interpres, qui præsentem locum sic reddidit: ܠܐܠܗܐ ܕܝܢ ܗܘ ܕܡܫܟܚ ܕܢܫܪܪܟܘܢ ܒܐܘܢܓܠܝܘܢ ܕܝܠܝ h. e. *Deo autem, qui potest vos confirmare in evangelio meo* [1]. Dum autem Deum vocat Apostolus τον δυναμενον αυτους στηριξαι, *eum qui potest illos facere constantes*, hoc ipso Deum oblique precatur ut hoc faciat nec permittat Romanos decipi a falsis illis magistris, quorum consortium devitandum esse modo (℣. 17) dixerat. Quod addit Apostolus και το κηρυγμα Ιησου Χριστου, correctoria epexegesis est antegressi κατα το ευαγγελιον μου, ut sensus sit: *respectu evangelii mei, hoc est* (και) *respectu doctrinæ quam* Jesus Christus *meo ministerio prædicat.* Itaque Ιησου Χριστου est Genitivus *subjecti* sicut parallelicum μου. Sentit Apostolus, id quod *suum* vocat *evangelium* nihil aliud esse quam quod Christus eum docuerat (Gal. I. 12) illique præceperat cunctis gentibus prædicandum (Act. IX. 15). Quod jam sequitur κατα αποκαλυψιν μυστηριου, est hoc *Appositio* ad antegressum κατα το ευαγγελιον μου και το κηρυγμα Ιησου Χριστου, nec aliter quam hoc a στηριξαι pendet; itaque etiam hic κατα Præpositio valet *respectu alicujus.* Nimirum, Apostolus attendens ad *id quod evangelizat* sive Christus ejus ministerio *prædicat*, illud ita designat ut sit αποκαλυψις μυστηριου χρονοις αιωνιοις σεσιγημενου, hoc est, *exhibitio* (αποκαλυψις) *mysterii æternis temporibus taciti* [2]. Intelligit autem Apostolus mysterium sive *Dei arcanum de salute humani Generis per Christum procurandâ* [3] *consilium*, quod ut ab æterno captum erat a Deo, ita *per æterna tempora* (χρονοις αιωνιοις [4]) hoc est, omnibus retrò sæ-

---

(1) Latinus Syriacæ versionis interpres falsò reddidit: *secundum evangelium meum.*

(2) Confer locum parallelum hunc (Coloss. 1. 25. 26): *ut impleam* (Gentibus annunciem) *verbum Dei, mysterium quod absconditum fuit a sæculo et generationibus, nunc autem manifestatum est.*

(3) Confer Ephes. III. 6—8: *Mihi data est gratia hæc, in Gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi, et illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi a sæculis in Deo.*

(4) Dativus *temporis* ad indicandum *quamdiu*, ut Luc. VIII. 29. Quod *tempora æterna* dixit Apostolus, impropriè locutus est.

culis usque ad tempus evangelicum *tacitum fuerat* (σεσιγημενου)[1] *nunc autem*, inquit, *patefactum est* (φανερωθεντος δε νυν) scilicet per Evangelium, quod ipsum est illius mysterii sive arcani Dei consilii revelatio. Addit Apostolus : *atque* (τε)[2], *in subsidium prædicationis adhibitis Scripturis propheticis*, (δια γραφων προφητικων)[3], *secundum æterni Dei præceptum*[4]) *ad efficiendum ut præstetur obedientia fidei* (εις) ὑπακοην πιστεως) *inter* (εις) *omnes Gentes notificatum est* (γνωρισθεντος).

---

(1) Recte Soto : « Non negat Paulus quin fuerit mysterium hoc præfiguratum et prænunciatum ; sed hoc tantum quod fuerit ante tempora evangelica lucide patefactum, hoc est expositum, amotisque figurarum prophetiarumque velaminibus apertè revelatum.» Et est profectò hæc mens Apostoli cum dicit tacitum fuisse illud mysterium usque ad tempora evangelica; nam statim additurus est, *Scripturas propheticas adhiberi in illius mysterii prædicatione*, videlicet ut ostendatur jam ante fuisse prædictum quod nunc annunciabatur. »

(2) Probe notanda est hoc loco τε Particula, qua novum infertur incisum ab antegresso φανερωθεντος δε νυν distinctum.

(3) Cf. Act. III. 22—26. X. 37—44. XXVI. 22—24. XXVIII. 23.

(4) Matth. XXVIII. 19 : *Docete omnes gentes.*

EXPLICIT

COMMENTARIUS IN EPISTOLAM S. PAULI AD ROMANOS.

Δόξα Θεῷ.

EPISTOLÆ S. PAULI

AD ROMANOS

PARAPHRASIS CONTINUA.



Paulus, minister Jesu Christi, non humanâ delegatione sed divinâ voca- Cap. I.
tione Apostolus, selectus ad promulgandum lætum illud Dei Patris nuncium quod per Prophetas suos in Scripturis sacris dudum ante promiserat de Filio suo, (qui factus ex semine David secundum naturam humanam, esse Dei Filius demonstratus est per potentiam a Spiritu sancto exsertam ex quo tempore a mortuis resurrexit), de Jesu Christo, inquam, Domino nostro, per quem accepimus gratiam Apostolatûs ad procurandum ut in gloriam nominis ejus præstetur obedientia doctrinæ fidei apud omnes gentes, inter quas numerandi estis etiam vos, superna vocatione effecti Jesu Christi fideles,—omnibus Romæ commorantibus Dei dilectis, superna vocatione *Christianis*. Sit vobis gratia et omne bonum a Deo Patre nostro et a Domino Jesu Christo!

Principio quidem Deo meo gratias per Jesum Christum ago vestrâ omnium causâ, videlicet ob vestram Christianæ Religionis professionem toto orbe celebratam. Nam Deus, cui ex animo inservio in promovenda re Evangelica, testis mihi est quam assidue in precationibus meis Deo vos commendem, semper ibi orans si forte tandem aliquando mihi ex Dei voluntate obtingat felicitas veniendi ad vos. Desidero enim videre vos, ut nonnihil doni spiritualis vobiscum communicem ad vos confirmandos, ut, inquam, mihi detur inter vos mutuo alloquio unà vobiscum incitari per communem nostram fidem, vestram atque meam.

Scitote autem, fratres, me jam pridem sæpenumero consilium cepisse vos adeundi (et ad hoc usque tempus prohibitus fui quominus id facerem), ut nonnihil mercedis Evangelicæ haberem inter vos, quemadmodum et inter reliquas nationes habere studeo. Hominibus omnibus sine ullo aut gentis aut culturæ discrimine debeo Apostolatûs mei ministerium : itaque ad me quod attinet, ego quidem, modo hæc Dei quoque sit voluntas, cupio etiam vobis Romanis Evangelium prædicare. Neque enim erubesco doctrinam Evangelii; est enim doctrinæ hæc, est, inquam, Dei salvifica quædam vis cuicumque qui credit, sive Judæus sit, sive Gentilis; nam in doctrina Evangelii revelatur, justitiam, qua homo justus fit per Deum, oriri ex fide et obtingere credenti, sicut scriptum est : *Justus autem ex fide vivit*; nam in doctrina Evangelii revelatur, vindictam Dei cœlitùs esse superventuram contra summam impietatem et iniquitatem eorum, qui veram quam habent de Deo notitiam per improbitatem suam impediunt ne vitam eorum moderetur. Et verò in ignoratione Dei non sunt; quod enim notum est de Deo, hoc in ipsorum animis manifestum est; Deus enim hoc illis manifestavit; nam ea quæ de Deo oculis sunt impervia, videlicet æterna ejus potentia et reliqua attributa, hæc jam inde a mundo condito intellectu ex rebus creatis apprehensa cernuntur; ut adeò inexcusabiles sint meritoque damnandi, quia, quamquam Deum cognoscerent, eumdem tamen non ut talem coluerunt, aut vel gratum suum animum eidem testati sunt; sed ad falsas de Deo opiniones sunt delapsi, aliter eum animo fingentes quam est; atque ita tenebris obducta

est desipiens eorum mens; (dum sapientes se esse gloriabantur, infatuati sunt); eòque stuporis venerunt, ut loco Dei immortalis coluerint simulacra hominum, et volucrium, et quadrupedum, et reptilium.

Quam ob rem Deus, secundum fœdas cordium ipsorum cupiditates, retracto gratiæ suæ auxilio, in impuritatem, ita ut mutuò inter sese sua corpora fœdarent, illos tradidit; quippe qui veri Dei loco falsos sibi assumserant Deos, et honorabant colebantque creaturam præterito Creatore, qui in æternum dignus est laudari. Sic est profectò! Quapropter Deus illos permisit dedecorosæ libidini; nam feminæ eorum naturalem usum masculei sexûs permutantes in eum qui contra naturam est, feminæ cum feminis coierunt; similiter verò etiam mares, relicto sexûs feminei usu naturali, in sua libidine in se invicem exarserunt, mares in maribus eam, quam nostis, turpitudinem perpetrarunt, atque ita pro ignominiâ Deo per cultum idololatricum illatâ congruentem retributionem, velut quâdam talionis lege, in suis ipsorummet corporibus receperunt. Et sicut illis probatum non fuit Deum, quem cognoscebant, agnoscere et venerari, ita vicissim Deus illos tradidit in reprobam sentiendi rationem, ita ut faciant quæ non decent, referti ut sunt omnigena iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia; pleni invidia, cæde, rixa, dolo, malignitate; detrectatores, calumniatores, Dei osores, contumeliosi, superbi, jactatores, flagitiorum repertores, immorigeri parentibus, insipientes, fœdifragi, expertes amoris, implacabiles, immisericordes; tales denique, qui quamquam norant jus divinum, scilicet morte dignos esse qui talia faciunt, tamen non tantum hæc faciunt ipsi, verùm etiam approbant talia facientes.

Itaque inexcusabilis es, o homo quisquis in Gentiles judicium exerces, Cap. II. etiamsi sis Judæus! Nam quibus in rebus tu agis judicem alterius, in hisce tu te ipse condemnas; eadem enim facis ipse tu qui judicas. Atqui novimus condemnatorium Dei judicium ferri sine respectu personarum in eos qui talia faciunt. An verò tu opinaris hoc, o homo qui judicas talia facientes et ipse ea facis, quod tu effugies Dei judicium? Aut num forte illam

benignitatem et patientiam et longanimitatem, quâ te adhuc fert Deus peccatorem, contemnis, et ignoras Deum te sua illâ benignitate adducere velle ad resipiscentiam? Tu verò, pro tua animi duritie et impœnitenti corde, coacervas tibi thesaurum iræ divinæ in te effundendæ in die iræ quo justum habiturus est judicium Deus, qui rependet unicuique secundum opera ejus; et iis quidem qui constanti bonorum operum studio gloriam et honorem et immortalitatem quærebant, vitam reddet æternam; iis autem qui immorigeri erant, et, projectâ virtute, nequitiæ mancipati, pœnam infliget atrocissimam. Tribulatio et animi angustia futura est homini cuicumque qui operabatur malum, tam Judæo quam Gentili; gloria vero, et honor et pax erit cuicumque qui bonum faciebat, sive Judæus fuerit sive Gentilis. Deus enim in judicando rationem non habet personarum, sed tantum attendit ad merita causæ uniuscujusque. Quotquot, inquam, scriptâ lege carentes peccaverunt, hi peribunt quoque sine scriptæ legis accusatione; et quotquot habentes legem scriptam peccaverunt, per eam legem condemnabuntur. Non ii, inquam, qui cognitionem scriptæ legis habuerunt, ob id ipsum a Deo declarabuntur justi præmioque ab eo donabuntur; sed qui ea quæ scripta lex jubet, opere præstiterint, quicumque tandem sint, sive Judæi, sive Gentiles, illi demum censebuntur præmio digni (quando nempe Gentiles, scriptam legem sicut Judæi non habentes, naturâ magistrâ faciunt ea opera quæ lex Mosaica præcipit, tunc istiusmodi homines Mosaicæ legis expertes, ipsimet sibi illius legis vicem supplent; quippe qui eo ipso quod illa opera faciunt, factis ostendunt, esse mandata ejus legis animis ipsorum inscripta, contestantibus illud unà cum externo opere, ipsorum quoque conscientiâ et cogitationibus inter se eos accusantibus aut etiam defendentibus) die illo quo per Jesum Christum, sicut docere soleo, Deus dijudicaturus est ea quæ latentia sunt in homine. Quod si tu geris honorificum illud nomen ut Judæus appelleris, et tibi plaudis ob acceptam Legem, et gloriaris quod Deum habeas legislatorem, et agnoscis quæ sint facienda et quæ non facienda quippe ex Lege assiduò edoctus, et confidis te eum esse qui dux sit cæcorum, lumen eorum qui in tenebris versantur, magister stolidorum, institutor rudium utpote in Lege veræ

scientiæ typum habens . . . . Sic ergo tu qui alium edoces , non edoces ipse te ! Qui prædicas non esse furandum , furaris ! Qui dicis non esse adulterandum , adulterium committis ! Qui doces simulacra Gentilium esse res execrandas , templa eorum expilas ! verbo dicam : tu qui in eo gloriaris quod legem a Deo acceperis , per violationem legis Deum in infamiam adducis ; nam *Dei nomen* , sicut scriptum est , *vestrâ culpâ malè audit inter Gentes.*

Circumcisio , inquam , prodest quidem utilisque tibi est ad salutem animi, sed sub eâ conditione ut facias quæ sunt præcepta ; quod si legem violes , non plus utilitatis ex circumcisione capies quam si omninò non fuisses circumcisus. Si igitur præputiatus quispiam ea præstet quæ lege mandata sunt, nonne in extremo judicio perinde habebitur a Deo ac si esset circumcisus ? Imò , condemnabit ille naturâ præputiatus qui legem servabat, condemnabit, inquam , sui comparatione te qui violator legis eras quamquam scriptam legem habens, et circumcisionem quâ professus fueras te legem esse servaturum. Neque enim is qui tantùm foris et quatenus hominum conspectui patet Judæus est , is verus est Judæus ; neque circumcisio aspectabilis, ea, inquam , quæ in corpore fit, circumcisio vera est ; sed ille demùm verus Deoque gratus Judæus est, qui intùs et quatenus hominum conspectui impervius est, qui animo, inquam, Judæus est ; et vera demùm Deoque grata circumcisio est cordis circumcisio , ea, inquam , quæ peragitur in animo, non ea quæ sit secundum litteram legis ; denique verus Judæus is est, cujus laus proveniat non ab hominibus, qui non vident nisi ea quæ foris apparent, sed a Deo, qui intuetur cor.

Si ita res habet , ut dictum est , quænam ergo sunt Israëliticæ Gentis in re Cap. III.
religiosâ prærogativæ ? aut quænam tandem est circumcisionis utilitas ? Multæ sunt sub quovis respectu Israëliticæ Gentis prærogativæ. Nam primùm quidem, prærogativa est quod Judæis concredita fuêre divina de MESSIA venturo salvatore oracula. Quid enim ? si nonnulli Judæorum increduli fuerunt, num illorum incredulitas efficiat ut Deus suam non servet fidem in præstandis pro-

missis? Absit! Quin contra, verax habeatur Deus, homo autem quivis reputetur mendax; sicut scriptum est: *ut justificeris in sermonibus tuis et vincas cum judicaris.* At si nostra iniquitas sanctitatem Dei commendat, quid inde inferemus? num forte injustus est Deus qui pœnas infligit ob peccata? (ex carnalium hominum sensu hoc quæro) Absit! Nam si hoc ita sit, qui possit Deus agere judicem hujus mundi? Nam si Dei sanctitas gloriosior et illustrior facta est per meam perfidiam, cur adhuc et ego, divinæ gloriæ illustrator, tamquam peccator condemnor? Et quidni facimus, sicut per calumniam accusamur, sicut, inquam, nonnulli aiunt nos dicere, faciamus mala ut eveniant bona? Quam agendi rationem qui sequuntur justissimè damnantur.

Quid igitur? sumus-ne nos Judæi acceptiores Deo quam Gentiles? Nequaquam! supra enim criminibus allatis arguimus peccatores esse omnes, Judæos juxta ac Gentiles; sicut scriptum est: *Non est justus ullus; non est qui recte sapiat, non est qui Deum colat. Omnes a recta via recesserunt, facti sunt improbi pariter omnes; non est qui faciat bonum, ne unus quidem. Guttur eorum est sepulcrum apertum; linguis suis utuntur ad dolum; viperarum virus est sub labris eorum; os eorum execratione et amarulentia plenum est; pedes eorum veloces sunt ad effundendum sanguinem; contritio et calamitas est in viis eorum, et viam pacis non noverunt. Non est timor Dei præ oculis eorum.* Jam verò novimus, quæcumque sacra Scriptura dicit, ea dicta esse primo loco in eos qui sunt legi Mosaicæ subjecti, hoc est, in Judæos; et sic quoque accusatoria illa verba, quæ modò adduximus, dicta sunt in Judæos; quod quidem factum est eo consilio ut ex æquo tam Judæis quam Gentilibus os obstruatur totusque mundus agnoscat se esse Deo ad pœnam obstrictum, propterea quod opera legis efficere nequeunt ut quis justus habeatur a Deo; nam lex qua talis non præstat nisi notitiam peccati.

Nunc autem, ex quo cœpit prædicari Evangelium, mundo manifestata est justitia quam in homine efficit Deus, quæque non obtinetur eo quòd quis aut habuerit legem aut legi paruerit; cui justitiæ testimonium reddunt sacrarum Scripturarum oracula. Manifestata est, inquam, justitia Dei, quam

per fidem Jesu Christo præstitam obtinere possunt quotquot fidem illi habeant cujuscumque sint nationis ; nullum enim hic discrimen est inter Judæos et Gentiles. Omnes enim peccaverunt, tam Judæi quam Gentiles, gloriâque illâ, quæ a Deo datur, carent ; justificantur autem non aliquo suo merito sed gratis, gratuitâ Dei bonitate per redemtionem illam quæ peracta est in persona Jesu Christi, quem Deus hominibus, qui fidem habere illi voluerint, in victimam ipsiusmet sanguinis effusione piacularem proposuit, idque ad ostendendam suam sanctitatem peccata exosam, eo quòd peccata ante patrata in sua longanimitate impunita reliquerat; ad ostendendam suam sanctitatem hoc nunc tempore, idque ut et ipse agnosceretur sanctus, et sanctificaret quotquot fidem Jesu Christo haberent.

Quæ quum ita sint, dic, o Judæe, ubinam manet jam tua gloriatio? Nempè exclusa est, nullusque illi amplius relictus est locus. Per quam verò legem exclusa est? Num per legem operum? Minime; sed per legem fidei. Censemus ergo, id quod res est, per fidem justificari hominem, nullâ operum Legis ratione habitâ. Aut num forte Deus est Judæorum tantum Deus? Nonne et Gentilium Deus est? Profectò, etiam Gentilium Deus est, quandoquidem unus est Deus, qui igitur per fidem justificabit tam Judæos quam Gentiles.

Ergò-ne Legem subvertimus, quia dicimus *per fidem* haberi justificationem? Absit! e contra Legem stabilimus. * Igitur, quidnam meriti quod attinet ad pro- Cap. iv.
merendam justificationem dicere possumus Abrahamum patrem nostrum consecutum fuisse secundum carnem? Nihil meriti hac ratione consecutus est, neque hac via fuit justificatus. Nam si ponas Abrahamum justificatum fuisse non gratis sed ex operibus suis, necesse sit ut dicas Abrahamum habere unde glorietur apud Deum; atqui non habet Abraham, Scripturâ teste, unde apud Deum glorietur. Ergo non ex operibus justificatus est. Quid enim dicit Scriptura? Dicit sic : *Credidit* Abraham *Deo, et hæc ejus fides a Deo* imputata *illi fuit ad justitiam.* Jam verò laboranti merces non imputatur ex gratia, sed rependitur ex debito. Illi autem (Abrahæ) non operanti sed *credenti* in eum qui justificat impium, fides imputatur ad justitiam; is ergò

gratis justificatur. Gratuitam esse justificationem David quoque docet, ubi beatum prædicat hominem, cui Deus justitiam imputat gratis nullâque operum ratione habitâ. Ait enim: *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, quorumque peccata sunt operta. Beatus ille, cui Deus peccatum non imputat.*

Illa igitur beatitatis prædicatio sive gratuita justificatio, de qua Propheta loquitur, num ad circumcisos tantùm pertinet, an verò etiam ad præputiatos? Animadvertite, quæso, de Abrahamo nos dicere, quod fides illi reputata fuerit ad justitiam. Qualis ergo erat Abraham, quum justificaretur? Erat-ne tum jam circumcisus, an verò adhuc præputiatus? Non erat jam tum circumcisus, sed adhuc præputiatus. Patet ergo justificationem sicut non pendet a ceteris legis operibus, ut probavimus, ita nec pendere a suscepta circumcisione. Ad quid ergo fuit circumcisus? Circumcisionis in carne sua suscepit signum, quod esset sigillum testimoniale justitiæ quæ ei adhuc præputiato contigerat per fidem, ut tamquam is qui esset per fidem justificatus adhuc habens præputium et deinde circumcisus fuit, hoc modo foret exemplar ac veluti Pater tam eorum omnium qui præputiati crederent (ut, inquam, sicut Abrahæ, ita et illis quoque si crederent justitia imputaretur), quam circumcisorum, eorum dico, qui non essent circumcisi tantùm verum etiam imitarentur fidem quam ille exhibuerat adhuc præputiatus. Neque enim ratione habitâ Mosaicæ legis sed justitiæ ex fide partæ facta est Abrahæ aut semini ejus promissio illa de spirituali dominatione ejus in omnes gentes extendendâ sive de beandis omnibus Gentibus in ipso: ergo promissionis illius effectus quum non pendeat a Lege sed a fide, ad omnes pertinet credentes, sive ex lege sint sive non, adeòque credentium omnium, Gentilium æque ac Judæorum, pater est Abraham. Et verò si promissa illa beatitas ad eos pertineat qui ex Lege sunt et quatenùs ex Lege sunt, jam eo ipso consequatur inutilem esse fidem et infructuosam ad eam beatitatem consequendam, atque etiam divinam illam promissionem Abrahæ factam habendam esse pro infecta. Nempe tantum abest ut Lex promissam illam beatitatem possit efficere, ut contra Dei iram afferat et maledictionem; idque ideo quia Lex occasio est violationis; nam sicut locum non habet violatio legis ubi nulla est lex, ita e contra ubi lex adest, ibi nec dëest legis violatio.

Quum ergo promissæ beatitatis participatio non pendeat a Lege, relinquitur ut pendeat a fide; idque Deus ita voluit in eum finem ut promissa illa beatitas contingeret non tamquam merces sed ex dono prorsus gratuito, atque ut rata firmaque esset universo ABRAHÆ semini, hoc est, credentibus quibuscumque, non illis tantum, inquam, quibus Lex data fuit, verum etiam illis qui imitarentur fidem ABRAHÆ, qui nostrûm omnium credentium parens est (sicut scriptum est : *constitui te patrem multarum gentium*) coram illo cui crediderat Deo, qui mortuos vivificat, et ea quæ non exstant, appellat quasi adsint. Qui (ABRAHAM), contra id quod per leges naturæ sperari poterat, sperans credidit fore ut fieret pater multarum Gentium, secundum id quod a Deo dictum illi fuerat : *Sicut stellarum innumerabilis est multitudo, sic progenies tua erit;* et ut erat fide robustissimus, non respiciebat, quamquam fere centenarius, suum ipsius corpus præ senio ad generandum impotens effectum aut emortuam SARÆ vulvam. De promissione autem Dei, non dubitavit incredulus, verum firma fuit fide, Dei omnipotentiam veneratus, quum esset ei plenissimè persuasum, Deum quæ promiserit etiam posse præstare. Talis ergo cum esset ejus fides, ideo hæc illi imputata fuit ad justitiam, ut in Scripturis legitur. Non est autem hoc ipsius tantum causâ scriptum, verum etiam nostrâ causâ, ut sciremus etiam nobis fidem nostram ad justitiam imputatum iri, si credamus in eum qui suscitavit a mortuis JESUM-CHRISTUM Dominum nostrum, qui a Deo Patre traditus fuit ut mortis supplicium subiret ad nostra expianda peccata, et revocatus fuit ad vitam ut nos justificaret.

Igitur, justificati per fidem, ut consequitur ex præmissa doctrina, haud amplius iræ Dei obnoxii sed cum eo reconciliati sumus per Dominum nostrum JESUM CHRISTUM, per quem nempe tamquam nostri reconciliatorem olim, cum Christiani facti sumus, per fidem obtinuimus gratuitum istud justificationis beneficium, quod nunc possidemus. Sed et lætabundi gloriamur de spe quam fovemus consequendi gloriam illam quam nobis filiis suis adoptivis Deus in æterna beatitudine præparavit. Non solum autem de illa spe lætamur, verum etiam de afflictionibus quas identidem patimur, quippe qui scimus quod afflictio patienter tolerata efficiat constantiam, constantiæ autem actus sæpè repetitus probatam Cap. V.

ostendat virtutem, probata autem virtus spem nobis adaugeat illius cœlestis gloriæ obtinendæ. Illa autem futuræ gloriæ spes non fallit; neque enim promissis suis defuturus est Deus, quippe cujus tantus est amor erga nos ut Spiritum sanctum suum in nos effuderit; nec pepercerit proprio suo Filio, qui, quum peccatores adhuc essemus, constituto tempore pro nobis impiis redimendis mortem est perpessus. Scilicet ægrè fiet ut quisquam pro viro aliquo probo mortem subire velit; nam pro benefactore suo mori forsitan quis denique sustineat. Exhibet autem nobis Deus suum erga nos amorem ut plane singularem per hoc, quòd CHRISTUM filium suum pro nobis mori voluit tunc, quum adhuc peccatores et injusti essemus. Igitur multo potius nunc postquam per ejus sanguinem effecti sumus justi, per eum servabimur a vindictâ in peccatores aliquando exercendâ. Nam si quo tempore Deo exosi eramus, reconciliati cum eo fuimus per propitiatoriam mortem filii ejus, multo magis per vitam ipsius salvabimur quippe jam cum eo reconciliati, et non solum cum eo reconciliati, verum etiam de eo, ut de Patre nostro, tamquam filii ejus adoptivi, gloriantes per Dominum nostrum JESUM CHRISTUM, per quem nunc illam cum Deo reconciliationem obtinuimus.

Quam ob rem sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum introivit, et per peccatum mors ... Atque ita factum est ut mors in omnes homines pertransierit, quia nempe per unum illum omnes peccaverunt. Nam illo temporis spatio quod fuit inde ab ADAMI peccato usque ad legislationem Mosaicam, homines peccata committebant. Jam verò peccatum non imputatur ad pœnam temporalem, quando non exstat lex quæ istiusmodi pœnam in peccantem constituat. Atqui toto illo temporis spatio, ab ADAMO usque ad MOYSEM, mors, quæ pœna peccati est, dominium suum exercuit in homines omnes, etiam in eos qui non peccaverant ad exemplum ADAMI, qui homo typus est hominis illius qui venturus erat, JESU CHRISTI.

Verùm non sicut se habet damnum quod humano generi fecit ADAMUS, ita quoque sese habet divinæ gratiæ donum quod hominibus obtingit per CHRISTUM. Non est, inquam, par utriusque ratio. Nam si, quod profi-

temur, per unius illius hominis lapsum tota hominum multitudo morti occubuit, culpaque illius in omnium nocumentum exuberavit, at multo abundantius Dei amor indeque profectum gratiæ beneficium erga omnes homines sese effudit per gratiam unius hominis, Jesu Christi; neque eâdem mensurâ nocuit Adamus quâ profuit Christus; verùm multo magis profuit hic quam nocuit ille; nam causa condemnationis nostræ exstitit unici peccati reatus; gratuitum verò illud donum efficax est in justificationem ex multis peccatis. Non est, inquam, par ratio doni et delicti; nam si, quod profitemur, unius illius hominis lapsu mors per illum unum regnavit, at illi qui in dies participant abundantiam divini amoris indeque profectum justitiæ donum, hi multo magis, destructâ morte, vitâ potiti regnabunt per unum illum Jesum Christum.

Itaque sicut unum peccatum hominibus omnibus cessit in condemnationem mortificam; ita quoque unum rectè factum hominibus omnibus cessit in justificationem quæ ad vitam æternam obtinendam perducat. Etenim sicut per unius hominis inobedientiam omnes ex eo nati homines constituti sunt peccatores, ita quoque per unius obedientiam omnes constituentur justi, quotquot ex illo uno per fidem renascantur. Mosaica autem lex insuper in in mundum introiit in eum finem ut illud naturæ peccatum per multiplices transgressiones redundaret. Sed postquam illud redundasset, copiosissime redundavit gratia; idque factum est in eum finem, ut, sicut peccatum illud regnasset inferendo mortem tam animæ quam corpori, ita quoquæ gratia regnaret per collatam hominibus justitiam, qua perducantur ad vitam obtinendam æternam.

Quæ cum ita sint, quid igitur inde conficiemus? Num maneamus peccato Cap. VI
addicti, ut nostri respectu gratia sit abundans? Absit ut hoc fiat! Nam quomodo peccato vivamus nos qui Christiani sumus, tales, inquam, qui jam mortui sunt peccato? Aut num ignoratis, nos, quotquot fuimus per baptismum Jesu Christo addicti sacratique, baptizatos fuisse ad moriendum cum

ipso ? Itaque per baptismum illum mortificantem sepulti sumus cum illo, idque in eum finem ut sicut CHRISTUS e mortuis suscitatus est per gloriosam potentiam Patris et Deo vivit, ita quoque nos e baptismi sepulcro ad novam vitam excitati in ea vitæ novitate vivere pergeremus. Nam si CHRISTO conformes facti sumus per similitudinem mortis ejus, profectò etiam per similitudinem resurrectionis et novæ vitæ ejus conformes illi esse volemus, quippe qui scimus hoc, scilicet veterem nostrum hominem unà cum CHRISTO affixum fuisse cruci ut destrueretur vetus illud corpus peccati in eum finem ut non ultra, sicut antea faciebamus, serviremus peccato. Et verò post mortem nemo peccat, liberatusque est a dominatu peccati.

Quod si per baptismum peccato mortui sumus cum CHRISTO, ut sumus re verâ, confidimus fore ut sicut CHRISTUS e mortuis resuscitatus, novam vivit vitam, ita et nos haud amplius peccato servientes novam cum CHRISTO etiam vitam agamus, quippe qui scimus CHRISTUM, quem vitâ nostrâ exprimere debemus, postquam e mortuis resuscitatus est, haud amplius mori, haud amplius mortem illi dominari; nam quam mortem mortuus est, peccato eam mortuus est semel, quam verò vivit vitam, Deo eam vivit. Atque ita vos quoque reputate vos tales esse qui mortui sint peccato, vivant autem in honorem et gloriam Dei.

Cavete ergo ne Peccatum dominium exerceat in mortali vestro corpore ita ut pravis hujus cupiditatibus obediatis; neque committatis ut membra vestra in ministerium exhibeatis Peccato tamquam instrumenta ad patrandam iniquitatem; sed contrà, totos Deo vos exhibete sicut facere decet homines qui mortui cum essent, divinitùs resuscitati sunt ad novam vitam; et membra vestra Deo exhibeantur tamquam totidem instrumenta ad præstanda opera justitiæ. Neque enim metuendum est ne Peccatum in vos tinaridem suam exerceat; non enim sub Lege jam estis sed sub gratia.

Quid inde ? ergo-ne peccemus quandoquidem non sumus sub Lege sed sub gratia ? Absit ut quis vestrûm ita sentiat ! Mutata servitus est, non ablata.

Aut num forte ignoratis, cui servos ad obediendum adstrictos vos præbeatis, illius cui obeditis revera vos esse servos, servos, inquam, aut Peccati, cujus servitus ducit ad mortem, aut obedientiæ, cujus servitus ducit ad justitiam? At verò, gratiæ habeantur Deo, quòd cum essetis servi Peccati, sincere et ex animo obedientiam præstiteritis doctrinæ evangelicæ in quam traditi estis, liberati autem a servitute Peccati, redacti fuistis in servitutem Justitiæ.

Quod dico *redacti fuistis in servitutem justitiæ*, similitudine e rebus humanis ductâ utor propter imbecillitatem vestram. Sicut olim, inquam, membra vestra fecistis servire impuritati ad improba quævis perpetranda, ita nunc membra vestra facite servire Justitiæ ad sanctificationem vestram. Nam quo tempore servi eratis Peccati, Justitiæ jugum non subibatis; quare vicissim neque nunc cum servi Justitiæ facti sitis, Peccati jugum vobis subeundum est. Quemnam igitur fructum habebatis tunc ex iis rebus de quibus si cogitetis, nunc erubescitis? Nullum sane; nam istæ res tandem perducunt ad mortem æternam. Nunc verò cum liberati estis a jugo Peccati, Deo autem in servitutem mancipati, habetis fructum, vestram, inquam, sanctificationem, quæ tandem perducit ad vitam æternam. Nam stipendium quod Peccatum servis suis solvit, mors est æterna; donum verò quod servis suis largitur Deus, æterna vita est, in CHRISTO JESU Domino nostro.

Scitis profectò, fratres, eos enim alloquor qui Legem Mosaicam cognoscunt, Cap VII. quod Lex in hominem dominetur quamdiu ille vivit. Etenim, ut hoc exemplo utar, Lex præcipit ut maritata mulier adstricta maneat viro suo quamdiu is vixerit; eo verò mortuo, mulier soluta est a lege quæ eam marito suo ligabat. Proinde si, vivente marito, alteri viro nupserit, adultera erit; si verò mortuus fuerit vir ejus, a lege conjugii libera est, ita ut non sit adultera si nupserit alteri. Itaque, fratres, sicut istiusmodi mulier per mortem mariti soluta sit lege connubii, ita vos quoque, ut qui occisi estis secundum veterem hominem per occisum corpus CHRISTI quocum fuistis crucifixi, vos quoque, inquam, pariter facti estis liberi a dominio Legis; quod quidem factum est in eum finem, ut per mysticam illam mortem vestram soluti a connubio cum Lege, alteri

viro, illi, inquam, qui ex mortuis resurrexit, nuberetis, idque ut ex hac conjunctione fructum ferretis Deo. Nempe cum adhuc essemus in statu veteris et carnalis hominis, appetitus ad peccandum inducentes qui per legem in nobis excitabantur, vim suam in membris nostris exserebant eo eventu ut, peccantibus nobis, ipsi fructum ferrent Morti. Nunc verò liberati sumus a Lege illa mortifera sub cujus dominatu antehac detinebamur, ita ut jam serviamus, servitutem non illam veteris hominis sub Lege constituti, quæ servitus præstabatur Peccato, sed eam servitutem, quæ novi hominis est sub gratia constituti, quæ servitus præstatur Deo.

Hæc cum ita sint, quid igitur inde colligemus? Num dicamus Legem esse causam peccatorum? Absit! Verùm per Legem experientiâ cognovi innatam mihi concupiscentiam malam; etenim actualem concupiscentiam malam, ex qua innatam illam cognovi, expertus non essem, si Lex illam non prohiberet. Nacta autem occasionem incitantem ad vim suam exserendam innata mihi concupiscentia, per præceptum de non concupiscendo in me protulit omnigenam concupiscentiam actualem. Nam ubi lex positiva non adest, ibi innata concupiscentia, quum non habeat quo excitetur, vim suam non exserit ac veluti mortua jacet. Ego, inquam, aliquando vitam agebam necdum latâ Lege; eoque tempore innata mihi concupiscentia iners ac veluti mortua jacebat; sed cum advenisset præceptum de non concupiscendo, tum vim suam exserere illa cœpit; ibi autem ego secundum animam mortuus sum; et comperi, Legem, quæ data erat ad animæ vitam et salutem, ipsam hanc mihi fuisse mortiferam. Nam innata illa mihi concupiscentia, cum nacta esset occasionem eam incitantem ad vim suam exserendam, per præceptum de non concupiscendo operata in me concupiscentiam actualem me seduxit, trahendo voluntatem ad consensum, meque ita per præceptum occidit. Quum ergo Lex homini data fuerit ut vitam haberet, innata autem illa concupiscentia mala ipsum occasione Legis in peccata impulerit, profectò consequitur, Legi nihil esse cum peccato commune, sed eam esse sanctam, et præceptum ejus esse sanctum et justum et bonum. Ergo-ne id quod per se bonum est, mihi causa fuit mortis? Absit! verùm

innata mihi concupiscentia mala, hæc demùm causa mortis mihi fuit; factumque hoc est in eum finem ut illa concupiscentia mala adhuc latens sic manifesta fieret et cognosceretur tamquam peccatrix, quippe quæ per ipsum id quod bonum est mortem mihi intulisset, ut, inquam, tamquam insigniter peccatrix manifesta illa fieret per præceptum. Et verò scimus omnes, Legem non humanæ esse originis sed divinæ; ast ego malos sensùum appetitus sequor, atque instar venumdati mancipii subjectus sum innatæ mihi concupiscentiæ malæ. Etenim quæ perpetro opera, non intelligo; nam bonum quod facere volo non facio, sed contrà facio malum quod facere nolo. Quod si facio malum quod velim non facere, profectò eo ipso consentio Legi bonam se esse prædicanti, eamque bonam esse profiteor. Sic verò non ego malum illud facio, sed facit illud habitans in me Peccatum sive innata mihi concupiscentia mala, cui instar venumdati mancipii subjectus sum. Etenim experientiâ edoctus scio, non esse in me, hoc est, in parte mei animali, inclinationem ad bonum; nam velle bonum in promptu quidem mihi est, non verò itidem perficere illud quod velim bonum; bonum enim quod facere velim, non facio, sed e contra facio malum, quod facere nolim. Quod si malum, quod facere nolim, facio tamen, jam non EGO malum illud facio, sed facit illud habitans in me Peccatum.

Invenio igitur mihi bonum facere volenti positam hanc veluti legem, ut mihi in promptu sit facere malum, ut sim, inquam, pronus in malum, hùc propendam, hùc procliner: nam delectatur lege Dei mens mea et mihi dictat eam esse observandam; verùm experior adesse in membris meis aliud dictamen quod se opponit adversaturque dictamini mentis meæ, et servire me facit dictamini malæ concupiscentiæ quod est in membris meis. O me miserum hominem! Quis me eripiet e captivitate corporis quod istam mortem mihi infert! Gratias ago Deo quòd ex hac captivitate per merita JESU CHRISTI Domini nostri me eripuit. Itaque ipse ego mente meâ servio legi Dei, carne autem legi Peccati.

Nihil ergo nunc damnationis reliquum est iis qui CHRISTO sunt incorporati; Cap. VIII.
nam Spiritus sanctus vivificator me per CHRISTUM JESUM liberavit a tyrannide

Peccati et Mortis. Nam Deus Filium suum in assumpta carne carni nostræ peccatrici simili in mundum mittendo idque ob Peccatum, damnavit Peccatum, dominium ejus abolendo in carne; quæ res effici non poterat a Lege, quippe quæ imbecillis erat per carnem rationi rebellem. In eum autem finem Deus Peccati dominium abolevit in carne, ut Legis mandatorum adimpletio fieret in nobis, qui vitam instituimus non secundum dictamen carnis sed secundum dictamen spiritûs. Nam carnales qui sunt, ea cogitant, amant, curant, quæ vult Caro; spirituales verò iis student quæ cupit mens directa a Spiritu sancto, quum sciant studia et desideria Carnis æternam afferre mortem, studia verò Spiritûs vitam æternam et pacem cum Deo; et ratio est, quia studia Carnis inimicitiæ sunt cum Deo; (nam rebellat illa contra Deum nec legibus ejus sese subjicit; neque enim se subjicere illis potest, quum in opposita tendant Carnis studia et leges divinæ); carnales, inquam, qui sunt, Deo placere non possunt.

Vos autem non estis homines carnales sed spirituales, si tamen Spiritus sanctus, quem in Baptismo accepistis, etiamnum in vobis permaneat. Si quis autem Spiritum sanctum, qui Spiritus Christi est, non habet in se inhabitantem, næ, ad Christum hic non pertinet; carnalis is est, non spiritualis. Si autem Christus est in vobis per Spiritum suum, obnoxium quidem morti est corpus vestrum propter originale peccatum, anima autem vestra vivens est propter gratiam justificationis a Spiritu sancto vobis impertitam. Quod si Spiritus illius qui a mortuis suscitavit Jesum habitat in vobis, ipse ille Pater æternus qui Jesum Christum, caput vestrum, a mortuis excitavit, aliquando mortalia quoque corpora vestra vivificabit, idque propter inhabitantem in vobis Spiritum Christi.

Ergo, fratres, debitores sumus Spiritui sancto ut ad ejus instinctum vitam instituere debeamus; non verò debitores sumus Carni, ut huic nobis præstanda servitus sit. Nam si vivitis obsequentes pravis Carnis concupiscentiis, moriemini morte æternâ; contrà, si per Spiritum malas actiones, ad quas Caro impellit, inhibetis, vitam vivetis æternùm beatam. Nam quicumque ab inhabitante in

ipsis Spiritu sancto aguntur, hi sunt filii Dei, ut estis vos. Neque enim, quem in Baptismo Spiritum accepistis, talis est qui vos, sicut olim Mosaica Lex Judæos, servos effecerit ut iterum servili animo legislatorem Deum timeretis; sed accepistis Spiritum qui nos effecit adoptivos Dei filios, quo Spiritu nos agente, magno animi affectu Deum compellamus Patrem nostrum. Ipse ille Spiritus affectuosâ illâ compellatione unà cum spiritu nostro contestatur, nos esse filios Dei. Quod si filii sumus, utique et hæredes aliquando erimus; hæredes, inquam, Dei, cohæredes autem Christi; si tamen cum Christo patimur, quo fiet ut et cum ipso glorificemur.

Nec grave hoc nobis videatur. Sic enim existimo: ea quæ in præsenti sæculo patimur mala, nullius esse ponderis, si comparantur cum pondere gloriæ in futuro sæculo in nos conferendæ. Quæ quam certò conferenda sit vel ex eo patet, quod illam filiorum Dei glorificationem irrationalis creatura constanter exspectat. Fragilitati enim hæc se subjecit non sua sponte, sed ut Dei eam subjicientis obsequeretur voluntati, hanc interim divinitùs spem habens, fore scilicet ut ipsa quoque liberetur a servitute corruptionis ab eaque servitute transeat ad libertatem gloriosæ incorruptionis filiorum Dei. Et verò novimus omnes, irrationalem creaturam universam inde a lapsu proto-parentis ad præsens usque tempus continuò ingemiscere ac veluti parturire ut liberetur ab onere istius servitutis. Non solum autem universa irrationalis creatura gemebundè hoc exspectat, sed ipsi quoque nos regenerati, quamquam Spiritûs sancti prima dona jam habentes, ipsi quoque in cordis nostri penetralibus ingemiscimus, quippe qui ardenter exspectamus adoptionem nostram perfectam, id est, liberationem corporis nostri a servitute corruptionis. Hanc, inquam, *exspectamus*. Nam adhuc non jam ipsâ *re* sed *spe* tantum perfectam illam salutem obtinemus. Atqui spes non est rei præsentis sed futuræ; nam quod quis jam obtinet, cur illud porrò speret? Si autem verum est, ut est verissimum, nos, quam nondum tenemus rem, sperare tamen, profectò consequitur nos patienter eam exspectare. Sicut autem nostrum est patientiâ uti, ita vicissim Spiritus sanctus infirmitatem nostram adjuvat.

Nam in ærumnis positi quid divinæ voluntati convenienter petere debeamus, nos nescimus; sed ipse Spiritus sanctus nostri vice Deum orat per tacita suspiria quibus ingemiscere nos facit. Scrutator autem cordium Deus desiderium illud, quo Spiritus sanctus gemere facit gementem, novit atque probat, quia nempe id quod Spiritus sanctus pro regeneratis a Deo petit tale est, ut conveniat divino beneplacito.

Ad hæc, notum nobis est, omnia ad salutem prodesse veris Christianis, utpote talibus quos Deus non ob eorum merita, verùm ex æterno misericordiæ et amoris sui decreto ad hanc gratiam elegit; quos ergo non est deserturus, ut deinceps salutem eorum non procuret; proinde quæ illis inferuntur mala, quum hoc sine ejus permissu fieri nequeat, eisdem non nisi adminicula salutis esse poterunt; et quam incœpit in illis salutem, illam et perficiet. Nam quos ab æterno præscivit futuros esse tales qui gratuitò vocati deinceps sui forent eumque diligerent, illos quoque ab æterno prædestinavit ad consortium gloriæ Filii sui, eo fine ut is haberet multos fratres gloriæ suæ cohæredes, inter quos ipse primatum teneret. Quos autem Deus ad illud gloriæ consortium ab æterno prædestinavit, illos quoque in tempore vocavit, et quos vocavit, illis quoque justificavit; quos autem justificavit illos quoque glorificavit. Hanc ergo Dei curam de nobis considerantes nonne profiteri debemus Deum nos tueri? Quod si hoc, quid-ni saluti nostræ prosint afflictiones, persecutiones, quæcumque denique mala? nam quis aut quid tandem nocere nobis poterit, si Deus est pro nobis? Is qui proprio suo Filio non pepercit, sed pro nostrâ omnium expiatione victimam piacularem in mortem tradidit, quid-ni is etiam, unà cum Filio nobis donaturus sit omnia quæ ad perficiendam salutem nostram nobis sunt necessaria? Ecquis accusationem instituet adversus electos Dei? Num forte hoc faciat Deus eorumdem justificator? Ecquis est qui electos Dei condemnet? Num forte hoc faciat Jesus Christus, qui pro nobis electis mortuus est, imo vero etiam resurrexit, qui etiam sedet ad dexteram Dei, qui etiam deprecatur ibi pro nobis? Quis nos divellere poterit ab amore Christi? Num afflictio? Num angustiæ? Num persecutio? Num fames? Num nuditas? Num periculum? Num gladius? ita ut fiat in nobis sicut scriptum est:

Propter te interficimur tota die; reputamur pro ovibus mactationi destinatis. At enimverò in his omnibus egregie victores sumus per auxilium nobis latum ab eo qui nos delexit. Certus enim sum, neque mortem, neque vitam, neque ullam vim angelicam, neque præsentia, neque futura, neque sublimia, neque infima, neque aliam quamvis rem creatam divellere nos posse justificatos ab amore Dei nobis exhibito in JESU CHRISTO salutis nostræ mediatore.

Veritatem dico CHRISTO unitus, non mentior, rem unâ mecum attestante Cap. IX.
meâ sub ductu Spiritûs sancti conscientiâ: magnâ me affici tristitiâ et animum meum in continuo esse dolore. Optarem enim, si hoc modo saluti eorum consulere possem, æterno exitio a CHRISTO separari pro salute fratrum meorum, cognatorum, inquam, meorum secundum carnem; quippe qui Israëlitæ sunt, ii, quos Deus præ aliis gentibus sibi in filios adoptavit, quos sensibili sua præsentia dignatus est, cum quibus pacta iniit, quibus legem dedit, et religiosum præscripsit cultum, et MESSIAM promisit; qui progenitores habent Patriarchas ABRAHAMUM, ISAACUM et JACOBUM; denique, ex quibus ortus est CHRISTUS secundum humanam naturam, qui Deus est super omnia, laudandus in æternum. Amen.

Quamquam verò lugeo tot Israëlitarum a Messiana salute exclusionem, nequaquam tamen dixerim irritas factas fuisse promissiones Dei de beandis Abrahamidis per MESSIAM. Neque enim omnes qui carnali propagatione ex ISRAËLE orti sunt, jam eo ipso Israëlitæ sunt tales ad quos Dei illæ promissiones pertineant. Neque omnes qui ex semine ABRAHÆ nati erant pro filiis ejus fuêre habiti, sed solus ISAAC, dicente Deo ABRAHÆ: *Isaac filius et heres tuus erit.* Qua re gestâ typicè significabatur, pro Dei filiis censeri non eos, quos naturalis vis generandi procreasset, sed qui filii essent promissionis, hoc est qui supernaturali divinæ gratiæ virtute nascerentur. Nam divinitùs promissus fuit ISAAC parentibus ad generandum ineptis hoc sermone: *Ipso hoc tempore post annum revolutum redibo, et erit* SARÆ *filius.*

Non solum verò SARÆ filius typicè hoc docuit, sed docuit etiam RE-

BECCA, cum ex uno ISAACO patre nostro concepisset. Nam pueris nondum natis adeoque nec boni aut mali quidquam operatis, ut immobile esse cognosceretur Dei secundum electionem factum propositum, factum, inquam, non propter opera sed gratuitò, ideò REBECCÆ divinitùs dictum fuit: *Major natu serviet minori*; sicut de hæc JACOBI præ ESAVO prælatione scriptum est apud MALACHIAM: JACOB *dilexi*, ESAU *autem odio habui.*

Quid igitur inde colligemus? Num putemus, injustum esse Deum in hac agendi ratione? Absit! Ipse enim MOYSI dicit: *Beneficia mea nemini debeo; benignum me præsto cui volo, et cujus misereri volo, ejus misereor.* Itaque Dei gratiam consequi non pendet ab humano desiderio aut studio, verùm ex libero beneplacito miserentis Dei. Nam, ut ab exemplo negatæ gratiæ rem confirmem, PHARAONI Deus dicit: *Hoc fine incitavi te ad mihi resistendum, ut ostenderem in te potentiam meam et prædicaretur nomen meum in universa terra.* Ergo, unius miseretur, alterum reddit pervicacem, pro suo beneplacito; neque ulla est in hac agendi ratione injustitia.

Ad id quod dixi, *pervicaces reddit quos vult*, mihi ergo ita repones: *Quum ipse Deus illos reddat pervicaces, cur idem adhuc eosdem reprehendit? Pervicaciam istorum sibi imputet, non ipsis! nam voluntati ejus quis resistere potest?* Imo verò, O homuncule, quin tu mihi dicito, tu quis tandem es, qui responsas Deo? quum tantillus tu sis, pudeat te obloqui Deo conditori tuo! Numquid licebit vasi fictili fictori suo dicere: cur mihi hanc dedisti formam? Aut num forte potestatem non habet figulus in terram figlinam ut non liceat illi ex eadem luti massa fingere aliud quidem vas in usus honestos, aliud verò in sordidos? Quid verò iniqui sit in hoc, quod Deus vasa iram suam merita utque talia ad interitum parata, multâ longanimitate tulit, tandem verò confregit, volens hac agendi ratione hinc quidem ostendere vindicativam suam justitiam notamque facere suam potentiam, illinc verò manifestare eximiam suam benignitatem erga vasa misericordiam suam experta, quæ per hoc præparavit ad consequendam salutem æternam; quæ vasa misericordiæ sumus nos, quos ut per justificationis gratiam ad gloriam præparavit, ita

etiam ad fidem vocavit tam ex Judæis quam ex Gentibus. Et Gentiles quidem Messianam salutem participaturos esse, olim prædictum erat ab Hosea, in cujus vaticinio Deus sic fatur : *Vocabo non populum meum, populum meum; et non dilectam, dilectam*; *et misericordiam non consecutam, misericordiam consecutam; futurumque est ut ubi prius dicebatur, vos non estis populus meus, ibi vocentur filii Dei.* Prædicta autem fuit et Judæorum plerorumque a Messiana salute exclusio ab Isaia ita vaticinante : *Etsi populus tuus Israël*, inquit, *numerosus esset sicut arena in littore maris, attamen pauci tantum ad Deum convertentur. Excidium decisum instar aquarum inundantium inferet justitiam vindicativam; nam excidium et decretam pœnam Dominus exercebit in universa terra Judæorum. Nisi Dominus Deus exercitûum reliquisset nobis sementem, sicut Sodoma et Gomorrha penitus periissemus.*

Quum hæc ita habeant, quid igitur ad ea dicendum est ? Omnino dicendum est id quod res est, scilicet, quod Gentiles, qui minimè studebant assequendæ justitiæ, justitiam sunt adepti, eam, inquam, justitiam, quam Deus gratuito efficit in credente; Israëlitæ autem dum student assequi justitiam, justitiam non sunt adepti. Et quare hoc ? Quia studuerunt eam sibi comparare non ex fide, sed ita quasi ea ex præstitis operibus Legis haberi potuisset. Non ex fide, inquam, justitiam sibi comparare studuerunt; etenim in Christum tamquam in offendiculi lapidem increduli impegerunt ; quæ eorum offensatio olim prædicta fuerat hisce verbis : *Ecce pono in Sione lapidem in quem impingent, et petram in quam incurrent*; *quicumque vero in illum crediderit, non erubescet.*

Fratres, cordis mei desiderium meæque pro popularibus meis preces sunt ut Cap. x. Messianam salutem participent. Nam hoc bonum illis do testimonium : ducuntur illi zelo observandæ legis divinæ : at verò non intelligenter illo zelo ducuntur. Nam dum ignorant modum quo ex Dei instituto perveniri debeat ad statum justitiæ, illi suo modo eò pervenire quærunt, atque ita fit ut Dei instituto non sint subjecti. *Finis enim legis est* Christus *ad justitiam cuivis credenti.* Moyses enim de justitia ex lege consequenda scribit : *Qui fecerit mandata Dei, per eorum observationem vitam obtinebit.* Sed justitia fidei sic apud eum loquitur :

Noli incredulus cogitare: quis adscendere potest in cœlum (puta ad CHRISTUM inde in terram deducendum;) *aut, quis potest descendere in abyssum?* (puta, ad CHRISTUM inde a mortuis revocandum). Sed quid dicit justitia fidei? Sic dicit: *Res prope tibi adest, scilicet in ore tuo est et in corde tuo.* Res autem illa est fides quam prædicamus ut necessariam ad justitiam consequendam; quia si ore tuo professus fueris JESUM esse filium Dei, et corde tuo credideris quod Deus illum suscitaverit a mortuis, salvus eris. Etenim per fidem cordis acquirimus justitiam et per professionem oris salutem. Dicit enim Scriptura: *Quicumque in illum crediderit, speratam salutem consequetur.* Neque enim est ibi inter Judæos et Gentiles discrimen; oblata salus est ex æquo omnibus; nam unus idemque est omnium hominum, Judæorum æque ac Gentilium, salvator atque Dominus, qui gratiæ suæ divitias effundit in omnes qui JESUM Messiam invocant. Nam teste JOËLE, *quicumque nomen Domini* JESU *invocaverit, salutem consequetur.* Quum ergo salus pendeat ab invocando JESU Messia, quomodo, inquam, invocare queant eum cui non crediderunt? Aut quomodo credant illi, de quo non audierunt? Quomodo autem de illo audiant, nisi sit qui prædicando illum annuntiet? Quomodo verò præconem quis agat, nisi divinitus ad hoc officium mittatur? De qua missione vaticinatus est ISAIAS, cum diceret: *Quam gratus est adventus evangelizantium salutem et pacem!* et sanè, apparuêre, sicut prædictum erat, divini illi præcones; sed non nisi pauci fidem adhibuêre Evangelio quod prædicabant: evenitque ibi quod olim fuerat prædictum ab ISAIA exclamante, *Domine, quam pauci sunt qui fidem adhibuêre prædicationi nostræ!* Ergo fides nascitur ex prædicatione, prædicatio autem instituitur ex mandato Dei.

Ast heic ego dico: Numquid forte defuêre Judæis Evangelii prædicatores, quo factum sit ut de doctrina saluti non inaudierint? Imo verò, vox præconum Evangelii per universum terrarum orbem personuit, et verba eorum penetrarunt ad terminos usque terræ. At dico: Numquid forte Judæos latuit Gentiles quoque ad Messianam salutem esse vocandos? Nequaquam. Prædicta erat res. Primum MOYSES dicit: *Zelotypiam vestram concitabo propter gentem gentis, nomine indignam; propter gentem veræ religionis ignaram ad iram vos commovebo.*

ISAIAS autem nihil veritus suorum popularium offensionem de Gentilium ad Messianam salutem admissione aperte sic loquitur : *Inventus sum ab eis qui hactenus non quærebant me; manifestus factus sum illis qui hactenus non interrogabant me.* De Israëlitis autem dicit : *Continuè expansis brachiis illos ut ad me venirent invitavi; verùm illi contumaces ad me venire negarunt.*

Quæro igitur : Quum talia de Judæis et Gentilibus vaticinatus sit ISAIAS , Cap. XI. numquid Deus forte a se repulit populum suum , quem in peculiarem gentem suam olim sibi elegerat ? Absit ! Et verò etiam ego, Messianæ salutis ipse præco , ego quoque Israëlita sum , ABRAHÆ semine procreatus , pertinens ad tribum Benjaminiticam. Non repulit , inquam , Deus populum suum , quem ab æterno in populum suum peculiarem sibi elegit. Profectò non fugit vos quod legitur eo Scripturæ loco ubi de ELIA sermo est , quomodo ibi Israëlitas apud Deum accuset : *Domine*, inquit , *prophetas tuos occiderunt , altaria tua diruerunt , solus prophetarum tuorum relictus sum ego , et me quoque occidere quærunt.* Sed quid divinitùs responsum est ELIÆ ? *Servavi mihi septem millia virorum , qui non curvarunt genua coram Baal.* Igitur quemadmodum ELIÆ illâ ætate supererant qui a cultu JEHOVÆ non defecissent , ita et nunc temporis pauci aliqui Dei gratiâ Messianam participarunt salutem. Quod si tribuendum hoc est gratiæ beneficio , profectò non est acceptum referendum operibus ; alioquin gratia non verè rectèque gratia appellari possit.

Quid igitur dicendum est? Nam , ut ostendimus, dici nequit Deum repulisse populum suum. Dicendum est , Israëlitas, maximam partem , quam cupide quærebant justitiam non fuisse consecutos ; electos eamdem fuisse consecutos , reliquos verò fuisse obcæcatos , sicut erat prædictum hisce verbis : *Dedit illis Deus mentem stupore oppressam , oculos cæcos , aures surdas , usque in præsentem diem.* DAVID quoque hoc prædixerat : *Fiant ipsis* ; inquit , *epulæ eorum laqueus et tendicula et decipulum , atque hoc illis contingat in justam pœnam , in retributionem ; dorsumque eorum perpetuò incurva.*

Quæro igitur : Fuit-ne lapsus illorum eo consilio divinitùs permissus ut pe-

nitùs corruerent sine ulla spe resurgendi ? Absit ! imo verò illorum lapsu Evangelica salus obtigit Gentilibus, ut per hos ad sanctam quamdam æmulationem provocarentur atque ita ab incredulitate sua resipiscerent. Quod si Israëlitici populi lapsus et secuta inde spiritualis sui deminutio Gentes locupletavit, quanto magis hi locupletabuntur quando populus universus Christo nomen dederit! (Nam vobis Christianis ex Gentilibus collectis, quibus videri possim, utpote constitutus non Judæorum sed Gentium Apostolus, animum in Judæorum conversione minime occupatum habere, vobis dico : Quatenus quidem divinitùs constitutus sum ego non Judæorum sed gentium Apostolus, gnaviter officio meo fungor inter gentes, simul verò eò spectans ut hac ratione prosim Judæis popularibus meis, si forte ob Gentiles meo ministerio Messianæ salutis participes factos, ad sanctam quamdam æmulationem provocare possim fratres meos secundum carnem, atque ita nonnullorum procurare salutem. Et verò quum illorum rejectio occasionem dederit ut Gentiles cum Deo reconciliarentur, profectò in maximam quamdam felicitatem spiritualem Gentilibus cessura est illorum assumptio. Cui quidem assumptioni nihil obstat; neque enim populus Israëliticus qua talis a Deo rejectus fuit; imo contra; est populus Israëliticus Deo in patribus suis in perpetuum sacratus; quemadmodum sacrata massa est in sacratis primitiis, aut sacrati sunt rami in radice sacrata.

Quod si ex olivæ ramis aliqui defracti sunt, tu verò, o Gentilis, cum oleastri surculus esses, olivæ insitus fuisti in defractorum ramorum loco atque ita, unà cum superstitibus ramis olivæ, radicem ejus et pinguedinem participasti, neutiquam tamen est cur ideò superbè te efferas ac miseris Judæis insultes. Quod si facias, turpiter feceris. Et verò non tu radicem portas, sed radix portat te. Sed ad hæc mihi repones : Defracti sunt rami aliquot ut ego olivæ insererer ! Concedo, Gentiles olivæ insitos fuisse in defractorum ramorum loco; sed hi non ideò fuêre defracti ut tu inserêris, sed ob illorum incredulitatem, tu verò per fidem nunc consistis ramus in oliva. Cave vero ne ideo superbias, sed time potius ne quando et tu incredulitatis pœnam contrahas. Etenim si naturalibus ramis Deus non pepercit, quanto minus parciturus est

insititiis ! Igitur diligenter considera, hinc quidem Dei benignitatem, illinc verò ejusdem severitatem : in eos qui ceciderunt versa est Dei severitas, in te verò ejusdem benignitas, si tamen permanere volueris in eo ad quod Dei benignitas te gratuito vocavit ; nam si non permanseris, tu quoque excideris ab oliva, sicut jam ab eâdem defracti sunt illi. Sed et, sicut tu non ita olivæ insitus es ut non possis tuâ culpâ ab eadem defringi, ita vicissim illi, si ab incredulitate sua resipiscere voluerint, olivæ denuò inserentur. Et verò quid-ni Deus hoc facere possit ? Nam si olivæ inserere potuit alienæ arboris ramos, quanto magis defractos ab ipsa oliva ramos eidem rursus inseverit !

Nam, ut ne vestro judicio sapere vobis videamini dum Judæos contemnitis tanquam Christianæ salutis incapaces, edocere vos volo divinæ Providentiæ arcanum hoc : quod scilicet populum Israëliticum partem aliquam occupaverit excæcatio duratura ad illud usque tempus quo gentium universitas in ecclesiam intraverit, et quod ita futurum sit ut populus Israëliticus universus Messianam salutem participet, sicut scriptum est in vaticinio Isaiæ Prophetæ : *Ex Sione venturus est redemptor et avertet peccata a gente Jacobœa ; atque hoc meum erit cum illis pactum, cum abstulero peccata eorum.* Israëlitica gens ratione quidem habitâ Evangelii, cui obedire recusavit, Deo est exosa ; id quod in vestrum bonum cessit, o Gentiles ! ratione verò habitâ electionis illius qua Deus illam Gentem in populum suum peculiarem sibi elegit, perpetuò illi cara est propter eorum progenitores, ut quibus promisit se fore Deum seminis eorum. Nequit enim Deum pœnitere suorum beneficiorum. Scilicet quemadmodum vos, o Gentiles, olim non obedivistis Deo, nunc vero misericordiam consecuti estis per illorum inobedientiam, ita quoque illi nunc non obediverunt Deo, ut per misericordiam vobis impartitam etiam ipsi misericordiam consequantur, vestro provocati exemplo resipiscentes, atque ita haud amplius indignos sese præbentes qui a Deo recipiantur. Nam omnes, tam Judæos quam Gentiles, inobedientiæ culpam contrahere Deus passus est eo consilio, ut misericordiam suam omnibus adhiberet. O copiosissimas divinæ misericordiæ divitias ! O recon-

ditam Dei sapientiam et scientiam! Quam sunt homini imperscrutabilia Dei decreta, quam investigabilia ejus consilia! Nemo enim cognovit Dei cogitationes, nemo consiliarius illi adfuit quum decreta sua caperet; nec quisquam hominum est qui Deo aliquid donare possit ita ut Deus illi rependere debeat; neque enim quidquam est quod ab eo non pendeat, et ipsius sunt prorsus omnia. Ipsi debetur gloria in omne ævum. Amen.

Cap. XII. Quum ergo talis tantaque fuerit Dei erga vos misericordia, per ipsam illam misericordiam vobis impartitam exhortor vos, fratres, ut ne ingrati sitis, sed in grati animi testimonium illi offeratis corpora vestra in victimam vivam eamque incontaminatam, adeoque Deo gratam atque acceptam; qua in re constat spiritualis ille cultus vester religiosus; et mores exprimite non qui similes sint moribus hominum mundanorum sed tales qui conveniant illi mentis innovationi, quæ in Baptismo vobis obtigit; quare intenti estote exquirendo et perficiendo id quod velit Deus, id quod bonum et illi gratum et perfectum sit. Jubeo nempe per auctoritatem Apostolicam divinitùs mihi concessam, idque, nullo discrimine, unicuique ex cœtu vestro, ut nemo vestrûm sit immodicus sui æstimator, plus æquo sibi arrogans, sed ut de se sentiat ita ut sane et juste de se existimet, seque contineat intra fines doni et officii, quod Deus illi concesserit. Nam quemadmodum in uno nostro humano corpore multa habemus membra, varia autem illa membra non habent officium omnia idem; ita quoque nos Christiani, qui multi sumus, unum efficimus mysticum quoddam corpus in CHRISTO, singuli autem sumus alter alterius membra; alter alterius operâ indigemus, nec possumus singuli omnia. Quum autem habeamus charismata pro vario Dei favore varia, si prophetiæ donum habeamus, utamur illo dono secundum mensuram scientiæ divinitùs nobis concessæ. Si quod diaconium nobis obtigerit, in eo simus toti. Si docendi gratiam quis obtinuerit, doceat; si exhortandi, exhortetur. Qui de suo erogat in pauperes, sincero hoc faciat animo. Qui aliis præest, diligenter hoc agat. Cui commissa est cura miserorum, hilari animo hoc officio fungatur. Sit amor in proximum sincerus minimeque fucatus. Quod malum est aversemini, bono adhærescite. Ad fraternam charitatem quod

attinet, tenerrimo amore invicem vos prosequamini; in præstanda mutua observantia, unus alterum præveniat. In studio christianæ pietatis minime segnes sitis, sed contra animo ferventes, memores non hominis cujuspiam sed Christi servos vos esse. Ob spem futuræ retributionis gaudentes estote, in rebus afflictis constantes, piis precationibus assiduè vacantes. Fratrum vestrorum egestati de vestris facultatibus succurrite; hospitalitatem erga Christianos peregrinantes diligenter exercete. Beneprecamini iis qui vos vexant, beneprecamini, inquam illis, et nolite mala illis imprecari. Fratrum vestrorum res, sive prosperas sive adversas, veluti vestras reputetis; de his verè doleatis, de illis ex animo gaudeatis. Estote eodem animi sensu erga vos invicem affecti, æquali amore invicem vos amantes. Alta et excelsa, talia, inquam, quibus super alios emineatis, nolite appetere, sed, minimè ambitiosi, ea quæ humilia sunt ne dedignemini. Neque videamini vobis eatenus sapere ut putetis aliorum prudentiâ et monitis facile carere vos posse. Nemini umquam malum pro malo inferatis, sed exercendis virtutibus studete sive rem habeatis cum fidelibus sive cum infidelibus. Vivite in pace cum hominibus sine discrimine omnibus, si fieri potest; si qui verò sint qui vicissim vobiscum in pace vivere recusent, vos ex vestra saltem parte pacem colite. A privata vindicta abstinete, carissimi, et Deo permittite vindictam. Scriptum est enim: *Mihi competit vindicta et ego retribuam.* Imo, si inimicus tuus inopiâ prematur, tu illi succurras; quod si feceris, acutum quempiam illi intuleris dolorem ex pudore natum, quo fieri poterit ut resipiscat. Ne patiaris vinci te inimici tui malitiâ ut eâ abripiaris ad vindictam; sed contra da operam ut malitiam ejus tuâ vincas beneficentiâ.

Unusquisque, nemine excepto, magistratibus sese subjiciat; nam divinæ originis est civilis potestas, et qui constituti sunt magistratus, divinâ ordinatione constituti sunt; adeoque divinæ ordinationi resistit qui magistratibus resistit. Qui autem resistunt, in futuro sæculo pœnas dabunt, nisi resipiscant. Nempe magistratus metuendus non est bonis sed malis. Quodsi vis non metuere magistratum, bonus esto, et laudabit te. Dei, inquam, minister est magistratus in tuum constitutus bonum, si tu vis esse bonus; si verò malè agas, est cur timeas; neque enim gladium portat sine causâ, sed ut eo utatur cumque Cap. XIII.

stringat in malefactores; Dei enim minister est et vindex ad pœnam infligendam malefactoribus. Igitur necesse est subjicere sese magistratibus, idque non solum propter evitandam pœnam quam irrogare possunt refractariis, verum etiam ut satisfaciamus conscientiæ nostræ dictanti obediendum esse divinæ voluntati. Nam ideo etiam debetis, sicut facitis, pendere illis tributa tamquam Dei ministris. Sunt enimvero Dei ministri, ipsum hoc officium, ut scilicet publico civium bono consulendo Deo ministrent, assiduò curantes. Reddite ergo magistratibus, quod cuique debetur: tributum poscenti, pendite tributum; vectigal exigenti, solvite vectigal; reverentiam sui requirenti, exhibete reverentiam; honorem postulanti, date honorem.

Nemini quidquam debeatis nisi debitum mutui amoris, ut quo debito numquam non estis adstricti; nam Decalogi lex, qua numquam non tenemini, ad dilectionem proximi revocatur universa, et qui proximum diligit, legem implevit. Nam præcepta ista, *Non adulterabis*, *Non occides*, *Non furaberis*, *Non falsum testimonium dices*, *Non concupisces*, et quodcumque præterea est præceptum proximum respiciens, omnia hæc summatim conprehenduntur unico hoc mandato: *Diligito proximum tuum sicut teipsum.* Qui proximum diligit, is nihil mali illi infert; ergo adimpletio legis in dilectione proximi posita tota est. Et tanto magis hoc facite, quia nostis quale sit quod nunc agitis vitæ vestræ tempus, quod scilicet jam nunc adsit hora ex spirituali nostro somno expergiscendi; nunc enim, postquam jam magna vitæ pars in Evangelicæ fidei professione nobis præteriit, propius a perfecta salute absumus quam quo tempore primum facti sumus Christiani. Progressa jam est est præsentis vitæ nox, instat verò futuræ vitæ dies. Quum igitur nox jam vergat in diem, deponamus opera tenebrarum, et induamur arma lucis. Quum, inquam, jam illucescat nobis perpetua illa sine nocte dies æternitatis, curemus ut, quemadmodum diurno tempore decoro vestitu indui solemus, ita quoque, illucescente jam nobis illa æternitatis die, vitam agamus honestam, non in luxuriosis conviviis et crapulosis compotationibus, non in prohibito concubitu et impudicitia, non in rixis et odio, sed Jesum Christum imitemini, mores illius vobis veluti induentes, et carnem vestram ne curetis ita ut eam ad libidinem provocetis et lasciviatis.

Eum autem, qui necdum habet persuasum, Christianos legibus Moysis rituali- Cap. XIV. bus non teneri, ne arceatis a vestro contubernio sed comiter eum recipite et benigne tractate; nolite verò præsentiâ illius abuti ad disputandum et dijudicanda cogitata ejus circa abrogationem legum ritualium. Unus quidem persuasum habet licere sibi manducare omnia; alter verò olera tantùm manducare audet. Is qui quævis manducat ne spernat eum qui abstinet a cibis Mosaica lege prohibitis; sed hic vicissim ne arguat impietatis eum qui quævis manducat; nam Deus illum inter famulos suos assumpsit. Tu autem quis tandem es tu qui non dubitas condemnare alterius heri famulum, quasi is ex tua sententia quidquam facere aut omittere debeat, et damnabilis sit si secus agat. Non tuo, sed proprii heri sui judicio aut firmus in suo stat officio famulus, aut in eo labitur. Firmus autem stabit. Ita confido. Potens enim Deus est gratiæ suæ auxilio efficere ut firmus stet. Unus quidem diem unum majoris æstimat quam alium diem; alter verò peræque æstimat quemvis diem. Uterque, sive hoc sive illud faciat, plene persuasum habeat licere sibi facere id quod faciat. Qui certum aliquem diem festum celebrat, in honorem Christi Domini celebrat; et qui certum aliquem diem festum non celebrat, pariter in honorem Christi hoc omittit. Et qui, non servato rituali ciborum discrimine, quævis manducat, in honorem Christi hoc facit; nam manducaturus pro concessis cibis gratias Deo agit: et qui abstinet a cibis rituali lege prohibitis in honorem Christi ab iisdem abstinet, et pariter gratias agit Deo pro concessis cibis illis, quibus vesci non dubitat. Neque enim quisquam nostrûm, qui Christiani sumus, quasi suimet ipse finis sit, aut vitam agit ut sibi vivat, aut mortem subit ut post mortem sui sit juris; nam si vivimus Domino vivimus; si morimur, Domino morimur, ut scilicet etiam post mortem ab ipse pendeamus simusque ipsius. Sive ergo vitam agamus, sive mortem subeamus, Domini sumus. In hunc enim finem Christus mortem oppetivit et revixit, ut dominium exerceret in humanum genus universum. Tu verò cur temere judicas fratrem tuum? Aut etiam tu cur contemnis fratrem tuum? Neque enim constituti sumus alii aliorum judices, sed ex æquo omnes judicandi sumus a Christo, qui solus omnium judex constitutus est. Scriptum

est enim : *Per vitam meam affirmo , dicit Dominus , quod mihi genua flectent homines omnes , omnesque Dominum me agnoscent.* Quum ergo unusquisque nostrûm pro se de suis actibus redditurus sit rationem Deo, ipsi relinquamus exercendum judicium , nos autem deinceps a judicando abstineamus. Sed hoc nobis decretum esto : cavere ne intempestivo nostræ libertis usu occasionem peccandi fratri præbeamus.

Non me latet , verum scio et persuasum habeo, a Christo Jesu sic edoctus, cibum nullum ex sua natura esse immundum. Illi tantum homini immundum vetitumque quid est , qui illud pro immundo sibique vetito habeat. Nam si fratri tuo præbes occasionem peccandi quia cibum sumis ab ipso pro vetito habitum, jam tu id agis quod non est secundum regulam fraternæ charitatis. Noli, inquam, noli tuo isto cibo animi exitium afferre illi quem tanti fecit Christus, ut pro eo mortem oppetere non dubitaverit. Caveamus ergo ne christiana nostra libertas ab infirmis maledicto proscindatur. Neque enim vita in Christianismo instituenda consistit in sumendo hoc vel illo cibo aut potu , sed in observandis Dei mandatis et in colenda pace cum omnibus et in gaudendo in Spiritu sancto ; nam is qui hisce rebus studet Christo servire, hic placet Deo et gratus est hominibus , nec provocabit eorum convicia. Itaque diligentem ponamus operam in servandâ animorum inter nos concordiâ et promovendâ mutuâ ædificatione. Cave ne cibi causâ tu destruas id quod Deus exstruxit. Non nego equidem quin cibi sint ex natura sua mundi omnes, et hactenus fateor in nullius cibi usu quidquam esse mali ; sed tamen is qui , nullo facto ciborum discrimine, quibusvis cibis vescitur , promiscuo illo ciborum usu fratri suo præbens occasionem peccandi , is , inquam , promiscuo hoc ciborum usu malum facit et peccat. Contrà, recte facis si , ut ne fratri tuo scandalum præbeas , abstines a carnibus et a vino et omninò a quocumque tandem cibo, cujus sumptio fratri tuo fieri possit occasio peccandi. Mihi firma persuasio est, inquis, prohibitum cibum esse nullum. Egregie ! Sed nihil opus est persuasionem tuam ostentare cum proximi detrimento. Habeto tibi illam persuasionem coram Deo judice ; cave verò utaris illâ cum proximi scandalo. Beatus qui in foro suæ conscientiæ non condemnat ipse se in re quam

exterius approbat ! Qui vero dubitat an liceat nec-ne quibusvis cibis vesci, si nihilominus hoc fecerit, peccati reus factus est, quia egit contra conscientiæ suæ dictamen. Quidquid autem fit contra dictamen conscientiæ, peccatum est. * Debemus autem nos, quibus illa persuasio est, infirmorum fratrum Cap. XV. nostrorum imbecillitates patienter sufferre, non verò plus æquo nobis addicti, proximorum utilitate neglectâ, nostris solummodo commodis inservire. Unusquisque nostrûm, inquam, non sibi tantùm, sed et proximo suo placere studeat, idque in bonum ipsius, ut scilicet saluti ejus consulat. Nam Christus quoque, cujus exemplum nobis imitandum est, non sibi ipsi placuit, sed ita egit, ut de se, Deum Patrem suum alloquens, dicere potuerit illud quod scriptum est : *Convicia eorum, qui conviciantur tibi, ceciderunt super me;* id quod Scripturæ verbis hic moneo ; quæcumque enim ante nos divinitùs conscripta fuêre, ad nostram disciplinam fuêre conscripta, ut scilicet per patientiam ad quam Scriptura verbis et exemplis nos adhortatur, et per consolationem quam effata ejus nobis præbent, spem foveamus cœlestis gloriæ obtinendæ.

Deus autem qui patientiæ et solatii largitor est, det vobis, sublatis illis de lege rituali contentionibus, ut, secundum Jesu Christi voluntatem, unum idemque sentiatis omnes; ut sic animo concordes uno ore glorificetis Deum et Patrem Domini nostri Jesu Christi. Quapropter invicem benigne suscipite, exemplo Christi, qui vos ambos, nullo gentis discrimine, suscepit ad Dei gloriam illustrandam. Hoc nimirum dico : Jesum Christum Judæis evangelium salutis prædicasse, ut sic Deus verax fidelisque demonstraretur, ut, inquam, sic adimplerentur promissiones olim patribus eorum a Deo factæ; Gentiles autem dico, quando Christus illos suscepit, glorificasse Deum pro misericordia illis exhibita : quam misericordiam illis aliquando exhibendam esse Prophetarum oracula olim prænunciaverant. Nam apud Psalmographum ipse Christus dixit : *Laudem tuam, Domine, prædicabo inter Gentes*; et alibi Scriptura dicit : *Lætamini Gentes cum populo ejus*; et iterum : *Laudate Dominum omnes gentes et magnificate eum omnes populi.* Idem prædixit Isaias : *In*

63

illa die fiet, inquit, *ut Gentes studiose se convertant ad Jessæum surculum, et ad eum qui exsurgit ad imperandum Gentibus.*

Deus autem, spei nostræ auctor, vos in suscepta fide repleat omni spirituali gaudio et pace, ut exuberetis in illa spe per virtutem Spiritûs sancti.

Persuasum autem habeo, fratres mei, etiam ipse ego de vobis, quod jam ipsi vestrâ sponte pleni estis fraterna charitate, repleti omni scientia, adeòque tales qui possitis etiam vos invicem monere. Attamen aliquantulum audentior scripsi vobis, fratres, non tamquam vos docturus ea quæ nesciretis, sed vobis veluti in memoriam revocaturus ea quæ non ignorabatis; et hoc feci ut satisfacerem Apostolatûs mei officio, quod mihi divinitùs concessum fuit in eum finem, ut essem JESU CHRISTI sacerdos apud Gentiles, Evangelium Dei illis administrando, ut fierent Gentes sacrificium meum Deo gratum acceptumque quippe Spiritu sancto sanctificatum. Habeo autem, quod ad fructum meæ prædicationis attinet, causam gloriandi non certè in me ipso, sed in CHRISTO JESU; neque enim sustinebo gloriandi causâ commemorare aliquid earum rerum quas non operatus fuerit CHRISTUS per me ad Gentilium conversionem, verbo atque opere, signorum atque miraculorum effectione, charismatum Spiritûs sancti in credentes effusione; eo eventu ut inde ab Hierosolymis et in regionibus circumjacentibus usque ad Illyriam Evangelii prædicationem absolverim; ita verò evangelizare studiosè curans, ut illud facerem non iis in locis in quibus CHRISTUS jam esset annunciatus, nolens scilicet ædificare super fundamentum ab alio positum, sed ibi ubi homines de CHRISTO hactenus non inaudivissent, secundum illud Scripturæ de CHRISTO Gentibus annunciando oraculum: *Quibus non nunciatum erat de eo, hi videbunt; et qui non audiverunt, intelligent.* Quam ob causam plerumque etiam impediebar quominus ad vos venirem. Nunc verò quum in his regionibus non amplius habeam occasionem prædicandi Evangelium iis quibus adhuc non fuerit prædicatum, desiderem autem a multis jam annis venire ad vos, ut primum ibo in Hispaniam, spero me per Romam iter meum facientem vos in transitu videre atque a vobis illuc deduci, ubi prius per aliquot dies apud vos commoratus, meum perfruendæ vestri consuetudinis desiderium aliquantulum explevero.

Nunc verò in eo sum ut proficiscar Hierosolymam ad succurrendum inopiæ Christianorum ibi commorantium. Nimirum placuit Macedonibus et Achæis pecuniariam aliquam facere collationem in pauperes qui sunt inter Christianos Hierosolymitanos; placuit, inquam, eis, imo et debitores sunt illorum. Nam si spiritualia eorum bona participarunt Gentiles, debent hi vicissim temporalibus bonis suis inopiam eorum levare. Hoc igitur iter quum perfecero et tradidero Hierosolymitanis hunc fructum caritatis Macedonum et Achæorum, per urbem vestram in Hispaniam proficiscar. Scio autem me, quum veniam ad vos, allaturum vobis esse copiam bonorum spiritualium. Obsecro autem vos, fratres, per Dominum nostrum Jesum Christum et per charitatem Spiritûs sancti, ut mecum enixe Deum pro me precemini ut ne incidam in manus incredulorum qui in Judæâ commorantur, et ut ministerium meum gratum acceptumque sit Christianis Hierosolymitanis; idque ut gaudens de prospero successu itineris et ministerii mei veniam, Deo volente, ad vos et vobiscum me recreëm. Deus autem largitor pacis sit cum omnibus vobis. Ita fiat.

Ceterum, commendo vobis sororem nostram Phoeben, Cenchrëensis ecclesiæ diaconissam, rogans ut illam sic excipiatis ut Christianos decet excipere christianos, utque illi adsitis in quocumque negotio vestrâ ope indiguerit; quod si feceritis, vicem illi rependeritis; nam ipsa quoque adjutrix adfuit cum aliis christianis bene multis, tum etiam mihi ipsi. Cap. XVI.

Salutate meis verbis *Priscillam* et *Aquilam*, coöperatores meos in tradenda doctrina christiana, qui pro tuenda vita mea ipsi præsentissimum vitæ periculum adierunt; quam ob rem non solus ego gratias illis habeo, verum etiam mecum gratias illis habent cunctæ ecclesiæ gentium. Salutate etiam domesticum illorum cœtum christianum. Salutate *Epænetum*, dilectum meum, qui primus in Asia christianus factus est. Salutate *Mariam*, quæ meâ causâ multum laboris subiit. Salutate *Andronicum* et *Juniam*,

cognatos et concaptivos meos, qui magni æstimantur ab Apostolis, atque etiam priores me christiani facti sunt. Salutate *Ampliatum*, dilectum meum in CHRISTO. Salutate *Urbanum*, coöperarium nostrum in re evangelica, et *Stachyn*, dilectum meum. Salutate *Apellem*, hominem sincerè Christianum. Salutate eos qui inter *Aristobuli* domesticos christiani sunt. Salutate *Herodionem*, cognatum meum. Salutate eos qui inter *Narcissi* domesticos christiani sunt. Salutate *Tryphænam* et *Tryphosam*, quæ bene merentur de Christianis. Salutate *Persidem* dilectam, quæ pro re evangelica multum laboris subiit. Salutate *Rufum*, insignem christianâ pietate virum, et matrem ejus atque meam. Salutate *Asyncritum*, *Phlegontem*, *Hermam*, *Patrobam*, *Hermen* et christianos quid apud ipsos commorantur. Salutate *Philologum* et *Juliam*, *Nereum* et sororem ejus, et *Olympiadem*, eorumque domesticos, qui christiani sunt omnes. Salutate vos invicem osculo christianorum. Salutant vos cœtus christianorum omnes.

Adhortor autem vos, fratres, ut observetis eos qui dissidiorum et scandalorum auctores sunt, prædicando doctrinam contrariam doctrinæ quam vos estis edocti ; et devitate istorum hominum consortium. Nam istiusmodi homines CHRISTI gloriam non quærunt, sed quærunt unde laute vivant et gulam suam expleant, atque interim benignis et blandiloquis suis sermonibus incautos decipiunt. Itaque istiusmodi homines declinate; nam fama fidei vestræ ad omnes pervenit; quo magis vobis cavendum est, ne impostores isti famæ vestræ maculam inferant. Est igitur quo gaudeam de vobis; sed idem volo prudentes ut sitis quod ad bonum attinet, atque ideo moneo vos ut vobis caveatis a falsis illis magistris; simplices verò vos esse volo quod attinet ad malum. Deus autem pacis largitor, brevi, ita confido, Satanam per falsos illos magistros mala vobis machinantem, victum prostratumque pedibus vestris subjiciet.

Salutant vos *Timotheus*, coöperarius meus, et *Lucius* et *Jason*, et *Sosipater*, cognati mei. Ego *Tertius*, qui scripsi hanc epistolam, saluto vos in Domino. Salutat vos *Cajus* hospes meus, imo et universæ ec-

clesiæ hospes. Salutat vos *Erastus* hujus civitatis arcarius, et *Quartus*, frater noster in CHRISTO. Gratia Domini nostri JESU CHRISTI omnibus vobis adsit! Ita fiat!

Deo autem qui potest vos constantes facere in fide Evangelii mei, hoc est, in fide doctrinæ quam meo ministerio JESUS CHRISTUS prædicat, in fide, inquam, præstitâ revelationi arcani omnibus retrò sæculis taciti, nunc autem patefacti atque adhibitis Scripturis propheticis ex mandato æterni Dei, ut illud credatur, inter omnes Gentes prædicati, — soli sapienti Deo sit per JESUM CHRISTUM gloria in omnia sæcula. Amen.



INDICES.

I. INDEX RERUM ATQUE VERBORUM NOTABILIUM ET LOCORUM S. SCRIPTURÆ QUÆ OBITER PLUS MINUS ILLUSTRANTUR.

II. INDEX CODICUM UNCIALIUM EPISTOLARUM PAULINARUM.

Codex A. *Alexandrinus*, qui censetur exaratus sæc. V. Mutilus est in 2ª ad Corinth. a Cap. IV. 13 usque ad XII. 7.

Codex B. *Vaticanus*. Censetur exaratus sæc. IV. Desunt epistolæ utraque ad Timotheum, ad Titum, et ad Philemonem. Præterea quæ leguntur inde ab Epistolæ ad Hebræos Capite IX. 14, ætatis sunt multo recentioris.

Codex C. *Regius*. Censetur exaratus V vel VI sæculo. Mutilus est Rom. II. 5—III. 21; IX. 6—X. 14; XI. 31—XIII. 10; I Cor. VII. 18.—IX. 6; XIII. 8—XV. 40; 2 Cor. X. 9—Gal. 1. 20; Ephes.

1—II. 18 ; IV. 17 — Philipp. I. 22 ; III. 5. usque ad finem ; 1 Thess. II. 9. usque ad finem ; Hebr. I. 1 — II. 4 ; VII. 26—IX. 15 ; X. 24—XII. 15 ; 1. Tim. I. 1—III. 9 ; V. 20. usque ad finem.

Codex D. *Claromontanus*. Exaratus sæc. VII vel VIII. Mutilus est Rom. I. 1—7 ; ab alia manu, antiqua tamen, scripta sunt, quæ leguntur I Cor. XIV. 13—22 Epistola ad Hebræos recentiori ætate addita fuit.

Codex E. *Sangermanensis*. Ex sæculo XI. Mutilus est I Tim. I. 1—VI. 15 ; Hebr. XII. 8. usque ad finem.

Codex F. *Augiensis*. Sæc. X. Mutilus est Rom. I. 1—III. 8, et deest Ep. ad Hebræos.

Codex G. *Boernerianus*. Sæc. IX. Mutilus est Rom. I. 1—5 ; II. 16—25 ; 1 Cor. III. 8—16 ; VI. 7—14 ; Coloss. II. 2—8 ; Philem. 21—25 ; et deest epistola ad Hebræos.

Codex H. *Coislinianus*. Sæc. VII. Fragmenta continet hæc : I Cor. X. 23—39 ; XI. 9—16 ; Gal. I. 4—10 ; II. 9—14 ; I. Tim. III. 7 —13. Tit. I. 1—3 ; I. 15—II. 5 ; III. 13 usque ad finem ; Hebr. II. 11—16 ; III. 13—18 ; IV. 12—15.

Codex I. *Angelicus*. Sæc. IX. Mutilus est Hebr. XIII. 1 usque ad finem.

Codex K. *Mosquensis*. Sæc. IX. Deficit Rom. X. 18. — 1 Cor. VI. 13. 1. Cor. VIII. 7—11.

Minuscc. sunt codices litteris *minusculis* sive *cursivis* scripti indè a sæc. X usque ad XVI.

Signum stellulæ (*) notat sic legi a prima manu ; si bis scribitur (**), significatur sic correctum esse in codice.

Aeth. notat versionem Aethiopicam factam sæc. IV.

Arm. notat versionem Armenicam factam sæc. V.

Copt. notat versionem Copticam factam sæc. III.

Ital. notat versionem Italam (Latinam antehieronymianam) factam sæc. I. vel II).

Sahid. notat versionem Sahidicam factam sæc. III.

Syr. notat versionem Syriacam (Peshito) factam sæc. II.

III. INDEX LIBRORUM QUORUMDAM NOTIS COMPENDIARIIS PASSIM CITATORUM.

Scriptorum Veterum nova collectio e Vaticanis Codicibus edita ab Em. Angelo Maio Bibliothecæ Vaticanæ præfecto. Romæ. 1833.

Grammatik des neutestamentlichen Sprachidioms bearbeitet von Georg. Benedict Winer. Ed. 5. Leipzig. 1844.

Ausführliche Grammatik der Griechischen Sprache wissenschaftlich... ausgearbeitet von Raphael Kühner. 2 Theile. Hannover. 1834.

Clavis novi Testamenti philologica, auctore C. A. Wahl. Lipsiæ. 1843.

Wissenschaftliche Syntax der Griechischen Sprache von G. Bernhardy. Berlin. 1829.

Francisci Vigeri de præcipuis Græcæ dictionis idiotismis liber, cum animadversionibus Hoogeveeni, Zeunii et Hermanni. ed. 3. Lipsiæ. 1822.

Matthiæ Devarii liber de græcæ linguæ Particulis cum adnotationibus Klotz. 2 vol. Lipsiæ. 1842.

Totius Latinitatis Lexicon consilio et cura Jac. Facciolati, opera et studio Aegidii Forcellini lucubratum. Editio in Germania

prima. IV. vol. in Fol. Schneebergæ. 1833.

Ausführliche griechische Grammatik von August Matthiä. Ed. 2.—2 Theile. Leipzig. 1825.

Raphelii annotationes Philologicæ in N. T. ex Xenophonte, Polybio, Arriano et Herodoto collectæ. Tomi 2. Lugduni Batavorum. 1747.

Henrici Hoogeveen doctrina Particularum linguæ Græcæ; in epitomen redegit Schütz. ed. 2. Lipsiæ. 1806.

Thesaurus Græcæ linguæ ab H. Stephano constructus. Tomi X in Fol. Editio Londinensis 1816-26.

Joh. Casp. Suiceri Thesaurus ecclesiasticus e Patribus Græcis. 2 vol. Fol. Amstelodami. 1681.

Bibliorum Sacrorum Latinæ versiones antiquæ, seu vetus Italica.... opera et studio D. Petri Sabatier. 3 vol. in Fol. Parisiis. 1751.

Joh. A. H. Tittmann, de Synonymis in novo Testamento. Lipsiæ. 1829.

Compendium antiquitatum Græcarum e profanis sacrarum. Collegit Ch. Brünings. ed. 3. Francofurti ad Moenum. 1759.

Lehre von den Partikeln der griechischen Sprache von Johann Adam Hartung. 2 Th. Erlangen 1832.

Lateinische Grammatik von C. G. Zumpt. ed. 8. Berlin. 1837.

Lamberti Bos ellipses Græcæ. ed. H. Schaefer. Lipsiæ 1808.

Errata corrige:

Pag. 1. pro *continuos* lege *continuas*. Pag. 9. pro *ἀγιωσυνης* lege *ἁγιοσυνης*. Pag. 14. pro *vestrûm omnium* lege *vestrâ omnium*. Pag. 21. pro *sine ulla* lege *sine ullo*. Pag. 25. pro *nec habitualem nec formatam* lege *aut habitualem aut formatam*. Pag. 46. pro *non latuit* lege *non latuerit*. Pag. 63. pro *hic verbis* lege *his verbis*. Pag. 71. pro *discrepat* lege *discrepet*. Pag. 75 pro *Mujus* lege *Hujus*. Pag. 80 pro *dicemus Deum* lege *dicamus Deum*. Pag. 89 pro *dicta esse* lege *dicta essent*. Pag. 121 pro *præcendetis* lege *præcedentis*. Pag. 186 pro *dominium suum* (in Paraphrasi) lege *tyrannidem suam*. Pag. 191 pro *imo*, *omnino* lege *imò*, *si omnino*. Pag. 250 (in Paraphrasi) pro *ab istius oneris servitute* lege *ab onere istius servitutis*. Pag. 251 pro *certitudine* lege *magnitudine*. pag. 290 pro *sed Wineri* lege sed *Tischendorfii*, et mox pro *secundum Winerianam* lege *secundum Tischendorfianam*.

APPROBATIO.

Opus, quod inscribitur, Joannis Theodori Beelen, *Can. hon. eccl. cathedr. Leod. S. Theol. Doct.*, *in Academ. Cath. Lovan. S. Script. et lingg. orientt. Prof. ord.* Commentarius in Epistolam S. Pauli ad Romanos, ex auctoritate Eminentissimi et Reverendissimi Cardinalis Archiepiscopi Mechliniensis et legum academicarum præscripto recognitum, quum fidei aut bonis moribus contrarium nihil continere visum fuerit, imprimi potest.

Datum Lovanii, IX Cal. Jun. 1854.

P. F. X. DE RAM.

Rect. Univ.

OUVRAGES DU MÊME AUTEUR.

JOANNIS THEODORI BEELEN, Can. Hon. Eccles. Cathedr. Leod., S. Theol. Doct., in Univ. Cath. Lovan. S. Script. et Lingg. Orientall. Prof. Ord. **Commentarius in Epistolam S. Pauli ad Philippenses.** Secunda editio, auctior et correctior. Lovanii, 1852. Prix : fr. 3-50.

JOANNIS THEODORI BEELEN, etc. **Commentarius in Acta Apostolorum.** 2 volumes, petit in 4°. Lovanii, 1850. Prix fr. 8.

JOANNIS THEODORI BEELEN, etc. **Chrestomathia Rabbinica et Chaldaica,** cum notis grammaticis, historicis, theologicis, glossario, et lexico abbreviaturarum, quæ in Hebræorum scriptis passim occurrunt. 3 vol. in 8. Lovanii, 1843. Prix : fr. 9.

JOANNIS THEODORI BEELEN, etc. **Liber Sapientiæ Græce, secundum exemplar Vaticanum Romæ editum.** In usum suorum auditorum, additâ selectâ varietate lectionis codicis Alexandrini atque editionum Complutensis et Aldinæ. in-4°, à deux colonnes. Lovanii, 1844. Prix : 75 centimes.

JOANNIS THEODORI BEELEN, **Dissertatio Theologica,** qua sententiam vulgo receptam, esse Sacræ Scripturæ multiplicem interdum sensum litteralem, nullo fundamento satis firmo niti demonstrare conatur. Lovanii, 1845. Prix : fr. 1.

SOUS PRESSE :

JOANNIS THEODORI BEELEN, etc. **Grammatica Græcitatis Librorum Novi Testamenti.**

ܐܓܪ̈ܬܐ ܬܪ̈ܬܝܢ ܕܥܠ ܒܬܘܠܘܬܐ ܕܡܫܝܚܝܐ ܕܩܠܝܡܝܣ ܕܦܛܪܘܣ ܫܠܝܚܐ.

S. CLEMENTIS ROMANI, discipuli S. PETRI epistolæ binæ de Virginitate. *Syriace*. Ad fidem Codicis Manuscripti, additis notis criticis, philologicis, theologicis, et nova versione latina, edidit JOANNES THEODORUS BEELEN, etc.

BOSTON COLLEGE
3 9031 035 54573 0

2376 36
83